DUO GALLICARUM RERUM SCRIPTORES NOBILISSIMI...

Jean Froissart, Johann Sleidan, ...

Digitized by Google

FROSSARDI, NOBILISSIMI SCRIPTORIS GALLICI, HISTORIARVM opus omne, iamprimum & breuiter collectum, & Latino sermone redditum à Ioanne Sleidano.

AD REVERENDISSIMVM IN CHRISTO PATREM AC DOMINVM, D. Ioannem Bellaium, Episcopum Parisiēsem, & S. Rom. Eccles. Cardinalem, in historiam Frossardi, Ioannis Sleidani præfatio.

CVM *ea sit humanæ vitæ conditio, Reuerendissime Præsul, vt ad peragendum, quem natura dedit, cursum, & ad leuandas, quæ nunc corpus, nunc ipsam adeò mentem affligunt, molestias, & perturbationes, plurimarum rerum indigeat præ-*

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

sidio: summis profectò laudibus vehendi sunt illi, qui rationes ita suas comparant, vt non modò commodè viuant ipsi, verumetiam alienis difficultatibus, malisq; remedium possint apponere. Nimirum, in hos vsus atque necessitates, ille, qui sua potentia moderatur omnia, tam ingens, tamq; varias artes, magna quadam liberalitate nobis effudit. Quarum quidem omnium videmus eam esse vim, vt nulla non sui parte, modò sanè tractentur, adhibito iudicio conducant.

Etenim, vt illas omittam, quæ vel syderum motus, vel terræ metiuntur amplitudinem, & id genus alias, hæ, quas prima solent ætate proponere doctores, & eloquendi, & bene sentiendi facultatem præbent, rem, imprimis vtilem, & ad vitæ cõmunionem necessariam: in qua certè, vt quisque plurimùm excellit, ita maximè prodesse posse creditur. Quod deinde sequitur disciplinæ genus (philosophiam vocant) latissimè patens, & iucunda sui cognitione delectat, & quæ in vitam actiones q; nostras incurrunt, aduersitatibus, consolationem adfert.

Hanc illius vim, omnium temporum viri docti, fortunæ casibus obiecti, & perceperunt, & facto periculo, iucundè, libenterque prædicarunt. Nos verò, præter istam antiquis exploratam,

ploratam, diuinitus etiam accepta, non dissimili quidem, sed multò illustriori notitia, sumus hoc nomine feliciores: quòd huius præsidio, mentem aduersus omnem, qua ruere possit in nos, calamitatem, erigere liceat, & meliorũ certissima spe confirmare. Quid autem commemorem illam, qua ualetudinem, aut afflictam, aut turbatam recreat? qua non solùm oculis expositum, sed latens etiam in corpore uitium tollit? qua fugientem animam, & tanquam è carcere, quo retinetur, euadere cupientem, sistit atque remoratur? Adeo, nullam est reperire, qua uita hominũ, & usui non inseruiat. De illa uerò quid dicam (ut ad institutum nostrum paulatim ueniam) qua pupillorum innocentiam aduersus calliditatem & fraudem: qua tenuiorum fortunas contra locupletum potentiam: qua damno præter meritum auctos & iniuria uexatos defendit? qua possessionibus aut ui deturbatos, aut æstu quodam excussos, alienáque fraude, restituit? qua controuersiarum omnium ciuilium difficultatem expedit? qua maleficia pœnis coërcet atque suppliciis? qua rectè factis honorem, statuit & præmia? Videmus profecto, eam esse huius amplitudinem, ut omnes ubique regiones contingat: eam utilitatem, ut beneficium nemo non sentiat.

eum verò splendorem, vt & humaniores illæ, de quibus primo loco diximus, propter istam magna ex parte discantur, & è seueris oribus illis pleraque verecundè locum dent, ac veluti dominam agnoscant. Etenim cùm sit ita comparatum inter mortales, vitio quodam naturæ, vt cùm plurimis de rebus oriantur quotidie simultates, tum verò, qui sunt inter ipsos improbiores, & fortunas aliorum & vitam sæpenumero malis artibus petant: quis non dicat, eam esse demum illustrem, & inter alias egregiam disciplinam, quæ vel certis iudiciis, vel adprascriptũ æquitatis, nec istum, quod alienũ sit, retinere, nec illũ, quod suum sit, amittere sinit? quæ disceptationibus explicatis, litem omnem aufert: quæ scelerum impunitatem non tolerat: quæ magistratus auctoritatem incolumem seruat: quæ seditionibus turbari quietem publicam minimè omnium permittit? Meo quidem iudicio, qui in minima etiam Republica & societate hominum, ea, quæ diximus non omnia, sed vel singula, aut eruditione exculti, aut ingenij, naturæq; bonitate adiuti, non indiligenter efficiunt, laudem suam merentur, & munus non contemnendum obeunt.

Eorum verò, qui non iudiciis quidem, aut administrationi ciuitatum adhibiti, maximo-

maximorum principum atque regum negotiis præsunt: quanta sit, & quàm splendida functio, præ dignitate & magnitudine rei, vix enumerari potest. Qui seculorum & omnium temporum ordinem memoria repetere velit: comperiat, ab immortali Deo, propterea, quòd hic terrarum orbis in gradu consistere, & molem suam aliter tueri non possit, reges fuisse constitutos, qui plebem incultam, imperitam, effrænem, mobilem, & in deteriora facilem, sua & prudentia & auctoritate, & vitæ modestia, & puniendi facultate in officio retinerent: qui populi fortunas, commoda, quietem atque salutem, vel suo periculo tuerentur: qui tanquam in sublimiori specula positi, longè lateq; prospicerent, quid omnibus in vniuersum, & singulis priuatim conferre possit.

Hoc illorũ esse munus, vt alios præteream, vidit & Græcorum ille vates eminentissimus, qui reges, populorum veluti pastores appellat: quo quidem nomine complecti videtur omnia, quæ possint & tuendi, & augendi, & ornandi hominis gratia suscipi, vel pericula, vel officia. Porrò, cùm fieri nequeat, vt his rebus omnibus, adeò non leuibus, & oneri tam graui sufficiat vnius ingenium, atq; robur, vtilissimè, prudẽtissimeq; receptũ est, vt,

qui pariter in Repub. vigilarent, & consulerent, regibus adhiberentur.

In his autem adeo magnum sæpe videmus esse momentum, vt ex ipsorum rationibus atque consiliis pendeat vniuersa regionis aut salus, aut calamitas. Quàm enim varia multaque referre liceat, quibus ob oculos positis, clarum fieret, parua sæpè regna, consiliis eorum, & industria, qui regibus intimi sunt, in immensum aucta: quæ verò magnitudine & potentia florerent, è sublimi præcipitata fuisse? Verum igitur, & præsens Dei beneficium agnoscant, qui sui principis familiam, prudentum, & moderatorum hominum accessione vident auctam, atque ornatam.

His enim auctoribus, aut, quam habent tranquillitatem, diu retinebunt: aut natam (quæ rerum est vicissitudo) tempestatem profligabunt. Caterùm, vt hominũ & voluntati, & expectationi quis in eo munere satisfaciat: vt ex ingenio suo, quod omni deinde multitudini sit vtile, proferat: vt consiliorũ suorum & constantes & graues possit dare causas: hîc nimirum aut literatura non mediocri peropus est, aut vsu, quem ille rerum vocat magistrum, & experientia. Quæ certè, quantam in omni re vim obtineat, satis est apertum. Sed priusquam illa comparetur, &

temporis

temporis expectet longinquitatem & multas tractationes ipsa Respublica variosq; subeat casus, oportet. Nã, vt ægrotus, in quo sua ætatis experimentum, is qui remedium apponit, primum facit, in discrimen ferè vocatur: ita certè, qui solo nituntur vsu, quo tempore publicis negotiis tractandis admonebãtur, quin eos & falli, & errare, & sæpenumero labi cõtingeret, fieri non potuit. Optabile quidem est, habere viros vsu doctos, & diuturna rerũ tractatione peritos, modò ne cum publico detrimento coniuncta sit ista facultas. Incidere autem in tales, qui certo iudicio de singulis queant statuere: profecto, quàm id sit optabile, quis non videt nimirum, vt nulla sua calamitate prudentiores facti homines, bene, sapienterque gubernentur. Istud verò præstari literarum beneficio, magna ex parte, neminẽ esse puto qui negare velit, earum puta, qua iudicandi & eloquendi scientiam docent, tum illius præcipuè, suum quæ cuiq; tribuit, disciplina. Quis enim est omnium, (vt de reminima loquamur) qui non malit oratione culta & eleganti motus, dum in deliberationem aliquid adfertur, boni ciuis officium facere, quàm rudi, & inepto sermone, quem nulla commendet venustas, in hoc ipsum velut impelli & cogi? Quis verò, qui

controuersiam ciuilem non malit ab homine, eiusmodi rerũ, quales antè recitauimus, perito iudicari, quàm ab eo, qui & præter consuetudinem, & usu obseruatum morem, & dum horũ nihil extat, æquitatis aliquam speciem (incertissimum iudicandi genus) nihil adferat? Hæc igitur literarum præsidia, de quibus facta mentio, plurimum in causis omnibus posse, statuendum est. In magnis autem & arduis principum negotiis explicandis, & in hac tam illustri, tamque necessaria functione, quin fructum etiam adferant uberrimum, neminem, qui negare uelit, esse puto. Sed tamen ad eas res prudenter moderandas, quæ bellum, pacem, inducias, fœdera, connubia, proferenda ditionis modum, amorem & studium populi, factiones, & omnino summam regni molem continent: mea quidem sententia, quæ maiorem uim adferat, aut plus conducat, quàm historiarum, nulla est cognitio. Dum enim quiduis horum in deliberationem adfertur, & actionem præsentem: etsi natura bonitas, & is, quem communem uocant, sensus, admodum prodest: tamen qui similium rerum tractationem, circumstantias omnes, consilia, progressus, & euentus, non frigida lectione perceperit, & obseruarit, is nimirum, quod aliis

obscurum

obscurum videtur, & difficultatis plenum, apertè, tanquam in speculo, videt, ita quidem, vt quid in singulis vel commodi sit, vel incommodi, multò antè prospiciat, & significare possit. Hic ille, si dexteritate ingenij præterea non sit destitutus, an non insignem operam, & admirabilem quandam præstabit? Et vt natura donum hoc non habeat, tamen aut ea, quam diximus, cognitione rerum memorabilium, corriget, quod inerit, tarditatis: aut illius, quod lectione compertum habet, ad præsentem causſam applicatione, cæterorum, qui cautè omnia perpendunt, ac timent, dubitationem leuabit. Felices reges, qui rationes omnes, & consilia sua cum eiusmodi viris communicata volunt. Felicem populum, cùm beneficentia Dei contigit habere principem, aut talium virorum subsidio firmatum, aut ipsum adeò, non imperitum, aut, quod his optabilius est, instructum vtroque: Multos hîc liceat proferre, non vnius ætatis nobilissimos heroas, qui tempus omne, quod à publicis negotiis liberum habebant, aut poëtarum, qui similia veris bella scripsissent, aut historicorum, qui maximarum rerum gestarum monumenta verè tradidissent, lectioni darent. Quorum alij, voluptate eorũ quæ legissent, & vtilitate recreati, bel-

licosi hominis, & acris: alij verò sedati, & nihil immoderatè facientis imaginem, & exemplar sibi proponebant imitandum: Vt quisque vel cupiditatem attulisset, vel inter legendum fuisset affectus. Quid? an non ille, cuius animum vnius orbis dominatus explere non potuit, & Gracum vatem suauissimè canentem legit: & ex omni clarissimorum ibi virorum turba sibi proposuit eũ, qui raptum amica nimis impotenter ferens, ruinam, cadem, & calamitatem à suis, cùm posset, otiosus in castris, & tristi concitatus ira, non depulit? Hunc ipsum verò, nónne sibi putauit imitandum & ille, qui debellatis vndique populis, in vrbe rerum domina, cùm libertatem crederetur velle totam labefactare, necatus tandem fuit, & extinctus, quàm nescio iustis de causis: & ille, qui superioribus aliquot annis nostri temporis, post ardua bella, potentissimos in reges & populos ordine suscepta, felici rerum successu nimium elatus, & dominandi cupiditate, fines egressus, in armis occubuit? Quid alios referam hoc seculo, maximos viros, qui simili occupationum genere, non inuiti detinentur? Et inter hos quidem omnes, qui non maxima vel egerit, vel, si longior contigisset atas, perficere potuerit, vix vllum reperire liceat. Neque verò,

sim

si in paucis quibusdam vita exitus parum fuit commodus, atque latus, ab optimo studio revocandus est animus: imò verò, quoniam & hoc ipsum, puta, quem à susceptis laboribus, atq; periculis, vita finem consecuti fuerint, prudentia formanda non mediocriter conducit, sic vt intelligi possit, in omni re moderationem adhibendam: idcirco summa diligentia cognoscenda mihi quidem videntur omnis generis historia. Nam esse quenquam adeo destitutum ratione, qui pessima quaque diligendi cogitationem, qua postea imitetur, ad legendum adferat, vix credibile est. Deinde, non hoc vnum spectatur, nec is è lectione fructus tantùm petitur, vt in apparatu bellico, & ratione militari, princeps, ad huius, vel illius imitationem se comparet. Optandum enim esset, vt quàm minimùm in consultationem ista venirent. Sed maiora quadam inde percipiũtur, nimirum, vt alienis instructus exemplis, pacem cum finitimis colat: vt sciat, impotẽter, auarè, iniustè nihil agendũ: vt intelligat, immortalem Deum eiusmodi vitiis atque sceleribus iratũm subuertere sæpe regna, & eripere possessoribus: vt discat, aduersa non immoderatè ferre, & blandientem fortunam non habere nimis familiarem: tum, vt impendentem, vel per-

turbationem, vel calamitatẽ, & consilio, & moderatis rationibus possit euitare. Cùm igitur istarum rerũ omnium veluti picturas, ij, de quibus loquimur, auctores, maximo numero contineant, atq; suppeditent: habet generosus animus, in quo recreetur, & vnde simul in omnẽ vsum apta sibi sumat exempla. Sed in delectu pleriq; putant iudiciũ non leue requiri. Et bene quidem illi. Si enim, qui quæstuarias, & à liberali institutione remotas tractant artes, optima, quæ sequãtur, sibi deligunt: quid hîc faciendum est, vbi, si quid, aut illius quod imitationi propositũ est vitio, aut illius, qui imitatur, culpa sit erratũ, plurimorũ id fiat incõmodo? Cæterùm, videmus hanc esse ferè sententiam omnium, vt existiment, Romanorũ res gestas diligenter & in primis euolui debere: propterea, quòd hic populus, cũ à paruis & obscuris initiis paulatim crescceret, vicinarũ in se gentium odio concitato, nauiter se, suaq; defenderit: ac debellatis, qui circùm erant, hostibus, cùm ad ipsorũ potentiã non mediocris facta iam esset accessio. longinquiores ẽt reges, & nationes Barbaras in aduersum bellũ accenderit, & arma. Difficillimis igitur, cruẽtissimisq; bellis in ea Repub. gestis, nec breui temporum spatio finitis, idq; summa, & immortali ipsorum ad omnem

mnem posteritatem gloria, firmatis etiã viribus, ad eum modum, et auctis opibus, vt in regnandi cupiditate, pauci quidã inflammati, malum illud intestinũ inuexissent, extra metum & inuidiam omnem esse potuerint: quis dubitet, prudentiã ibi summam, cuius adminiculo tam præclara fecerint, singulis adhibitã fuisse temporibus? Primùm igitur hi videntur sibi posse vendicare locũ, vt hoc sit illis propriũ, inter omnes, quæ tam varia, tamque præclara gesserit, nullã esse gẽtem. Ab his autem, vt quisq; populus, & origine vetusta, & latè productis finibus nomen & famam consecutus est: ita rerum à se gestarum pulcherrimam videtur reliquisse memoriã. Vt Græcis omissis, ad nostrum orbem veniã, cui dubiũ sit, in eo præclarè multa semper gesta fuisse? quæ quidẽ, si scriptor, vt apud Romanos, & illustris, & non indiligens obtigisset: non minori, tum vtilitate, tum admiratione legerentur, quàm illorum pleraq; omnia. Nec tamen nostræ sortis pœnitere nos debet. Semper enim fuerunt quidam industrij homines, qui vel sua, vel etiam alienæ gentis mores, & facta memoratu digna perscripserunt. Et hi sanè, quantũ ego possum iudicando consequi, non minus, quàm veteres, euoluendi sunt: imò verò, quoniam & propiùs ad nostram

ætatem accedunt, & non nimis longo præcurrunt interuallo, & (quæ solet esse in humanis vicissitudo) nostris moribus, institutis, & disciplinæ vicina magis, aptaq; referunt exempla: præter id, quòd vehementius delectant atque mouent, certius quoque possunt erudire, suntq; vel inprimis hoc nomine legendi. Quid enim, vt ne longius retrocedam, ea, quæ nostra vidit ætas, & nouit memoria, num vllis rerum monumentis inferiora videntur? Si perditissimi hominis impiã cogitationem, & funestam aduersus patriam, multorum inter se coniurationem, ille putauit eleganti breuitate notãdam: quis non credat, eorum, quæ nos adeo vidimus, descriptionem ad posteritatem trãsmissam, in animis hominum vehementem excitare posse, non admirationem modò, sed & stuporem? Dubitare liceat, vllúmne seculum extet, in quo tam varia, tamque mirabilia confertim euenerint, breuissimo temporum spatio? Quantas enim, vt paucis dicam, & regnorum, & religionis, & ordinum vidimus commutationes? Qui singula teneat exactè, circunstantiis, & consiliis omnibus diligenter explicatis, vt in Romana factum est historia, Patauino illo scriptore, quod nulli veterum cedat, magnitudine rerum, opus dare possit, atque monumen-

tum

tum insigne. Sit igitur hoc indubitatum, & istud, in quo sumus, & aliquot superiora secula, continere & suppeditare posse, non obscuriora priscis, & antiquis exemplis. Inter eos verò, qui summorum regum, & populorum gesta commemorãt, eminere plurimum videtur Frossardus. Incidit enim in tempus, turbulentissimum quidem illud, sed paulò, quàm sit hoc nostrum, serenius, atque tranquillius. Deindè, quò veriùs omnia traderentur, principum & regum familias diu, multumq; secutus, & eorum, qui vel rebus ipsi præfuissent, vel coram eas vidissent, oratione certior factus, qua sic accepit, in libros bona fide retulit.

Videre licet hic & cognoscere, inter Gallia, Anglia, Hispania, Lusitaniaque reges, aliosque populos peracta bella. Videre licet illustres, & vivas plurimarum rerum, quæ transferãtur in usum, imagines. Porrò, cùm inter alias occupationes in hunc incidissem: delectatus & magnificentia lectionis, & utilitate, quò certiùs eorum, quæ legeram, meminissem, breuiter omnia vertendo, notaui, quod liberum habebam à studio legum, tempore in hoc omni penè consumpto, quod sanè studium, aut nullum præterea, cum historiarum notitia permagnam habere mihi

videtur affinitatem. Ingens quidem est opus illud Gallicum, sed quæ vel memorabilis, vel cognitu digna sit, historiam à me nullam in hoc libello prætermissam, non dubitem affirmare. Copiosè nimirum ille singula deducit, in describendis, aut apparatibus bellicis, aut velitationibus, aut monomachiis, aut locorũ oppugnationibus, aut collocutionibus principum, plurimus, ac penè redundans. Ista verò, quoniam summum illud momẽtum in se non continent inferenda minimè putans, ampliora quædam, ea nimirum, in quibus dependet is, qui petit debet ex eiusmodi lectione, fructus, omnino secutus sum, id, quod prudentem, & æquum lectorem, facilè deprehensurum opinor, atq; iudicaturum. Hunc igitur laborem meum, & quicquid hoc est operis, tuæ Celsitudini, doctissime Præsul, commendatum velim, & simul obtestor, vt gratum habeas. Intelligo quidem satis, illustriora multò deberi nominis tui splendori: sed quoniam & hoc genus scripta, Cels. tuæ non malè conuenire videntur, alienum nihil aut absurdum fecisse me spero. Cùm enim in hoc amplissimo regno, difficillimorum negotiorum explicationem, potentissimus rex, tibi cum paucis adeò committat, teq; consultationibus omnibus intimis, quæ Reipublicæ vniuersæ molem sustineant,

neant, interesse velit, & in ea quidem functione tu sic emineas, vt satis appareat, quàm magnum adferat momentum ad res gerendas, eruditio, natura bonitate coniuncta: non videtur sanè reprehendendum illius consilium, qui de maximis rebus loquentem scriptorem, ei nuncupatum velit, cuius ea sit virtus, & ingenij felicitas, vt non modò singulorum vim prudenter intueri possit, verumetiam ipse, quod in literas optima fide referatur aliquando, perficiat. Quapropter, vt, & quod offertur munusculum, Celsitua non aspernetur, & quod in eo vitiosum est, aquè ferat vehementer oro. Quod ipsum impetrare si mihi contingat, non vulgariter me posse recreari sentio. Celsituam, ad ampliora diu seruet incolumem is, qui voluntates hominum, & cogitationes, quò vult, impellit.

Datum Lutetiæ Parisiorum,
12. Iulij. Anno 1537.

EX PRIMO FROSSARDI VOLVMINE, HISTORIÆ OMNES MEMORABILES, & lectu non indignæ.

PHILIPPVS, cognomento Pulcher, Galliæ rex, tres habuit filios, Ludouicum, Philippum, Carolum, & filiam vnam. Et illi quidem, per successionem, cùm nullam haberent sobolem, administrationem regni transmiserunt ordine ad Carolum fratrem. Qui filium quidem sustulit, sed orbatus eo fuit multum adhuc adolescēte.

Filiam Philippi regis, & sororem Caroli, vxorem duxit Eduardus eius nominis secundus, Angliæ rex, è qua procreauit Eduardū filium, cuius in hoc opere, plurimis locis, honorificentissima fit mentio, propter honestissimam indolem, pectus animosum, & virtutes principe dignas.

Extat Homeri sententia, pleroſq; omnes filios

lios, parentibus esse deteriores: vix vllos meliores. Verùm in hoc Rege secus euenit. Fuit enim illius pater ingenio minùs honesto, propensus ad omnem luxum, & nimiũ auscultans delatoribus, è quorum grege præcipui erant nobiles quidam duo ex familia eorum, qui in Anglia vocantur, Spensij. Hi mentem omnem Regi excantauerant, adeò quidem, vt illorum consilio Rex inductus, ad supplicium raperet circiter viginti duos nobilissimos Angliæ Barones: nec isto contentus, coniugem quoque suam vnà cum filio, omni Anglia eiiceret. Sed Regina tandem amicorum fide & opera, in Angliam reducta cum filio, & delatores illos patrem ac filium, atrocissimis puniuit supplicijs, & Regem maritum suum, inutilem regno variis grauibusq; de causis, ex populi & senatus authoritate, custodia continuit. Quo facto, Eduardus nobilissimus heros, filius optimus pessimi parentis, qui cum matre, vt diximus, exulauerat, Londini coronatus est Angliæ Rex illius nominis tertius, ætatis suæ anno 16. Vxorem duxit Philippam, Gulielmi Hãnoniæ Comitis & Hollandiæ, filiam. Hanc enim inter cæteras sorores amare cœpit, quo tẽpore vnà cum matre profugus ex Anglia, in Hannoniam deuenerat. Anno Domini 1326.

Cæterùm, à morte Caroli Regis, Galliæ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

proceres ad successionem regni capessendam, minimè admittebãt illius sororem Anglo nuptam: quòd ad fœminas tanti regni molem, minimè deuolui, iam olim iis locis receptissimum sit. Deinde etiam Eduardum tertium ipsius filium, & Philippi regis nepotem repudiabant, tanquam à fœmina descendentẽ: adeoq; vno consensu sceptrum, & rerum summam detulerunt Philippo Valesio, defuncti regis Philippi cognato.

Per hanc occasionem acerbissima secutã sunt bella, Eduardo tertio, regnum Galliæ verius deberi sibi existimante, quàm Valesio.

Huc accessit, quòd vir quidam summè nobilis, Robertus Artesiensis, qui apud Valesium Regem in summo semper precio habitus fuerat: tandem in odium adductus, aula fuit exturbatus, & vndique studio Regis expulsus, quocunque se recepisset. Hic igitur post multos denique errores in Angliam accessit, ibiq́ue sedem quietam inuenit: & consiliarius Regis factus, non cessabat Eduardum hortari, vt bellum Galliæ regi moueret.

Eduardus rex bellum illaturus Gallo, sollicitabat quoque Flandros, id temporis parum obsequentes principi suo. Gallus intellexit, &

opc

ope comitis Flandri, tum apud se commorantis, iussit muniri quædam loca Flandriæ, quà necesse erat Anglis iter facere, venturis in Galliam. Anglus contrà suas copias misit, & collatis signis cæsi, fugatique sunt Flandri.

Anglus etiam vt negotia sua meliùs conficeret, & Germanicorum principum animos sibi adiungeret, Antuerpiam venit: vbi cum Ducibus Geldriæ, Iuliaco, Archiepiscopo Colonienſi & multis aliis amicitiam firmauit. Et ne quid ea re Cæsar offendi posset, placuit, Angli cæterorumq; nomine, mitti Iuliacensem. Cæsar adeo non improbauit caussam, vt etiam Angliæ regem constitueret Imperij Romani vicarium.

Quòd autem Cæsar Ludouicus à Bauaria tanto honore Anglum augebat, præcipua fuit caussa, vt hac occasione, inter cæteros tumultus bellicos recuperari posset Cameracum, quæ quidem ciuitas, cùm sit Imperio coniuncta, tamen à Gallis fuit occupata bello.

Interim Galliæ Rex cum Dauide Scotiæ Rege fœdus iniit, qui cum vxore Lutetiam eo nomine venit. Et à Gallo sunt missæ copiæ in Scotiam ad impugnandos Anglos, vt ita magis frangerentur ipsorum vires, & diminueretur Regis Angli potentia.

Anglus igitur cum auxiliaribus copiis Cameracum obsedit, vt Imperio rursus eam vendicaret. Sed frustra laborem sumpsit, vrbe & armis & commeatu munita. Quocirca copiæ in Galliam traductæ sunt.

Cùm produceret exercitum Anglus in Galliam, Hannoniæ comes, qui nuper mortuo patri successit, & expeditioni Cameracensi interfuit, velut ex officio, & quòd Imperij negotium ageretur, noluit deinceps inseruire Anglo, ne Galliæ Regem offenderet, cùm existimaret, iam non Imperij, sed priuatum Angli negotium in hoc bello agitari.

Adductis itaque in Galliam hostilibus copiis, & instructa vtrinque acie, Gallus, etsi multò potentior Anglo, vt qui supra centena hominum millia haberet: ex consilio procerum, præcipuè verò deterritus literis Roberti Siciliæ Regis, cognati sui, insignis astronomi, prælium declinauit. Et Anglus quidem vnà cum suis in Brabantiam, Gallus autem ad suos rediit, immoderatè ferens, quòd prælium non feciſſet. Anglus deinde certior factus de fide confœderatorum in Angliam reuertit. Apud Gandauos, temporibus illis, homo quidam plebeius, Iacobus Arteuillanus tantam sibi comparauit apud vulgus æstimationem

tionem, vt tandem illius audaciſſimis incœptis nemo ſe opponeret, ne ipſe quidem Flandriæ princeps. Ad conciliandos igitur Flandrorum animos, Anglus hunc ſibi adiunxit, vt in futuro bello ſubſidium haberet. Huius autem Iacobi deinceps non vno loco fiet mentio.

Anglus, priuſquam in regnum ſuum rediret, vt paulò antè dictum eſt, trāſegerat cum Flandris, de ſubſidio præſtādo, quò & ipſe maioribus in Gallum viribus pugnaret, & Flandri ciuitates amiſſas ita recuperarent. (Gallus enim tenebat Inſulas, Tornacum, & alia quædam.) Sed ſummam hîc difficultatem oſtendebant Flandri, priuſquam fœdus inirent cum Anglo. Nam antè ſic conuenerat inter ipſos & Galliæ Regem, ne vnquam aduerſa arma ferrent. Quod ipſum ſi non ſeruarent, dependerēt vicies centena millia, & hæ quidem conditiones à Pontif. conſtitutæ fuerant. Hortabantur itaque Anglum, vt ipſe inſignia Galliæ ſibi vſurparet, ſimul & titulum, quo facto, liberos ſe poſſe fieri à iuramento præſtito. Rex à multa conſultatione ſic egit, atque ita confirmatum eſt inter eos fœdus.

Super ea re certior factus Galliæ Rex, egit per quædam cum Flandris velut nomine Pontificis vt deſerto Anglo ſuas partes deinceps



sequerentur, propositis magnificis præmiis. Quæ quidem omnia cùm recusarẽt, illico subsecutum est fulmen Pontificium. Terruit quidem Flandros, sed ab Anglo per nuncios & literas confirmati, moderatiùs tulerunt. Feruebat deinde bellum inter Flandros & Gallos: & Galliæ quidem rex, filium suum natu grandiorem præfecit, qui cum ingenti hominum manu vel in Hannoniam vsq; penetrauit.

Gulielmo Hannoniæ comite, ad cõfirmandas res suas, in Angliam, & pòst ad Ludouicum Cæs. profecto, Hannonia mirè affligebatur à Gallis, subinde incursiones facientibus. Sed reuersus è Germania comes, qui fœdere inito cũ Anglo, cũ Cæs. & plerisq; inferioris Germaniæ principibus, ingentes copias collegit, adiutus & ab illo, qui captiuos tantùm non habebat Flandrorum animos, Iacobo Arteuillano, hostem repulit.

Instructis ita vtrinque copiis, Hannoniæ comes vehementer optare prælium. Sed aliter visum est Brabantiæ duci, grauibus argumentis dehortãti, ne manus cum hoste, priusquam Anglus rediisset, quem habebãt istius belli tanquam auspicem, consereret.

Vt Gallus accepit, Anglum ad suos rediisse, quibusdam negotium dedit, vt collectis nauibus, ingressi mare, expectarent illius reditum, & appli-

& applicare volentem, magnis viribus adorirentur. Sed Anglus obuiam factum hostem strenuè repellens, fortunæq; præsidio adiutus, in Flandriam appulit.

Robertus Siciliæ rex, cuius ante facta mentio, quòd ex astrorum scientia futurum videret, vt Gallia ab Anglis durè admodum tractaretur, pro suo in hoc regnum amore, Auenionem appulit, obtestans ibi Pontificem, & Cardinalium cœtum, vt pacem inter duos potentissimos monarchas firmarent. Illi quidem operam & studiū suum polliceri, modò regum animi huc inclinarent.

Sub idem tempus arctissimum fœdus inierunt simul Brabanti, Flandri, & Hannonienses: ita quidem, vt si contingeret vnam aliquam regionem vastari bello, vel aliquo modo affligi, tum cæteri in subsidium venirent. Et, vt orta inter se dissidia ipsi componerent: sin minùs, vt tum Angliæ regis arbitrio, res mitigaretur, in cuius dexteram iurarunt omnes, pactum istud, ratum se habituros.

Coniunctis itaque sibi copiis auxiliaribus, Anglus obsidione cinxit Tornacum ingenti exercitu. Oppugnatum est aliquoties, sed frustra, oppidanis fortiter sese defendentibus, vt qui & milite, & rebus omnibus necessariis aduersus hostem essent muniti, ex mãdato Galli,

qui bonam consiliorum partem, quæ fuerant inter hostes agitata, compertam habebat.

Durante obsidione Tornacensi, Gallus aliquot copiis in Scotiam missis, obtestabatur duces in præsidio ad defensionem patriæ à Dauide rege ibi relictos, vt Anglos bello turbarent, quò hostis cogeretur, omissa obsidione, ad suos redire. Se missurum illis præterea magnam vim hominum, quorum subsidio aduersus hostem vterentur. Scoti rem strenuè egerunt, occupatis aliquot arcibus valde munitis, & vehementer afflicto hoste.

Interim Galliæ rex magnum exercitum collegit vt Tornacenses obsidione liberaret, & suppetias Gallo ferebant Carolus Bohemiæ rex, dux Burgundiæ, Britoniæ, Borboniæ, Lotharingiæ, comes à Bar, Geneuensis, Sabaudiæ, Alenconius, Flander: & præter istos, reges Nauarræ & Scotiæ, hic vt confœderatus, ille feudi ratione Galliæ subiectus.

Quòd Flandriæ comes narratur Galliæ regi tulisse opem, ne cui mirum videatur, reputanti Flandros Anglo fuisse adiunctos. Res ita habet. Iste, cuius ante meminimus, Iacobus Arteuillanus, tam erat popularis, vt ipsi comiti periculosum esset in Flandria versari, hac igitur ratione coactus est in Galliæ regis patrocinium sese dare.

Obsidio

Obsidio Tornacensis durabat plus minus tres menses, quo tempore plurimum laborabat Iohanna Valesia Galli soror, eadēq; Comitis Hannoniæ mater, vt ad pacis conditiones veniretur, hoc tandem effecit, vt præscriberetur dies, quo conuenirent & Galli, & Anglici proceres: qui deinde pacti sunt de inducijs, ad anni spatium, ita vt quisq; ea, quæ bello occupasset interim teneret. Sic igitur dimissus fuit exercitus. Hoc præterea statutum fuit, vt certo anni tempore venirent Atrebatum vtriusq; Regis, & Pontif. Clementis legati conuentum est: Angli plurima postulare: Galliæ Rex nihil offerre, præter Comitatum Ponthieu, qui Regis Eduardi matri, cùm in Anglia nuberet, datus fuit in dotem. Præterea nihil actum, nisi quòd inducijs alter est adiectus annus, & Anglus in regnum suum redijt.

DE BELLO BRITONICO.

CONSTITVTIS ita rebus, cùm Dux Britoniæ reditum in ſuam ditionem pararet: correptus in via graui quodam morbo, vitam finiit, non relicta prole maſcula, à ſe legitimè procreata. Erant illi duo fratres, quorum alter comes à Monteforti communem ſolum habebat cum eo patrem. Alter erat frater germanus, ſed vitam antè finiit, relicta vnica filia, quam quidem Britoniæ dux, cùm eſſet in viuis, nuptui dedit Carolo à Blois, Philippi Galliarum regis, è ſorore, nepoti.

Etenim Brito, metuens futurum, vt à morte ſua, comes Montfortius, frater, Britoniam occuparet, excluſa interim, ac velut exhæredata fratris ſui germani filia legitima, per matrimonium puellæ conſulendum putauit. Itaque voluit eam nubere nepoti regis, ea ſpe, conſilioq;, vt ſi quid alter moliretur, facilè poſſet illi obſiſti. Et ita quidem euenit.

Montfortius enim, ſtatim vt de fratris morte cognouit, bonam Britonię partem, & armis, & in deditionem receptis populis, occupauit. Deinde, pro confirmandis, atque tuendis rebus

bus ſuis, in Angliam profectus, re omni expoſita, Ducatus inaugurarionem ab Anglo ſuſcepit.

Et rex quidem Anglus, quòd per Britoniam videret acceſſum longè facillimum in Galliam ſibi patere: ſtudium & opem nouo duci pollicitus eſt aduerſus hoſtem, ſiue Gallum illum, ſiue quemuis alium. Cœpit enim illi iampridem diſplicere, quòd in ſocietatem belli Germanos admiſiſſet, in quos tantam vim auri profudiſſet, nulla re magna perfecta. Hęc adeò eſt huius belli cauſa, & vera origo.

Carolus à Blois, certior factus de cœptis & auſibus Montfortij, grauiter apud Galliæ regem queſtus eſt. Facta conſultatione, rex iuſſit citari comitem in ſenatum Pariſienſem. Venit ille. Habitis vltrò, citroque verbis, iniunctum illi fuit à rege, vt ne intra certum tempus vrbe diſcederet. Abiit tamen clanculum. Itaq; iudicatum eſt pro Carolo. Vehementer autem grauabat illius cauſam, quòd ab Anglo Ducatus inueſtituram cepiſſet: adeoque Gallus, Carolum declaratum hæredem, ſua voce hortatus eſt, vt armis ditionem ſibi iure debitam recuperaret, promittens illi operam ſuam, & ſimul alios proceres inuitans, vt Carolo æquiſſimam ſuſtinenti cauſſam, non deeſſent.

Itum eſt ad bellum copiis auxiliaribus pro-

cerum Galliæ. Præter cætera, tandem fuit etiam expugnata vrbs Nantensis, iis locis maxima. Captus ibi Montfortius, Lutetiam deinde missus ad regem: & ex huius mandato in custodiam abductus, tandem vitam finiit. Interim illius vxor, planè virilem animum repræsentans, confirmabat suorum animos, & reliqua loca nõdum ab hoste capta, præsidiis muniuit, & annona.

Constituta pace inter Anglum & Gallum, post solutam obsidionem Tornacensem, Anglus ad suos reuersus, comperit quanta calamitate Scoti interea regnum vexassent. Collegit exercitum. Scoti, absente rege suo, necessitate summa coacti, inducias impetrarunt ab Anglo, vt si intra menses quatuor non subueniretur à rege dederent se. Significatum est illud Scoto. Rediit, & copiis auxiliaribus adiutus, expugnauit quasdam Anglorum munitiones, & inter cæteras, vrbem Durenum, vbi prorsus nulli ordini, sexui, nec ætati parcitum est, quinetiam exusta templa. Scotus deinde, cùm persequendo bello tempus tereret, certior quoq; factus Anglum ingenti manu aduentare, ex consilio suorum retrocessit, pactione interim facta super induciis, quas tamen Scotus noluit suscipere, nisi prius rem ad Gallum, qui cum fœdus inierat, retulisset.

Galliæ

Galliæ nobiles, non alia ratione discesserant è Britonia, quàm quòd hybernum tempus vr- 1342.
geret. Sub æstatem rursus suas copias adduxerunt, occupaturi reliquam illius Ducatus partem. Qua de re certior facta Domina à Monteforti, missis ad Anglum legatis, auxiliũ implorabat, tali pacto, vt filius, quem è marito suo vita defuncto sustulit, vxorem duceret aliquam filiarum Angli. Placuit regi conditio, & missa fuerunt aliquot millia. Sed per duos ferè menses iactati procellis & fluctibus non potuerunt in optatum portum inuehi, atq; interea Galli quædam loca recuperarunt. Sed dictu mirum, quàm strenuè sese dederit ipsa Domina. Nec enim solùm munire arces, & animum addere suis, verumetiam armari, & comitata equitum turba, prouolare in campum, & hostem lacessere. Quinetiam in arce quadã, obsidione pressa, cùm pleriq; omnes deditionem suaderent, ipsa adeò sola inter viros resistendum putauit, & rem extraxit, donec aduenirent Angli, qui longo tempore mari errauerant, vt narratum est.

Quidam Gallorum Dux Ludouicus Hispanicnsis in deditionem accepit Britoniæ ciuitatem Dynantum. Et ciues quidem suum præsidem, quòd ad deditionem consentire nollet, interemerunt in foro. Huic vicina quædam

alia ciuitas Geranda ab eodem belli duce vi capta est, & ne paruulis quidem atq; infantibus parcitum: exusta quoq; fana deorum, sed Duci vehementer displicuit illa impia crudelitas, & strangulari iussit auctores scelerum. In deditionem etiam accepit ciuitatem Venetorũ, repugnante præside: & multa præterea alia loca. Summa, variè pugnatum est ab vtraq; parte & mari & terra, premebatur oppidum & arx illis locis, dicta Hamibout, summis viribus: & defendebatur maioribus. Nam ibi tum agebat Domina Britoniæ, cuius antè meminimus. Galli cùm tempus tererent & impenderet hyems, auctores fuerunt Carolo à Blois, vt copias dimitteret, & simul de inducijs paciscereretur, relictis in præsidio militibus. Id adeò factum est, & Domina nauigauit ad Anglum. Qui exercitum misit in Britoniam contra Gallos.

Sub idem tempus Angliæ proceres Regi suo fuerunt auctores, vt inducias cum Scoto paciscereretur stabiles ad triennium, si fieri posset. Grauissimum enim fore, vt vndiq; sustineret illam bellorũ molem, hinc in Scotia, hinc in Gallia. Missus ad Scotum legatus nihil impetrauit, quòd Scotus Gallum prius consulendum putaret. Conscripsit Anglus exercitum, vt Scotum euerteret: sed interea bonorum

rum virorum interceſſione ſunt impetratæ & ſtabilitæ induciæ. Anglicus exercitus, de quo cœptum eſt narrari, in finibus Britoniæ obuiam habuit Gallorum claſſem bene inſtructã. Commiſſum eſt prælium nauale, pugnatum in noctem vſque. Sub intempeſtam noctem orta tempeſtas longe periculoſiſſima, diſiecit eos, ſic vt plus centum milliaribus inuicem eſſent dirempti. In hoc etiam prælio virilem operam nauauit Domina à Monteforti. Angli tandem occuparunt portum non procul ab vrbe Venetorum, quam tum Galli tenebant: & oppugnarunt eam ſtrenuè. Tandem exercitu in tres partes diuiſo, duobus locis eam noctu acriter oppugnabant: & reliquum exercitum, dum eſſent omnes ad defenſionem intenti, loco minimè aduerſus hoſtem munito, admouentes, vrbem ingreſſi ſunt, cæſis & fugatis omnibus.

Erant duo quidam Galli nobiles relicti ad tuendam vrbem Venetorum. Illos vehementer angebat vrbem ita captam eſſe. Collegerunt itaque militem, & facta oppugnatione denuò illam ab hoſtibus extorſerunt. Et in his turbis vulneratus eſt Robertus Arteſius Anglicæ claſſis præfectus & belli dux. Auectus Londinum curãdi ſua cauſſa, ſtatim obijt. Quare permotus Anglus, vt mortem tanti viri ac

sibi tam chari vlcisceretur, ipse magna vi nauium in Britoniam appulit.

Tantus erat Anglorum numerus, vt eodem tempore obsiderent potentissimas ibi vrbes, Renensem, Venetos, Nantensem, vbi tum erat Carolus à Blois cum vxore: & oppidum Dynantum, quod etiam per vim expugnarunt.

Carolus à Blois ad Regem Galliæ scripsit de statu rerum omnium, de Angli aduentu & oppugnatione oppidorum, petens vt sibi in his malis posito subueniret. Gallus misit Ducem Normandiæ filium suum. Is secum adduxit
1343. plus minus 40. millia, & rectà contendit ad vrbem Venetorum, tum arctissimè obsessam ab Anglis. Et nisi hybernũ tempus plurimum attulisset difficultatis, prælio fuisset dimicatum. Præterea duo quidam Cardinales à Clemente Pontifice missi, pacti sunt inter eos de inducijs ad annos tres, iuramento interim à principibus præstito, se ratum istud habituros. Et Anglus quidem in regnum suum redijt.

Durante adhuc bello Anglus obsederat vrbem Venetorum recuperatam à Gallis: & defendebant eam nauiter duo quidam Galli nobiles, dominus à Clisson & Henricus dictus à Lyon. Hos contigit in leui quodam prælio ab

Anglis

Anglis capi, & quóniam viciſſim captus erat quidam ex primoribus Anglicis, conſtitutis inducijs, cœptum eſt agitari de permutandis captiuis, & Anglus quidem vt ſuum recuperaret, Gallis reſtituit dominum à Cliſſon, detento in cuſtodia Henrico. Hinc, vt veriſimile eſt, ęmuli conceperunt ſuſpicionem de Cliſſonio, tanquam Angli partibus addicto: ideoq; potius ipſum dimiſſum, quàm alterum. Summa, ſic creuit ſuſpicio, vt capitis de eo ſupplicium ſumeretur Pariſijs. Et ob ſimilem cauſſam pleriq; alij nobiles viri affecti ſunt capitali pœna. Miſerandum profectò ſpectaculum, præſertim cùm Cliſſonius in recuperanda vrbe Venetorum ab Anglis, functus fuiſſet optimi ducis & ſtrenui militis officio.

Hoc adeo factũ Galli malè habuit Anglum, reputantem in contumeliam ſui viros iſtos occiſos. Liberari iuſſit Henricum: & manumiſſo iniunxit, vt ad ſuos rediens, nunciaret Gallo ſe ita interpretari factum hoc, & exiſtimare idcirco inducias nuper conſtitutas, à Gallo violatas: ideoq; expectaret à ſe omnia hoſtilia. Nuncius ad Gallũ delatus eſt, & Anglus exercitum miſit in Aquitaniam, & alios præterea quoſdam ab ſubſidiũ Dominæ à Monteforti.

Baionæ & Burdegalæ ſummo applauſu accepti fuerunt Angli. Oppugnatione deinde fa-

cta ad vrbem Bergeratum adiacentem Garumnæ fluuio, ciues in deditionem acceperunt, iuramentum fidelitatis Anglico duci præstantes, nomine Regis. Ceperunt & plurima alia loca, partim deditione, partim vi & armis. Inter cætera occuparunt arcem egregiè munitam, Auberocham: & ibi relicto præsidio Anglicus Dux cum bona exercitus parte rediit Burdegalam. Interea Gallī ad xij mīllia numero vehementer obsidebant arcem istam, Anglis interim ibi stantibus in præsidio, multū afflictis. Verùm Anglicus Dux Burdegalæ certior factus, collectis plus minùs nongentis hominibus, sub vesperā Gallos iamiam cœnaturos repentè adortus, & prosiliēs è sylua quadā viciniori fudit, fugauit, & cepit plæroſq; omnes, capto & grauiter vulnerato ipsorū duce, quem iis locis, vt regulum aliquem habebant.

Obsidentibus arcem quandam Anglis, ciues præsidem suum recusantem facere deditionem loci, in vincula coniecerunt, non liberaturi eum, nisi consentiret. Consensit: & postea cùm Tolosam veniſſet, accusatus traditionis suspensus est. In deditionem quoque acceperunt oppidum Riolam: sed præfectus arcē dedere necdū voluit. Angli cuniculos agere, Subruta bona parte, præfectus periculi præsentiam considerans loco cessit, & Anglis arcem reliquit.

reliquit. Præterea Angoliſmam, euoluto menſe, quem optarant ſibi dari ciues; ea ſpe, futurum, vt interim à Gallo ſolueretur obſidio.

Suprà narratum eſt de Iacobo Arteuillano, qui tantus erat apud Flandros, vt etiam ipſi Comiti, non eſſet tutus acceſſus in ditionem ſuam. Sed tulit tandem præmium homine ſeditioſo dignum. Iniecerat Anglo ſpem maxi- 1346.
mam, id ſe facturum, vt communi Flandriæ conſenſu, omnis illa regio in ipſius Angli poteſtatem veniret. Pro qua re conficienda, Anglus inſtructiſſima claſſe in portum Flandriæ appulit. Res populo fuit propoſita: plæriq; omnes erant non malè in Anglum affecti. Gandauenſes verò peſſimè habuit incœptum hoc. Redeuntem in vrbem Iacobum minùs benignè acceperunt, ædes obſederunt ac perfregerunt, ipſumq; dominum per poſticum conantem euadere, occiderunt. Et inter cætera fuit iſta quoq; potiſſima accuſationis pars, quòd pecuniam omnem publicam, ad Anglum ſecretò miſiſſet. Habebat autem Flandriæ Comes filium vnicum. Sub idem tempus Guilelmus Hannoniæ Comes, cum auxiliaribus copijs in Phriſiam, cuius ſe verum eſſe dominum aſſeuerabat, nauigans, occubuit ipſe in prælio cum multis alijs nobilibus. Ab illius morte Margarita Hannoniæ princeps, Ludo-

uici à Bauaria Cæsaris vxor possessionem accepit huius comitatus. Gallus maximè cupiebat, Ioannem Hannoniç, virum nobilissimum & strenuum bellatorem, qui egregiã semper operam præstitit Anglo, sibi adiungere. Varijs modis negotium fuit tentatum. Et cùm aliter fieri non posset, inuenta est hæc vna ratio, vt persuaderetur Regẽ Angliæ nolle suas illi pensiones & annua salaria persoluere. Credidit: & protinus ab Anglo fuit alienatus, Gallo suam operam addicens. Gallus postquam intellexit Anglos depopulari Aquitaniam & occupatas iam ab illis plurimas tam vrbes quàm munitiones, collegit militem, & excreuit numerus ad centena millia. Ducẽ belli constituit filium Ioannem Normanniæ Principem. Opem tulit Gallo Odetus Burgundiæ Dux, & illius filius Philippus Artesiç & Bolonię Comes, vterq; instructissimus. Recuperarunt vrbem Angolisimensem. Obsidebant arcẽ, qua non alia munitior, Aguillonum, per deditionem antè receptam in Anglorum potestatem. Varijs modis oppugnatũ est ibi. Sed nemo credat quantis, & animis & viribus defenderint se Angli, stantes ibi in præsidio. Consultus Galliæ Rex, quid faciundũ existimaret, nunciauit filio, vrgeret obsidionem, donec inedia coacti sese dederent.

Anglus

Anglus certior factus, in quanto essent discrimine sui, exercitum illico coegit numero ad millia quatuordecim. Comitatus inter cæteros filio suo Eduardo principe Wallensi, & Gallo quodã nobili Godefrido ab Haricurto, qui regno pulsus à Gallo ad Anglum se contulit ad tuendum se ad vlciscendũ iniuriam. Gallus enim omnia illius occupauerat. Hic adeò auctor fuit Anglo, vt in Normanniã cursum dirigeret, cùm alioqui Rex nauigationẽ in Aquitaniam instituisset. Exercitũ in tres diuisit partes: quarũ duæ iuxta maritima loca deprædabantur agros, expugnatis aliquot oppidis & abductis captiuis, ne quid posteà molirentur, collectis viribus. Tertia, mediã regionem tenebat, in qua Rex. deuastantes omnia, sub noctem reuertebantur omnes ad castra Regis.

Gallus interim conscribi iussit exercitum, quo non fuit alius in Gallia multis annis visus potentior. Scriptũ est pro auxilijs, ad Regem quoq; Bohemiæ valde tum studiosum Galli. Occuparunt Angli oppidum Normanniæ opulentissimum S. Lupi, pòst ad oppugnationem properarunt longè opulentioris, Caen vocant, à fluuio præterlabente. Ciues, acie instructa volebant confligere cum hoste: quem vbi vidissent, homines insueti bello, fugerunt ad vrbem. Gallici duces in munimenta se re-

ceperant: sed vastam stragem in vrbe videntes (nam occuparant Angli) dediderunt se. Inter captiuos erat Conneſtablius: quem ipsum Rex Anglus postea vnà cum socijs, ab eo qui ceperat, redemit viginti millibus aureorum. Progressi sunt etiam Angli vltra Sequanam versus Rotomagum. Velites excursionem fecerunt ad vicina loca Parisijs, & cùm obuiam haberent ciues Ambianos Lutetiam ex mandato Regis properantes bene instructos, quòd dudum nihil militare subijssent, facto in eos impetu, diripuerunt illorum impedimenta.

Interim Gallus Lutetia cum suis copijs discessit ad S. Dionysium (quamuis deprecantibus Parisianis) quò reliqui principes conuenerant. Anglum miro quodā ardore persequens, venit Ambianum. Exercitum suū conatus est hostis per Sommiam traducere, sed neq; vadum nouerant vllum, neq; pontes à Gallis valido præsidio obsessos occupare poterant. Ab adolescente tandem fortè comprehenso (cùm esset propositum captiuis Gallis præmium & promissa liberatio) vadum fuit demonstratum. Id cùm suspicarentur etiam Galli, futurum, vt ea parte traijcerent, magnis viribus ibi se obiecerunt, & in fluuio acriter pugnatum. Sed tamen peruadebant Angli in fugam conuersis hostibus. Gallus interim accessit in

vrbem

vrbem Abbeuillam: & Anglus quidem illum in planicie expectabat collaturus signa.

Sub prælij tempus Deum orabat, vt felicem victoriam donaret. exercitum omnem in tres partes diuisit. erat in prima filius illius: vltimã ipse tenebat. Summis viribús vtrinq; certatum, sed tandẽ Angli victores extiterunt: quod mirum videri posset, præsertim aduersus tantam hostium multitudinem. Succubuit in hoc prælio Henricus à Lutzemburgo, pater Caroli Bohemiæ Regis. nam etsi captus erat oculis, in hostem tamen voluit pugnare. Inter pugnandum rex Anglus, qui necdum ingesserat se turbæ dimicantium, expectans occasionem, certior factus, filium suum, versantem in prima acie, grauiter vrgeri ab hoste, nuncijs respondens, Ne subsidium, inquit, hodie postuletis à me, quandiu filius meus adhuc superstes est. Volo enim vt hodie suæ virtutis specimen edat, vtq; victoriæ laus penes eum sit omnis, & eos qui in custodiam ei sunt adhibiti. Gallus sub noctem pauciſſimis comitatus è prælio discessit. Iussu Regis Angli censa sunt capita Gallorum qui succubuerant in prælio. Inuenti vndecim Principes, octoginta Barones, mille ducenti equites, & plus minùs triginta millia. Ex mandato Regis nobiliores omnes sepulti in vicinis oppidis, & datæ tri-

dui induciæ ad sepelienda cadauera.

Parta contra Gallos victoria, Anglus rectà contendit Caletum, & obsidione oppido circumdato requiescebat, expectans vt inedia tandem ad deditionem compellerentur. Interim Gallus duci Normandiæ filio, oppugnanti arcem Aguillonum, nunciauit vt relicta obsidione copias suas in Galliam adduceret, quò Anglis omnia passim occupantibus resisti posset. Priusquam hæc ad exercitum essent delata, prælium fuit inter Gallos & Anglos. huic interfuit Philippus Burgundionum Ducis filius: qui collapsus cum equo, non ita multò pòst vita functus est. Cùm obsideretur Aguillonum, cui præerat Baro quidam Anglicus, apud Burdegalam erat Comes Derbij; quem Anglus in Aquitaniam præmiserat. hic adeò cum intellexisset arcem obsidione liberatam, & abijsse Normandiæ Ducem, collectis plus minus sex millibus, bonam Galliæ partem ijs locis peruagatus, tandem Pictauium vi cepit: ac deinde Burdegalam reuersus exercitum dimisit, sed nullum, ob vastitatem vrbis, Pictauij reliquit præsidium.

In obsidione apud Caletum occupato Anglo, Scotiæ Rex Dauid, & sua sponte, & Galli precibus incitatus, quòd militem omnem Anglicum

glicum in expeditione crederet esse cum Rege, vel maximã saltem partem, collectis plus minus quadraginta millibus, in Angliam properauit. Interim Angliæ Regina viriliter sese dedit, consilium captans cum Angliæ proceribus & Episcopis. Conscriptus est subitò exercitus, pugnatum acriter: & interfuerunt prælio aliquot Archiepiscopi & Episcopi Angli. Obtinuerunt autem victoriam, tametsi numero multò inferiores Scotis. In pugna captus est Rex Scotus cum plurimis alijs. Occisorum numerus surgebat ad quindecim millia, reliquis in fugam versis. Facto prælio, Angliæ Regina, traiecto mari, Regem maritum inuisit.

In pugna, cuius antè facta mentio, perijt etiam inter cæteros, Flandriæ Comes, qui propter factionem Iacobi Arteuillani coactus erat Gallo sese in clientelam dicare. Reliquit filium Ludouicum, id temporis quindecim annorum. Anglus industria & ope Iacobi Arteuillani sperabat se posse efficere apud Flandros, vt rerũ ibi potiretur, vtq; filius suus princeps Wallensis omnem Flandriam illorũ consensu teneret: sed interfectus est author tam impij consilij, vt narratum. Nolebãt enim exhæredaret sui principis filium. Itaq; Anglus cœpit tractare de matrimonio inter iuniorem

Flandriæ Comitem, qui tum erat in aula Galli, (nam eò cum patre profugerat, rebus malè constitutis in Flandria,) & filiam suam Isabellam. Hìc sese oppositit Brabantiæ Dux. nam & is filiam tunc habebat. Excogitatus est modus à Flandris vt Comitem suũ abducerent à Gallo. venit in Flandriam iniecta spe recuperandæ possessionis paternæ. Interim Anglus rem suam diligenter agere apud proceres. Per illos de matrimonio propositum est Ludouico. recusauit modis omnibus, quòd illius filiam ducere nollet qui parentẽ suum interemisset. Cùm ita perstaret in sententia, nec aliud responderet, Flandriæ consiliarij in custodiam abduxerunt, non futurum liberum nisi consilio seniorum pareret. Ita persuasus est, constitutus dies, conuentum ab Anglo, illius vxore, & Flandriæ primoribus: tractatum negotium. consensit ille, & simul fidem dedit: redijt in Flandriam, nec tam arctè custodiebatur quàm antè. Sub tempus nuptiarum, comitatus quibusdam ad venationem abijt. ibi simulans se persequi suum falconem, quem in ardeam emiserat, paulatim magis ac magis progressus, euasit ex illorum conspectu, & sic ad Gallum redijt. Quo tempore Anglus oppidum Caletum obsidebat, exactum erat tempus induciarum, quę per Cardinales quosdam

erant

erant constitutæ inter Carolum à Blois, & Dominam à Monteforti: vt antè dictum est. Itaq; rursus ad arma deuentum. Anglus mediocrem equitum numerum eius exercitus qui Caletum obsidebat, subsidio misit Dominæ. Occupantes Anglos arcem quandam & vrbem, Carolus à Blois arctissimè obsedit: sed Angli quidam alij à Domina repentè missi, prima luce præter expectationem irruentes in castra Gallorum, qui propter pridiani cuiusdam conflictus benigniorem fortunam negligentiùs excubias agebant, bonam illorum partem fuderunt, & ipsum adeò dominũ Carolum à Blois imparatum ceperũt. Anglus interim acriter obsidione premebat Caletum. Gallus, vt solueret obsidionem, copias ingentes collegit. Qua de re certior factus Anglus, & loca maritima & campestria, quibus accessus erat Gallis, ita præmuniuit vt nusquam pateret illis iter. Gallus optabat ab Anglo sibi fieri potestatem pugnandi. videbat enim præclusum sibi omnem aditum. Anglus, quòd per anni ferè spatium oppidum obsedisset, magna vi auri profusa, compendium hoc retinendum sibi putauit. Et sub idem tempus à Clemente missi duo Cardinales pro conciliandis principibus, per triduum habita collocutione cum vtriusq; Regis delegatis proceribus, nihil ege-

runt. Itaq; Gallus omnem exercitum ſtatim dimiſit. Caletenſes omni ſe deſtitutos & ſpe & præſidio cùm viderent, de deditione agebant. Anglus illam recuſare, niſi de fortunis & illorum ſalute pro ſuo arbitrio ſtatuendi libera ſibi permiſſa poteſtate. Diſſuadentibus hanc illius pertinacem iram conſiliarijs, quòd peſſimo fieret exemplo, tandem eò res deducta, vt ex omni ciuium numero ſex potentiores, nudi caput & pedes, laqueum collo, & claues oppidi manibus ferentes, libidini ſuæ & arbitratui dederentur.

Hoc nuncio in ciuitatem illato, ſummus repentè luctus ibi natus. In hac animorum conſternatione, cùm quidam minimè plebeius, pro ſalute patriæ inedia penè confectæ, mortem ſe non reformidaturum palàm diceret, quinque deinde alios in ſimilem rapuit affectum.

Hos ad eum modum productos quo voluit is qui tum vitæ neciſq; poteſtatem in eos habebat, & eiuſdem mandato iam capitis pœnæ deſtinatos, cùm fruſtra nobiles viri omnes interceſſiſſent, vix tandem ipſa Regina, conſumptis in eam rem multis rationibus, morti eripuit. Miſſis deinde qui arcem & oppidum occuparent, iuſſu Regis coloni veteres migrare coacti, & ex Anglia familiæ eò traductæ. Poſtea ſu-

ea ſuper inducijs, opera cuiuſdam Cardinalis, ad biennium tranſactum eſt.

Calétum Anglus commiſit Itali cuiuſdam tutelæ & fidei. Porrò nobilis quidam Gallus, ad ſanctum Odomarum in præſidio relictus, quòd ſciret nationem hanc præ cæteris valde cupidam auri, tacitè cum hoc egit vt arcem ſibi venderet. precium erant viginti aureorum millia.

Certior factus Anglus qua neſcio ratione, & diſſimulans omnia, vocato ad ſe Italo, percontari de facto. Ille, cùm aliud non liceret, fateri, & veniam orare. qua impetrata, diſcedenti Rex iniunxit vt quod inſtituiſſet, non prætermitteret. Ad conſtitutum diem, pridie Rex bene inſtructus, quàm potuit occultiſſimè Caletum venit. Gallus, qui aurum dependit, rerum omnium ignarus, præmiſit equites ad occupandam arcem. Intromiſſi, repentè, cùm nihil eiuſmodi ſuſpicarentur, ab Anglis comprehenſi. inde ſub lucem Anglus extra vrbem prouolans, & reliquos ibi Gallos exitum rei manentes adortus, fugauit & cepit, cumq; his eum qui proditionis cauſſam dedit.

Valeſius Rex id temporis alteram duxit vxorem, Philippi Nauarræ principis filiã. Quin & ipſius natu grandior filius, Ioannes, matrimonio ſibi adiunxit per idem ferè tempus, Io-

hannam Boloniæ dominam: vxorem quondam Burgundionum Ducis filij, illius, qui ad oppugnationem Aguilloni, vitam finijt, anno 1346.

1350. Philippo Regi vita functo succeſſit Ioannes, qui non multò poſt coronationem Lutetiæ capitis pœnam ſumpſit de Conneſtablio, nuper ex Anglorum cuſtodia liberato. Rex illum proditionis reum agebat.

DE IOANNE PHILIPPI VALESII FILIO, GALLIARUM Rege.

CREATO Rege Ioanne, Clemens, Auenione deſijt eſſe apud ſuperos. Ab hoc electus eſt Cardinalis Oſtiæ, natione Gallus, antè quidem vocatus Stephanus Albertus, ab electione autem, Innocentius Sextus, Bohemię principem, & Ducem à Lenclaſtre ob conuicia mutua exacerbatos, iamq; paratos μενομαχεῖν, Gallus, negotio compoſito di-

to diremit. Iussu Regis necato Conneſtablio, vt diximus, Carolus ab Hiſpania, cui Rex Angoliſmenſem ditionem dederat, in vxorẽ ducta filia Caroli à Blois, ad hãc dignitatem euectus, à Carolo Nauarię Rege, cum ad quietem ſe composuiſſet, necatus eſt. Eo facto multum, vt credibile eſt, fuit Galliæ Regis animus perturbatus, at certæ conditiones illum rèconciliarunt. Huic ſic interempto ſucceſſit Iacobus Borbonius. Et induciæ, inter Gallum & Anglũ, ad menſem Aprilem conſtitutæ, in ſolſtitium æſtiuũ extractæ ſunt. Vtriuſq; enim Regis legati, Auenione, apud Pontificem, cùm pacis inter eos rationes coire non poſſent, inducias couſq; protraxerunt.

Princeps Wallenſis exercitũ in Aquitaniam adduxit. Anglus, bellum facturus in Gallia, Caletum venit. Huc miſſo nuncio, Gallus detulit μονομαχίαν, Anglus recuſare. Gallus eccleſiæ proceres, nobilitatẽ omnem, & ciuitatum primores, Lutetiam per literas euocauit, gerendi belli neceſſitatem exponens. Actum eſt ibi de conferendo tributo, nec in ea re quiſquam immunitatem obtinere potuit.

In arce Rotomagenſi, Rex Nauarræ, Ioannes Comes ab Haricurto, multiq; alij, inter prandendum à Galliæ Rege, qui ſubitò illuc nemine quicquam ſuſpicante venit, capti ſunt.

Rex Lutetiam abductus in custodiam, Haricurtus in cœtu nobiliũ, maledicta nescio quæ profuderat in Regem, absentem: grauiter cõtendens, imperatum nuper tributum minimè pendendum esse, & simul inhortans reliquos, vt eam sententiã obstinatè sequerentur. Hinc accusationis initium, hinc supplicium. Nam capite truncatus ex mandato Regio, postea suspensus est.

Anglifilius, qui nuper in Aquitaniam, vt diximus, aduenit, Burdegala discedens, vicinam regionem omnem putà, Pictauiensem, Turonensem, Berriamq; depopulatus est: & collectis ibi rebus necessariis, quod reliquum erat, perdidit, effusis vinis, exustis frugibus, vt ne in hostium vsus transferri possent. Interim Gallus apud Carnutenses magnam vim militum habens collectam, summa festinatione, & hostili prorsus animo persequebatur Anglum. Et cùm non procul abesset Pictauio, resciuit hostem prope posuisse castra. Illico habita consultatione, exercitum omnem in tres ordines partitus, in primo, Ducem Aurelianensem, in altero, filium Carolum natu maximum, collocauit: tertium ipse tenebat. Hostium numerus admodum erat exiguus. Vt per exploratores intellexit Gallus, qua ratione essent ad prælium instructi, & simul, versari

eos

eos in loco, natura, & ipsorum industria munito, præcepit, vt pedites pugnarent omnes, trecentis, aut eo amplius ex equis pugnaturis, qui sagittarios impetu facto dissiparent. Aderant quatuor ipsius filij, Carolus, Ludouicus, Ioannes, Philippus. Hi cùm res malè ageretur, & ad Anglos inclinaret victoria, in munitiones longinquiores abducti sunt. Innocentius, qui Clementi successit, duos in exercitum misit Cardinales de pace acturos, sub ipsum tempus quo stabant hinc & hinc suo ordine firmatæ acies. Variis modis res agitata fuit. Gallus videbatur aliquantò duriores proponere conditiones. Ab altero Cardinale multum fuit desudatum: sed accepto nuncio à Rege, vt, nisi de vita periclitari vellet, omnem pacis mentionem abiiceret, discessit. Ventum est ad manus, pugnatum acerrimè, nunc huc nunc illuc aliquandiu inclinante fortuna. Sed strenuam hîc operam nauarunt sagittarij Anglici, tum, si quando aliâs, inuictis planè animis & robore: ita quidem vt ipsorum virtute solùm fractis hostium viribus, à minimo exercitu parta sit eo die victoria insignis, qua nescio an vetustas vllam proferre possit clariorem. Vt de numero cæsorum nihil dicam, inter quos multi potentes viri, captus adeò Rex ipse fuit vnà cum Philippo, natu minimo filio, quem prælium com-

missurus apud se esse voluit. Et quoniã ea tum fuit Regis fortuna, quiuis facilè intelligat quo in loco fuerint cætera turba. Princeps captiuũ Regem secum abduxit Burdegalã. Dum hæc apud Pictones gererentur, Nauarrij (quem in carcerem suprà diximus abductum) frater, auxiliaribus copijs multũ auctus, Normanniam rapinis & incursionibus vexare.

Galliæ ordines, de tuendo regno consultaturi, Lutetiam conuenerunt, quandoquidem & Rex in hostium erat potestate, & filij per ætatem non satis prospicere poterant. Ex omni numero triginta sex constituti sunt, quibus rerum administratio, donec solutus esset custodia Rex, committebatur. Sub proximum ver Angli filius traiecto mari, Gallum & cum eo filium in Angliam abduxit, pactione interim super inducijs facta per Cardinales, qui ipsi deinde, inter Anglum & Scotum vt pax coiret, plurimùm laborabant, adiuuante illos in hoc tam pio negocio, Episcopo sancti Andreæ apud Scotos. Sunt autem hæ conditiones initæ susceptæq; pacis, primùm, vt ne Scotus vnquam aduersus Anglum inceptaret bellũ, imò vt suos in Angliam volentes facere excursiones, pro sua virili cohiberet. Deinde vt in regnum reuersus, id ageret apud populum, vt Scotia esset Angliæ subiecta deinceps, ratione feudi,

feudi, quod vocant, & inaugurationis. Quod etiamsi populus recusaret, Scotus ipse nihilominus perpetuam & firmam cum Anglo concordiam seruaret. postremò, dependeret Anglo intra decennium quingenta aureorũ millia. Cuius quidem rei gratia daret obsides aliquot regni principes viros, in Angli potestate futuros, donec depenso auro fidem suam liberasset. His ita peractis & literis fide dignis in eam rem conscriptis, Rex Scotus, qui nouem annos, & eò plus captiuus in Anglia fuit, ad suos reuertit.

Pleriq; omnes Galliæ nobiles & ciuitatum primores optabant Nauarrium (qui Lutetia in Picardiam abductus erat) custodia liberatum. Per ipsos adeò ordines ad Carolum Regis filium, relatum est. Ille, quòd caussæ esset ignarus propter quam Rex eum voluit captiuum, nihil audebat statuere. Tandem quorundam auxilio, qui miris technis in arcem, vbi detinebatur, erant recepti, exemptus, Lutetiam venit: vbi coram omni populo, suum in Galliam amorem & voluntatem exposuit, ita vt magna pars, in eum quàm Normannię Ducem essent propensiores. Imprimis autem illi fauebat, cuius ad Parisianos non leuis est auctoritas, vrbis præfectus.

Gallo apud hostem capto, miri fuerunt mo-

tus, & magna scelerum impunitas, vt fieri solet, dum qui facinora cohibeat, & sontes plectat, vix vllus extare creditur. Collecti grassatores vexare omnia rapinis, obsidere vias, deprædari quosuis. Quin & inter ipsos proceres non satis conuenire, cœpitq; nobilitati displicere triginta sex virorum Imperium, qui regno præerant. Sed omnium maximè horrenda fuit illa seditio & colluuies rusticorum, qui vndequaque collecti in Campania & circùm, paulatim magis augeri, sic vt ad centum millia surgeret ipsorum turba. Putabant hi nobilitatem omnem regni interficiendam. Proinde, facto impetu, diripere nobilium ædes, religare dominos ad postes, & in illorum aspectu violare coniuges atq; filias, totam deinde familiam mactare crudeliter, & domos exurere. Cumq; esset tanta illorum immanitas, vt fœminæ potentiores, ni vellent impurissimorum hominum libidini esse expositæ, cogerentur sese abdere: contracto exercitu, pugnatum in eos. Ad Meldam oppidum oppressi omnes, aut in Matronam præcipitati.

Regis filius, inter Nauarrium & vrbis præfectum tacitam esse conspirationem videns, Lutetia cessit, collectis copijs, & spectabat res ad tumultuosum exitum. obsidebat enim vrbem. Sed Episcoporum quorundam intercessione,

sione, reconciliati sunt principes.

Cæterùm præfectus vt miscere et omnia, nocte quadam statutum habuit eos, qui sequerentur aduersas partes, opprimere: iamq; trãsegerat cum quibusdam, foris expectantibus prædam, qui certo noctis tempore vrbem inuaderent. Sed patefacta traditione deprehensus ipse noctu, cum clauibus vrbis, oppressus est, & cum eo scéleris conscij. Præfectus hic, rebus ita turbatis, Lutetiam primus omnium cinxit muris, fossis atq; portis. Nauarrius de huius nece & oppressione certior factus, quòd plurimùm amasset, ob beneficiorum acceptorum magnitudinẽ, indignitate rei, tum quòd & ipse facinoris auctor haberetur vulgo, & sua sponte, & instigante fratre Philippo (qui Normanniam prius infestarat bello, & nihil optabat vehementiùs, quàm ægrè facere Galliæ) bellum denunciauit, & acriter gerebat, multis ad Sequanam & Matronam factis incursionibus, apud Ambianum etiam & Attrebatum expugnatis aliquot oppidis, & munitionibus. A præfecto, cuius facta mentio, magnam auri vim accepit, itaq; commodum erat illi militem alere. Quinetiam plurimi fauere illius instituto & rebus omnibus. Hinc adeò factum, vt non paucas arces & oppida, citra magnam difficultatem, sæpe occuparit, adeò

quidem, vt Ambiani aliquot ciues potentiores, certa noctis hora militi illius oppidum patefecerint, vbi tum præter arcem nihil restabat expugnandum. Sed bona quadam fortuna super irruentes equites Galli, cœptum interturbarunt, fugato hoste, & proditionis auctoribus ad supplicium raptis. His malis, vt fieri solet, adiunxit se rerum penè omnium maxima caritas, adeò vt tenuiores ægrè vitam tueri possent. Et durauit hæc pestis, annos quatuor. dum enim fortunæ omnium ordinum militis rapacitati expositæ sunt, dum agricolis tutum non est vacare labori, dum mercatores, nisi maximo facultatum suarum, & vitæ periculo, commeare non possunt, quid aliud inde, quàm commune malum, quodq; ad singulos redundet, oriri potest?

Nauarrij, certo tempore, tantum non intercepti, cùm existimarunt necessariò sibi cum hoste confligendùm, occupato colle editiori, quandoquidem turba vincebantur, calcaria omnia in vnum aceruum deferentes, erigebant sursum rotulas, vt in adeundo hostem impedirent. Sed superueniens hesperus Gallos cohibuit à pugna. Noctu, magno silentio se receperunt in vicinum vicum, & extructis ignibus quasi pernoctaturi, præter Gallorum spem illico discesserũt, frustra eos persequente hoste.

hoſte. Inter cætera tenebant Meludunum ad Sequanam. Ad obſidionem huius miſit Normanniæ Dux quatuor millia equitum. Sed interceſſerunt Cardinales quorum antè facta eſt mentio, qui pacem inter eos firmarent. Philippus autem Nauarrij frater, noluit vnquam in conditiones pacis aſſentire, obijciens germano, quòd præſtigijs & incantationibus deluderetur. Itaq; contulit ſe ad munitiones maritimas, Anglo ſubiectas.

Firmata pace inter Gallos & Nauarros: iam exactum erat tempus induciarum, quæ Ioanne Rege in Anglia capto, per Cardinales ad triennium erant conſtitutæ, inter Anglum & Gallum. Itaq; omnes qui ſub Nauarra militauerant, ad Anglicos Duces ſe contulerunt: ſic malum vnum plurima alia ordine ſecum traxit. Sed Angli tunc duriter à Gallis excepti fuerunt, quanquam non ſine magno detrimento miſerorum, qui vel ruri, vel in oppidis non ita munitis habitabant. In hos enim quicquid lubitum eſſet deſignabant Angli, externo milite comitati. Finito induciarum tempore, vt diximus, Anglus, filius illius natu grandior, Gallus, & Iacobus Borbonius priuatim inter ſe Londini egerunt de pace, cuius formulas ad Ducem Normanniæ miſerunt. Ille retulit ad tres ordines. Habita conſultatione vehementer

displicuerunt,& nuncijs responsum est, malle se multò adhuc duriora sustinere, quàm illas admittere. Responsum hoc malè habuit & Gallum captiuum & Anglum, adeò,vt hic statim iusserit conscribi exercitum, qualem nemo vnquam ex Anglia prodeuntem vidit. appulit Caletum vnà cum quatuor filijs. Et priusquam ex Anglia decederet, exponebat coram omni exercitu suas rationes atq; consilia, nimirum, se expeditionem deinceps facere in Galliam, ea spe & animo: vt illos adigeret ad suscipiendas conditiones, quæ quidem sibi & honori, & vsui, & dignitati esse possint. Nec prius finem facturũ se neq; reuersurum quàm ex voto rem gessisset.

Proinde si quis esset omniũ, cui hæc ratiò non placeret, vt is domi se contineret: sed conditionem libenter omnes acceperunt.

1359. Caleto Anglus venit Remos, & cùm videret vrbem pro sua magnitudine bene munitam, nunquam oppugnare voluit, ne temere faceret iacturam sui exercitus, quem ad maiora seruabat. Postquam obsedisset ad menses duos & eò plus, contendit in Burgundiam. Ibi Dux missis legatis, orauit ne sineret deprædari militem suam ditionem. Exoratus est Anglus, vt erat summa humanitate, sed ea lege, vt Burgundus penderet centum aureorũ millia. In-

lia. Interim Gallia miserè vastabatur partim ab Anglo, partim à reliquo illius exercitu, apud Picardos relicto, partim à Rege Nauarræ, qui denuò cõcitatus erat in Ducẽ Normannię.

Auenione, quidam Franciscanus, futurum prædixerat, vt & ecclesiasticus ordo multa pateretur, propter ambitionem, auaritiam, atq; superbiam, & Gallia durissimè affligeretur exterorum incursionibus, adeò quidem, vt nulla illius pars ab hoc malo tuta esset futura.

Pontifex hunc in vincula coniecit, quòd minùs grata denunciaret. Anglus Normanno prælium sese commissurũ significarat. Sed iste fortunam experiri metuens, Lutetiæ substitit.

Normannus considerans præsentem rerum statum non diu posse consistere sine maximo & exitiali damno Galliæ, legatos ad Anglum misit, ex consilio procerum, qui de pace agerent. Actum est variè, & vix videbatur posse cõire inter eos concordia. Nam Anglus hoc sibi planè propositum habebat, iure sibi deberi Galliam.

Dum ita consultaretur, prope Carnutenses 1360.
subitò coorta tempestas, quæ & homines & equos prostrauit, ita commouit Regem, vt votum faceret se velle animum ad pacem adijcere: atq; deinde Caleti expeditum est negotiũ, cuius hæc ferè est summa: Vt Rex Anglus &

illius deinceps hæredes atq; ſucceſſores tenerent comitatus, vrbes, arces, munitiones, dominia, inſulas, reditus atq; prouentus Aquitaniæ, item vrbem, arcem, comitatū, & omnem ditionem Pictauienſem, vrbem & arcem Rochellæ, Lemouicum, vnà cum omni regione. Ad hæc tam vrbem Angoleſmenſem, quàm arcem cum vniuerſa ditione: item Caletum, & multa præterea alia, quorum vt ingens eſt numerus, ita faſtidioſum ſit, illa recenſere. Vt Gallus renunciaret his omnibus, & ſimul feudis atq; iuri quod vel ipſe vel illius hæredes atque ſucceſſores, vllo modo requirant, vtq; hæc omnia Anglus teneret liberè, nec opus haberet Regem Galliæ aut illius ſucceſſores, vt ſuperiores in hoc agnoſcere. Item vt viciſſim Anglus pro ſe, ſuis hæredibus & ſucceſſoribus renunciaret nomini, titulo, & iuri, quod vel ipſe vel illius poſteri prætendant in regnum Galliæ. vt renunciaret etiam portioni, quam poſtulabat ex Ducatu Normanniæ, Andegauenſi, & Turonenſi. Item omni iuri Britoniæ. Hæc & alia multa, quæ copioſiùs apud auctorem, vterque Rex ſanctè iurarunt, & eorum filij. Porrò, ad maiorem confirmationem, dati ſunt à Gallo obſides, Dux Aurelianenſis, Andegauenſis, Berriæ, Borbonius, plus minùs duodecim Comites atque Barones:

nes: item potentissimæ Galliæ ciuitates, aliquot maximè præstantes viros mittebant singulæ. Et his quidem omnibus Londinum adductis, Gallus Lutetiam rediit, magno suorum desiderio. Et statim ad omnes officiarios, præsides vrbium, munitionúmque suarum, quas Anglo cesserat, scripsit, vt migrarent. Sed dictu mirum, quàm hoc ægrè fecerint plerique omnes. Nimis enim durum & insolens videri illis, ferre iugum & imperium Anglorum. Præcipuè verò Rochellenses impensè precari. Sed Gallus æqui & honesti studiosus, à pactis & iureiurando minimè discedendum existimauit. Ideoque iuxta formulas contractus agi per omnia mandabat. Vicissim ab Anglo missi sunt, qui certas arces & munitiones bello partas, Gallicæ ditioni restituerent. Liberatis ad hunc modum oppidis atque munitionibus, milites iam olim assueti rapinis atque prædis, cum reditum ad suos, & inutilem sibi & minùs etiam tutum esse iudicarent ob admissa facinora, fortunam deinceps experiendam putarunt. Itaque collecti grassabantur per campaniam, & loca vicina, depopulantes omnia, aucto indies numero, vt fieri solet. Gallus certior factus de ipsorum improbitate & nequitia, Iacobum Borbonium misit cum exercitu. Inuenit eos considentes in altissimo

monte, cuius ea fuit forma, vt numerũ copiarũ nemo posset omnẽ contemplari. Et cùm essent ad sedecim millia, non videbantur exploratoribus excedere quinq;. Conserto prælio, acriter pugnatũ est, sed deteriorem partẽ fortuna iuuit. Multi perierunr in eo prælio clari viri. Vulneratus grauiter ipse Borbonius vnà cum grandiori suo filio Petro. Abducti Lugdunũ, triduo pòst obierũt. Parta victoria, facinorosi isti rectà tendebãt Auenionem: qua re Pontifex & Cardinaliũ cœtus summo repentè metu sunt perculsi. Nam tanta erat sæuitia & improbitas, vt nemo se illis opponeret. Cæterùm in his angustiis positi, quò repellerent immanissimam gentẽ, quæ nullũ non maleficij genus perpetrabat, crucẽ prædicari iusserunt, concessa admissorũ omnium remissione. Conuenere plurimi. Sed cũ salarij nulla fieret mentio, subduxerũt se omnes. Hoc ipso tempore Marchio Montferratensis in Duces Mediolanenses bellũ gerebat. Egit igitur Pontifex cũ isto, vt hanc colluuiem omnem secũ in Insubriã abduceret. Atq; ita euenit. Acceptis enim à Pontifice & Collegio Cardinaliũ sexaginta millib. aureorũ, propositis etiã à Marchione salariis, illum secuti sunt, & strenuã ei operam nauarũt. Gallus per Ducatũ Burgundię (qui tũ morte iunioris Ducis ad eũ fuit deuolutus) venit Auenionem,

1362.

nem, salutatum Pontificem, qui non multò pòst obiit. Et cùm de electione non conueniret (duobus quibusdam maximè ambiētibus) electus est abbas quidam sancti Victoris apud Massiliam, vir doctus & pius, vocatus deinde Vrbanus papa. Rex Cypri Auenionem appulit, 1362.
vehementer obtestans & Pontificem & Gallum, vt expeditionem facerent aduersus Sarracenos & hostes fidei Christianæ. Pontifex in concione rem proposuit. Suscepit crucem Gallus cum bona suorum nobilium parte. Postea Cyprius in Bohemiam abiit, ad Cæsarem id temporis, inde per Germaniam, Brabantiam, & Flandriam venit in Angliam, idem rogans Eduardum regem, sed is honestè se excusauit. Ex Anglia rediit Ambianum, vbi tum Gallus erat. Pòst in Aquitaniam accessit ad principem Wallensem. Et sub idem tempus principi natus est filius, Eduardus nomine.

Obsides pro Gallo datos malè habuit, tam diu detineri se custodia. Rex Eduardus, vt erat facilis & humanus, permiserat illis adire Caletum animi recreandi caussa, tum etiam vt Galliæ viciniores, negotium suum eò commodius tractarent. Subinde miserunt ad regem & Normanniæ ducem. Gallus, quòd esset occupatus in adornanda expeditione contra Sarracenos, deinde etiam quòd bello vexaretur à

rege Nauarræ, non commodè potuit illos expedire. Itaque factum est, vt dux Andegauus regis filius, relictis socijs obsidibus, in Galliam reuerteretur.

Gallum incessit mira quædam cupiditas reuisendi Anglum, quòd benignè esset ibi tractatus. Dissuasum illi fuit, perstitit tamen in sententia, vt filium suum etiam propter abitionem excusaret. Abijt, receptus est honorificè. Non multo pòst aduersa valetudine correptus Londini, obijt. Relatus in Galliam, in sancti Dionysij oppido sepultus est, præsente Rege Cypri.

Rex Nauarræ, existimans sibi datam meliorem belligerandi occasionem, collegit militem vndecunq; potuit, & commissum est prælium satis acre, in Normannia.

Ioanni Regi successit filius Carolus, antè dictus Normanniæ Dux, eodem anno coronatus Remis, vnà cum vxore filia Petri Borboniæ Ducis. Coronationi interfuerunt inter cæteros, Rex Cypri, Wenceslaus à Bohemia, Dux Lutzemburgi & Brabantiæ. Cùm Parisios reuertisset nuper coronatus Rex, fratrem suum Philippum natu minorē, qui cum patre Ioāne fuerat in Anglia captus, declarauit ducem Burgundiæ. Rex Ioannes priusquā in Angliā nauigaret, erat hoc ipsum filio Philippo pollicitus.

DE

DE CAROLO, EIVS NOMINIS QVINTO.

NONDVM erat Gallia prorsus purgata rapacibus istis quorum suprà meminimus, & in Normannia vicinisque locis, plerique coniuncti Nauarris, mirè infestabant illam, belli Dux erat, Ludouicus à Nauarra. Carolus Rex fratrem Philippum Burgundiæ Ducem, nuper factum, præfecit, vt in hostem confligeret: hic pleraque omnia recuperauit. Sub idem tempus, comes à Montepeliardo, adiutus à quibusdam Germanis confœderatis, propè Vesontiũ irrupit, in Heduos. Huc Burgundus statim adduxit suas copias, sed migrarant hostes.

In conditionibus pacis, inter Anglum & Gallum, quorum capita breuiter retulimus, exceptum erat negocium Britonicum, & promiserant vterque Rex, daturos se id operam, vt dissidium æquabiliter componeretur. Sed parum diligenter tractatum fuit negocium, & contigit Regem Ioannem mori, vt diximus. Quò magis incruduit bellum, Gallus subsidio misit Carolo à Blois, (qui datis filijs obsi-

dibus è cuſtodia fuit exemptus) mille equites. Ioannes comes à Monteforti auxilia impetrauit, cùm ab aliis, tum ab Anglis, id temporis Aquitaniam occupantibus. Paratis iam ad dimicandum exercitibus, nobilis quidam Britonicus, captiuus, cui armari non licebat, interceſſit, ſuppliciter orans vt amicè tranſigerent, neque ſinerent rem ad manus venire. Credibile eſt, illum potuiſſe exorare. Sed Angli quidam nobiles tacitè orabant comitem Montfortium, qui copiis præerat, ne pacis vllæ rationes cum Carolo ſuſciperentur. Iſti enim quòd omnia ferè ſua profudiſſent, cupiebant armis vel iacturam omnem recuperare, vel id ſi non contingeret, reliquum amittere. Itaque commiſſum eſt prælium, multùm acre, ſed Angli virtute ſuperiores, in fugam conuerterunt hoſtem. Carolus in pugna ſuccubuit, id plerique tum credebant ex compoſito factum, quòd alia ratione finis imponi bello nō poſſet. Montfortius videns illum vita ſpoliatum, etſi hoſtis erat, lacrymas tamen non continuit.

Fuſo hoſte, & parta victoria, Montfortius breui temporis ſpatio cœpit complures alias Britoniæ vrbes. Galliæ rex, de ſtatu rerum certior factus, miſit fratrem ſuum, ducem Andegauorum, vt & viduam, vxorem Caroli, mirabiliter afflictam conſolaretur, & prĕterea confirmaret

firmaret eorum animos, qui nomine illius durabant in præsidiis. Sed cùm iam bona Britoniæ pars in potestatem Montfortij redacta esset: Gallus, habita consultatione, misit legatos ad eum, qui de pace agerent. Ille rem ad Anglum retulit, qui cùm non dissuaderet, conditiones propositas non excluſit. Nimirum, vt omnem Britoniæ ducatum teneret. Vt, si contingeret ipsum mori, non relicta sobole, tum Ducatus deuolueretur ad filios Caroli vita defuncti, qui quidem in Anglia tum, vt diximus, detinebantur obsides. Item, vt viduæ, vxori Caroli, cederet comitatum quendam iis locis, cuius annui reditus, atque prouentus surgebant ad viginti Francorum millia. Deinde, vt à Galliæ rege vocatus, præscripto tempore adesset, accepturus ab eo, sui Ducatus inaugurationem, & reliqua omnia facturus ex more. Postremò, ipse adeo sua sponte promisit, daturum se operam, vt sui cognati, obsides in Anglia, liberarentur.

Ludouicus Nauarræ, sub hoc tempus in Italiam abiit, desponsurus reginam Neopolitanam. Galliæ rex in hunc vsum illi mutuatus est sexaginta francorum millia, pignori ab eo susceptis aliquot ipsius arcibus. Cùm Neapoli res ferè suas peregisset: non multò pòst vita defunctus est.

Compoſito bello Britonico, ſimul & Nauarrico, paſſim omnia plena erant milite prædone & rapinis aſſueto, qui Galliam potiſſimùm infeſtabant. Videbat Galliæ Rex, illos aut opprimendos, aut alijs rationibus è regno deducendos. Hungariæ rex tum aduerſus Turcam bellum gerebat. Is itaque petijt, hanc colluuiem ad ſe traduci: ſed veterani, quibus regio non incognita erat, diſſuadebant profectionem. Cogitata fuit igitur alia ratio, & ſimul Galli negotium iuuabat Vrbanus Pontifex, Auenione degens. Nam & is pro ſuo in Galliam amore, cupiebat aliò traduci perditum genus hominum. Regnabat id temporis in Caſtilia quidam dictus Don Pietro, homo impius & tyrannus inſignis. Nam & complures honeſtiſſimos viros ad ſupplicium rapuit, & ſua ipſe manu pleroſque interemit: & inter hos etiam vxorem ſuam ex familia Ducum Borboniorum. Proceres eccleſiæ in vinculis detinebat, exutos omnibus facultatibus. Dicebant illius familiares, conſpiraſſe eum cum Rege Granatæ, Chriſtianorum perpetuo hoſte. Patrem habuit Alphonſum Regem, qui ad aliam quandam alluſit: è qua tres filios ſuſtulit, quorum natu maximus Henricus, vir ſtrenuus in bello, & honeſti erat ingenij. Tyrannus iſte ſubinde apud Pontificem ob varia crimina accuſatus

cũsatus, concitauit omnes in sui odium. Habita consultatione, Pontifex Vrbanus Henricum istum illegitimum, & Arragoniæ Regem, Petrum, (cui perpetuum erat cum tyranno bellum, vt qui spoliatus erat suis aliquot ditionibus ab eo) Auenionem venire iussit. Ibi legitimatus Henricus, declaratus est Castiliæ Rex, excommunicato & reiecto tyranno. Arragoniæ Rex promisit se patefacturum suam ditionem omnem & suppeditaturum annonam copijs, quæ in Castiliam deducerentur aduersus tyrannum: quò & ipse sua posset ope militum recuperare. Ad hanc expeditionem conuenerunt plurimi nobiles viri. Hac igitur ratione, milites isti, Galliæ iam olim graues, in Castiliam abducti sunt. Tyrannus certior factus de exercitu aduentante, fugit cum vxore, cum duabus filiabus & nobili vnico. Nam populus odio illius, nolebat sumere arma contra venientem hostem. Sic destitutus erat ab omnibus. Ventum in Castiliam. Henricus summo applausu omnium, regni administrationem suscepit. A coronatione, acceptis à pleribusque omnibus nobilibus & ciuitatibus, iuramentis, discessum est à nobilioribus, quorum ope regnum obtinuit. Iam enim res confecta videbatur. Sed tamen militem illum prædonem non dimisit: quòd statutum haberet,

bellum inferre regi Granatæ. Tyrannus in his anguſtiis poſitus, ex conſilio nobilis, qui vnicus apud eum ſubſtitit, miſit ad principem Wallenſem literas miſerationis pleniſſimas, de ſuo ſtatu & infortuniis, petens conſilium ſimul & opem. Non multò pòſt ipſemet, quòd ſuis in regno non fideret, Baionam appulit. Conſiliarij principis putabant non eſſe ei ſubueniendum propter ſcelera & impietatem maximam, neque ſuſcipiendum periculum vllum ipſius gratia. Princeps contrà iudicabat rem indignam, filium illegitimum occupare regnum: fieri hoc peſſimo exemplo, & præiudicio cæterorum regum atque principum. Itaque aduenientem tyrannum in vrbem Burdegalam, humaniter excepit, opem illi ſuam promittens. Miſit tamen in Angliam ad regem parentem ſuum, re omni expoſita, conſilium & auctoritatem ab illo petens. Anglus, quòd fœdus ſibi cum Hiſpano iam olim intercederet, filium hortatus eſt literis vt eum reſtitueret. Itaque ſtatutum fuit inter eos de profectione. Sed obſtabat vnica res: faciundum erat iter per regnum Nauarræ: & Nauarra pridem fœdus ſuſceperat cum Henrico nuper Hiſpaniæ rege. Baionæ ſimul ventum eſt, & certis quibuſdam conditionibus placatus eſt Nauarra, ſic vt ſtudium, amorem atque pacem promit-

promitteret. Hēricus rex nouus certior factus de rebus omnibus, misit ad Gallum pro auxiliaribus copiis.

Princeps egit apud Duces eorum militum qui Galliam prius infestarant, & qui tum sub Henrico merebant, vt eos ad se traduceret. Erant circiter duodecim millia. Cumque profectionem in Aquitaniam instituissent, in Arragoniæ regno plurima perpessi sunt, præclusis & obsessis vndique viis, sed tamen peruaserūt: & cùm abessent aliquot miliaribus à Tholosa, recepti sunt in Montem Albanum ditionis Aquitanicæ. Galli certiores facti, obsidebant vias, ne Tholosam aut in vicina loca penetrarent. Ventum est ad manus. Strenuè pugnatum à Gallis, ita quidē, vt hostem in oppidum vsq; profligarent, sed succedentibus in locum recentioribus, repulsi Galli, magna ex parte vel interempti fuerunt vel capti. Quorum ex numero tum erat comes Narbonæ Tholosanis opem ferens, & præter hunc plurimi alij Galliæ, prouinciæq; Narbonensis viri nobiles.

Princeps Wallensis, ne populum exactionibus premeret, ad alendum militem, non mediocrem auri vim à patre Eduardo mutuatus est: quinetiam aurea sua argenteaq; pocula in nummos redegit. Milites, ferro sibi patefacta via, peruenerunt quo optabant.

Ex captiuis multi, bona fide, vt fieri solet, dimissi sunt. Vrbanus, odio militum istorum, auctor fuit comiti Narboniæ, & alijs, custodia liberatis, ne pro sui redemptione, vel terũcium penderent: eximens eos omni nexui, & obligationi. Dum apparatum bellicum faceret princeps, Burdegalam venit rex Maioricæ, grauiter querens apud principem de rege Arragoniæ, qui patrem suum in vinculis necasset Barcelonæ. & vi armorum teneret omnem suam ditionem. Cupiens igitur vlcisci acceptam iniuriam & in hæreditatem paternam restitui, principem implorabat. Vxorem habuit Neapolitanam reginam. Expositis querelis, princeps illi promisit, facturum se, confecto priùs negocio Hispanico, vt aut æquis conditionibus, aut armorum præsidio in regnum suum restitueretur.

Priusquam discederet princeps, natus est illi filius Burdegalæ, pro quo ad sacrum fontem fide iussit profugus Maioricæ Rex. Vocatus est Richardus, postea factus Angliæ Rex, mortuo Eduardo, principis natu maximo filio.

Sub mensem Februarium, Burdegala discessit paulò pòst ferebatur incertus rumor de Rege Nauarræ, puta, quòd nouum fœdus inijsset cum Henrico Rege, itaq; futurum, vt principi & ipsius copijs non pateret via per illius regnum.

regnum. Scriptum est super ea re ad Nauarrium, sed ille suis rationibus diligenter expositis, amorem erga principem, & exulantem tyrannum declarauit. Princeps sui exercitus tres fecit partes. quarum aliæ alias sequerentur. Primam tenebat Dux à Lenclastre, nuper ab Anglo in subsidium missus, secundam ipse princeps vnà cum tyranno, tertiam Rex Maioricæ administrabat. Faciētibus iter per Nauarram, ipse adeò Rex, per bonam sui regni partem, itineris comitem atque ducem se præbuit, vt faciliorem haberent accessum. Pampelunæ, quæ potissima est in regno Nauarræ, conuiuio illos excepit Nauarrius, plerique omnes sperauerāt, vt arcerentur, postquàm in regnum aduenissent. Sed præter illorum opinionem Rex in amore, & fœdere perstabat.

Henricus Rex certior factus de exercitu Aquitano, conscripsit copias in Hispanijs, ad sexaginta hominum millia. Nam vnicè illum amabant, parati pro eo etiam quæuis subire incommoda. Deinde per nuncium publicum misit literas ad principem, cupiens cognoscere, qua de causa bellum sibi moueret, cùm nulla vnquam ipsum iniuria affeciisset, princeps deliberatione facta, nuncium apud se detinuit. Et longiùs productis copijs, prope vrbem Victoriam consedit vterque exercitus. Ex Gallia

venerũt in ſubſidium Hiſpano regi tria millia.

Angli montem quendam occupabant. Hiſpano fuit conſultum, ſi victoria vellet potiri, ſine cæde & ſanguine, non eſſe opus alia ratione, niſi vt vndequaque præcluderet vias, ne quis commeatus ad hoſtem perferri poſſet. Nam erant Angli tanquam in anguſtiis poſiti, & minimo negotio potuiſſent intercludi itinera. Sed Hiſpanus pugnæ cupidus, quòd exercitus ipſius iam ſurgeret vltra centena millia hominum (nam augebatur indies) manum voluit conſerere.

Poſtquam aliquot dies in hac parte conſediſſet Anglus, ob loci ſterilitatem aliò deduxit exercitum: & cùm non procul abeſſet, à caſtris hoſtium, per nuncium, quem ad tres ferè hebdomadas apud ſe detinuit, literas dedit ad Hiſpanum, in quibus breuiter reſpondit, ſe grauibus de cauſſis fugato regi opem ferre, libenter ſe quidem velle componere diſſidium, verùm eſſe neceſſe, vt abdicet regni adminiſtrationem atque omnem titulum, quem iure ſibi vſurpare non poſſet: quòd ſi recuſet, iam ſe paratum in quamuis partem. Quem in modum Angli ſuas acies inſtruxerint, ſuprà diximus. Hiſpani quoque exercitum omnem in tres partes diuiſerunt: primam tenebat inſignis quidam belli dux è Gallia, & erant circiter

quatuor

quatuor millia: secundam habebant duo fratres Henrici, plus minùs viginti quinque millia tam equitum quàm peditum: tertiam ipse rex Henricus, & surgebat illius exercitus omnium longè maximus, ad septem millia equitum & sexaginta millia peditum, quorum magna pars baliſtas ferebant. Inter Nauarram & oppidum Nauarretam simul ventum est. Vix vnquam maioribus pugnatum viribus. Hispani fundis vtebantur, quibus transuerberabant galeas hostium, crudeli certè pugnandi genere. Angli contrà sagittandi peritissimi, obruebant eos multitudine telorum. Frater regis Henrici, qui alteram partem exercitus tenebat, vt diximus, illico, vt vidit principem cum suis copiis signa contra se ferre, discessit è prælio, nec vnquam in hostem pugnauit. Ea res animos plurimorum fregit. Sed rex Henricus, quacunque parte videbat languentem fractúmve exercitum, illuc sese ingerere, acclamare suis, hortari, & commonefacere honoris & officij: atq; adeò ter vno die suos iamiam ad fugam spectantes, voce sua cohibuit, & in ardore continuit. Neque solùm à milite, verumetiam ab ipsis principibus omnium acerrimè pugnatum est. Tyrannus profugus regem Henricum sibi dari cupiebat obuium in prælio. Sudatum est nauiter & plus

quàm hoſtilibus animis. Tandem Hiſpani, cùm Anglorum ſimul & Aquitanorum vires impetumque ferre non poſſent, in fugam ſeſe dederunt: neque potuit eos reuocare auctoritas vel clamor Regis Henrici: qui ſimulatque vidit ſe magis & magis iam deſtitui à ſuis, fugit & ipſe. Habebat enim hoc ſibi perſuaſum, futurum vt ſi caperetur in prælio, morti daretur. Angli fugientem hoſtem perſecuti ſunt. Ibi verò mira fuit facta ſtrages eorum qui occidebantur, & qui ſe ipſi præcipites in fluuium quendam inſignem ijs locis dabant, ne in hoſtium manus deuenirent. Commiſſo prælio perluſtratus fuit cæſorum acerüus. Inuenti plus minùs ſexcenti equites occiſi, & ſeptem ferè millia peditum, non numeratis interim ijs qui ad pontem occiſi fuerunt, & flumine abſumpti. A pugna principes conuenerunt Burgis, Hiſpaniæ oppido. huc acceſſerunt ex Toleto, Liſſebona, Galitia, Sibilia, & ex plurimis alijs Caſtiliæ locis, vt fidem præſtarent tyranno iam reſtituto. Videbant enim tantæ multitudini non poſſe obſiſti. Anglus poſtea egit cum tyranno, colligeret pecuniam, vt militibus, quorum opera reſtitutus eſſet, ſatisfieret. ille in Sibiliam abijt pro colligendo auro in hunc vſum, ab aliquot hebdomadis ad Anglum reuerſurus, quò omnibus

persolueretur. Nam cùm eiectus regno, primùm veniſſet Burdegalam ad principem, obteſtans opem, vt diximus, promiſerat ſe, vt primùm eſſet reſtitutus in regnum, liberaliter perſoluturum omnibus. & ita ſe hoc nomine obligauit principi, vt hic fideiuſſionem ſuam pro eo interponeret apud nobiles, & reliquos iamiam ad expeditionem paratos. Abiturus in Sibiliam fidem dedit principi, ſe breui vnà cum auro adfuturum. Princeps cùm vltra præſtitutum tempus expectaſſet ad aliquot menſes, miſit qui cognoſcerent cauſſam. Tyrannus reſpondit, ſe emandaſſe aliquot ſuos, qui perferrent aurum: ſed à prædonibus in via fuiſſe interceptos: rediret adeò ipſe in ſuam ditionem, relictis aliquot officiarijs in Caſtilia. ſe numeraturũ illis abundè. reſponſum quidem malè habuit principem, ſed aliud tum obtinere non potuit.

Rex Henricus è pugna fugiens, Valentiam Arragoniæ ciuitatem venit, calamitatem ſuam apud Regem exponens. Inde Montempeſſulanum, ad Ducem Andegauorum, ſummè infeſtum Anglis, pòſt Auenionem ad Pontificem Vrbanum, recenſens infortunia & miſerias, & parabat Pontifex id temporis abitionem inde Romam. Adiutus tacitè à Duce Andegauenſi Henricus, collectis militibus, in-

uasit ditionem principis. Cuius vxor indignitate rei perterrita misit ad Gallum, vt is compesceret hostem: sed ille dissimulare. hinc adeò princeps, cùm intellexisset de statu rerum, coactus est ad suos, nondum pensa pecunia à tyranno, redire. Cùm in Arragoniam venisset, inuenit obstacula, neque patebat transitus. Verùm constituto die res inter eos transacta est amicè.

Princeps Wallensis in ditionem suam reuersus, quòd magnam pecuniæ vim profudisset in bellum Hispanicum, conscripsit nobiles Aquitaniæ, & primores ciuitatum. Ibi in cœtu proposuit de communi quodam tributo ab omnibus conferendo, per omnem ditionem, idque solùm ad quinquennium, propter magnum æs alienum: (nondum enim militi satisfactum erat) deinde etiam, quòd præter hęc omnia, thesaurum ferè suum in expeditionem Hispanicam, omnem profudisset. Pleræque omnes ciuitates assenserunt. sed potentiores aliquot principes opponere se, in hanc sententiam, se nullo vnquam tempore, quo regibus Galliæ subiecti fuissent, grauatos eiusmodi exactionibus, & potiùs quàm dent, malle se quidquis perpeti. Principe nihil remittente de suo ardore & proposito, Nobiles, qui contrà dixerant, rectà se contulerunt Lutetiam ad Gallum, &

lum,& ibi in cœtu consiliariorum, molestiam exposuerunt,grauiter conquerentes de principe,& simul Gallum obsecrantes,vt in ipsius patrocinium reciperentur.

Gallus respondit, Acturum se ex consilio,& iuxta formulas pacis inter patrem suum & Anglum constitutæ. Aquitani interim proceres commorabantur Lutetię. Tributum sic erat,vt singulæ familiæ per annum penderent francum vnum: quæ quidem summa creuisset ad duodecies centena francorum millia,in singulos annos.

Henricus rex, certior factus de rebellione Aquitanorum, iudicans optimum esse, frui aliena calamitate, noluit hanc tantam occasionem negligere. Collegit igitur exercitum ad decem millia hominum, adiutus ab Arragonio. Quacunque tenderet, recepit vrbes & arces in suam ditionem. Tyrannus Sibilię tunc commorans, intellecto nuncio, misit illico ad regem Lusitaniæ,ad regem Granatæ, pro subsidiis. Impetrauit, & habuit collecta circiter quadraginta millia: inter quos multi etiam Sarraceni.

Rex Henricus, videns consilio magis & arte,quàm viribus agendum, (tyrannus enim illum superare multitudine) ex consilio cuiusdam ducis,primo diluculo, præter opinionem,

repentè adortus est hostem,& fœliciter pugnauit,ita quidem vt tyrannus in vicinam quandam arcem confugeret. Hoc vt resciuit Henricus,omnem exercitum illuc adduxit. Tyrannus periculi præsentiam videns, nocte intempesta, arcem tacitè egressus cum paucis quibusdam, sperabat euasurum se. Verùm incidit in præfectum excubiarum:à quo captus,illico ad Henricum Regem adductus est, qui statim asperrimis verbis in eum cœpit inuehi. Tyrannus illi viciſſim obiicere matrem meretricem.Breuiter, Henricus tyrannum humi prostratum,ipse superincumbens, gladio confodit;& ab illius morte,omnem Hispaniam facili momento recuperauit.Lusitanię Rex mortem tyranni cognati sui parabat vlcisci bello, sed pacatus fuit. 368.

Quo tempore Aquitaniæ principes Lutetiæ commorabantur, Gallo natus est filius, eiusdem nominis. Interim subinde fuit supplicatum Gallo ab Aquitanis, vt se contra principis iniquitatem defenderet. Quod si non fieret,cogi se necessitate summa, solicitare alium dominum, cuius patrocinio quietè sua possideant:atque ita futurum vt Galliæ Reges deinceps excidant dominio & iure totius Aquitaniæ.Rex molem atque periculum belli considerans,diu multumque deliberauit. Ex con-

liarijs

filiarijs Regis plerique omnes hortabantur ad bellum, contendentes vehementer, pacis conditiones ab Anglo violatas. Tandem visum est citare ipsum adeò principem in Senatum Parisiensem, & missi sunt qui citationem perferrent. Princeps, vt audiuit, tandem respondit, venturum se quidem Parisios, postquam Rex ita iubeat: sed galea capiti imposita, & comitatum sexaginta millibus. Nuncij Burdegala discesserunt, & in itinere comprehensi, ex mandato principis coniecti sunt in carcerem.

Hîc obiter commemorandum est de obsidibus in Anglia. Dux Andegauus, vt suprà dictum est, subduxerat se, priusquam rex Ioannes in Angliam rediret. Dux Betriæ, facilitate regis Angli, impetrarat anni spatium, quò posset in Gallijs commorari. Et eadem ratione plerique alij dimissi sunt. Vnus & item alter, depensa pecunia, sese redemerunt. Qui sic à Rege fuerant dimissi, orto iam bello, non redibant.

Gallus Anglo denunciare bellum. Et Galli quidem negocium, puta, belli tractationem, agebant duo illius fratres, vndique colligentes militem, sic vt numerus ad centena hominum millia surgeret. Incursum est subinde à Gallis in Pictauiensem agrum, & alias ditiones principis. Et huius vicissim milites incursio-

nes fecerunt in deditiones eorum, qui belli dederant occasionem, quique apud Gallum de se conquesti fuerant.

Gallus causam suam, & belli necessitatem, diuersis locis, per disertos viros ita euidenter exposuit, vt nemo non iudicaret iustissimas illius esse rationes. Idem Anglus faciebat, nimirum eo consilio, vt expositis belli causis, faciliorem haberent populum ad pendenda tributa, & subeunda onera quæ imperarentur.

Ludouicus Flandriæ comes filiam habebat vnicam. Angliæ rex modis omnibus cupiebat hanc vxorem dari filio suo nato minimo, & super ea re laboratum adeò fuit per totum triennium. Quantum ad comitem, nihil desiderabatur: verùm pontifex Vrbanus nullis rationibus permoueri poterat vt assentiret. Erant enim consanguinitatis ratione sibi coniuncti. Ludouicus igitur, videns non posse fieri vt iis locis nuptiæ coirent, cœpit agere per amicos apud Philippum Burgundiæ ducem, Galli fratrem germanum, vt inter hunc & filiam suam confirmaretur matrimonium. Id adeò factum est, & hac ratione Burgundia & Flandria simul vnitæ sunt.

Anglus, considerans per connubium hoc futurum, vt Burgũdus Flandro succederet, egit apud regem Nauarræ (cui simultas erat cum

Gallo

Gallo propter aliquot ditiones) vt Gallo denunciaret bellum.

Maximā vim nauiū Gallus instruxerat, missurus fratrē suum Burgūdiæ ducem cum lectissimis copiis, vt in Anglia bellum gereret. Anglus, re cognita, bellum & ipse adornauit, excepturus venientes illos. filium præterea suum, Ducem de Lenclastre, cum copiis misit Caletum. Quod vt Gallus accepit, ex consilio suorum mutauit sententiam, melius esse iudicans, pugnare in hostem, sua iam sponte transgressum mare. Missus itaque fuit Burgundus, bene instructus: qui, cùm propiùs hostem consedisset, etsi multò potentior, manus tamen conserere noluit, nisi ex mandato regis, fratris germani.

Recensēt auctor, quēdam belli ducem Anglum, virum & animo & consilio præstantem, & multum præterea in suis rationibus fortunatum, voluisse quodam die, nactum occasionem pulcherrimā, ferire hostem: quò quē negotium meliùs conficeret, orasse comitem quendam Anglum, vt certo numero equitum sibi ferret suppetias. Quod cùm ille haberet in animo, commonefactum à suis ne omnino succurreret, quòd ille, si res feliciter caderet, omnem rei gestæ laudem solus esset habiturus: ageret negotium ipse suum, & aliquid molire-

tur, vnde solidam gloriam obtinere posset. Hac ratione impeditum illum, quod maximè optabat perficere non potuisse. Nimirum vbique dominatur inuidia & ambitio: ac sæpenumero fit vt, dum alter in alterius gratiam nihil vult suscipere molestiæ, omittantur præclarissimæ rationes, & aduersarij hoc ipsum deinde in vsum suum transferant.

Vbi per aliquot dies ita consedissent aduersi exercitus, Burgundus ex mandato Regis militem omnem dimisit. Lenclastre Caletum redijt. Et cùm aliquot ibi dies reficiendi sui gratia commoratus esset, collectis denuò copijs, tendebat in Galliam: vbi exustis aliquot oppidis, propter impendentem hyemem, dimisso exercitu, in Angliam reuertit.

Bellum istud diuturnum, malè habebat nobiles quosdam Galliæ, quorum aliquot collectis rebus, aliò se contulerunt, expectantes auræ serenitatem, ne, si aut ab armis quiescerent, aut alteri se adiunxissent, puta, vel Gallo vel Anglo, rebus ipsi suis obessent. Nam talis erat multorum ratio, vt cùm in vtroque regno possessiones retinerent, neque hunc iuuare, neque illum destituere, citra facultatũ iacturam possent. Plurimi contrà Aquitani principes, derelicto Angli filio, ad Gallum transibant.

Eduardus Rex, vt erat ingenio moderato & summa

ſumma prudentia, videns diſceſſionem illam nobilium à filio ſuo, tendere ad magnum malum, miſit in Aquitaniam literas in hanc ferè ſententiam: Delatum ad ſe, pleroſque omnes implacatè ferre nuper imperatam pecuniam à filio ſuo. Velle propterea ſe huic malo ſubuenire, & ea omnia prorſus tollere quæ ad odium vllo modo ſpectare poſſent. Adeoque ſtatuere & mandare ſe, vt filius omnem hanc rationem imperandæ pecuniæ omittat, vtque damnum & impenſa rependatur ijs qui vel à filio ſuo vel illius officiarijs nimiùm ſe grauatos iudicarent. Ad hæc, condonare ſe illis qui ad Gallum tranſijſſent, modò intra menſem reuertantur in Aquitaniam: precari ſe hoc ſolum, vt ne ſeditionem vllam excitent, vt memores fidei præſtitæ atq; iuriſiurandi, præſentem imperij formam ſequantur. Se paratum eos placare qui ex æquo docere poſſent grauatos ſe nimiùm fuiſſe. Hanc ſuam eſſe mentem, hanc etiam conſiliariorum ſuorum omnium voluntatem.

Hæ literæ fuerunt paſſim per Aquitaniam publicatæ. Sed parum attulerunt momenti. nam multos erat videre quotidie deficientes à principe ad Gallum. Vt ſatis appareat, nullam eſſe virtutem ad retinendos homines in amore efficaciorem lenitate. Etenim

Angli filius, alioqui vir eximius, rebus secundis, vt fieri solet, elatus, parum comiter tractare cœpit nobiles sibi subiectos. hinc adeò factum vt amare eum non possent. Gallus verò, quòd præter singularem prudentiam, benignus etiam esset, insinuauit se hominum animis. Qua quidem ratione Galliam plurimùm locupletauit, dignus qui inter prudentes reges annumeretur.

Galliæ rex, habita consultatione cum fratribus, duce Andegauensi, duce Berriæ, Burgundiæ, & aliis regni proceribus: ingentem exercitum misit in Aquitaniam. Et dux quidem Andegauus, Tolosa copiis suis eductis, quicquid iis locis erat munitionum & oppidorum ditionis Anglicæ: facili manu, vel deditione facta, vel armis recuperauit. Dux Berriæ, Lemouicensem agrum inuasit. Andegauorum Duci adiunxerant se quidam Aquitaniæ nobiles, illi nimirum ipsi quorum delationibus & querelis incitatus Galliarum rex, bellum hoc susceperat. Berriæ principem sequebantur Borbonius, Alenconius, & plurimi alij. Quacunque tendêre, facilem inuenêre viam. Sub hoc tempus, cum Nauarro transegit Gallus. Erat enim ille placandus, ne per Normanniæ partem, oramque maritimam, Anglis in reliquam Normanniam, Galliæ subditam, iter patefaceret.

ret. Transactio fuit eiusmodi, vt Nauarrius, simulatque rediisset in regnum suum, Anglo bellum denunciaret. Ab Hispanis etiam auxiliares copiæ Gallis accesserunt, voluntate & beneficio Henrici regis. Interim Angli filius, partium suarum haud immemor, militem vndecunque collegit. Et Anglus, quò belli molem faciliùs perferret, inducias cum Scoto pactus est nouennales, ita quidem vt Scotis integrum esset vtrobique militare. Alium præterea misit exercitum, qui Picardiam depopularetur. Huic præfecit Robertum quendam Canollium, Anglici nominis mirè studiosum, alioqui natione Britonem. Surgebat militum numerus ad decem circiter millia. A Caleto cùm per Artesiam iter faciens, Atrebatum venisset, abstinuit quidem ab oppidi oppugnatione, sed igni in suburbia coniecto, studebat oppidanos ad eruptionem permouere. quæ tamen nulla fuit. Quacunq; vadebant, omnia vastare flammis & direptionibus.

Andegauorum princeps, compluribus locis ab hoste recuperatis, communicato cum suis consilio, dimisit exercitum, quòd pro tempore satis putaret gestum, & simul in præsidia militem distribuit. Berriæ Dux, post multam obsidionem, Lemouicum vrbem in deditionem accepit. Qua quidem re adeò fuit offen-

ſus Angli filius, vt repentè conſcripto milite, oppidum cingeret, addito iureiurando, ſe non priùs conquieturum quàm oppidanis in ſuam poteſtatem redactis. Porrò, cùm ab exploratoribus accepiſſet, nimis arduum fore inſultu eam capere, cuniculis actis, & ad extremum deductis, immiſſa deinde vi ignis, bonam muri partem proſtrauit, aditumque militi fecit.

Sed quis miſerabilem illam & vaſtam commemoret ſtragem? Non mulieribus, non infantibus, ad Angli pedes miſerè procumbentibus, & ſalutem orantibus, parcitum eſt. Tantus erat viri ardor, tam vehemens ira. Poſt hanc tam immanem hominum ſtragem, poſt direptas ciuium fortunas, & perpetratum omne ſceleris ac inhumanitatis genus, (quæ militum eſt rabies) principis mandato incenſum oppidum ſolo fuit æquatum. Berriæ Dux, vrbe potitus, exercitum ſuum, exemplo fratris, dimiſerat.

Hinc adeò factum eſt vt & diſſipato milite, & paucis quibuſdam, vt ſuſpicari licet, ibi ſtantibus in præſidio, ciuibus minimè fuerit ſubuentum.

Copiæ Roberti Canolli, quæ per Galliam in Andegauenſem agrum penetrarant, cæ-

ſæ tan-

sæ tandem fuerunt à Conneſtablio Regni: fuga dilapſus Robertus, in Britoniam reuertit.

Sub hoc tempus, è vita migrauit Vrbanus Pontifex, nuper Auenionem reuerſus. Huic ſuffectus eſt Gregorius vndecimus, multùm in ea re ſolicitante Galliæ Rege, qui magnum in hoc Pontifice præſidium ſibi paratum videbat.

Angli filius, medicorum inductus conſilio, relicta Aquitania, in patriam diſceſſit. Etenim quo tempore bellum in Hiſpanijs pro tyranno exulante gerebat, morbum quendam & grauem & vix curabilem, ibi collegit: qui cùm ſic increſceret indies, vt equitationem ferre non poſſet, & lectica veheretur, medici auctores illi fuerunt vt in Angliam ſe reciperet, ſolum natale: futurum vt illic commodiùs haberet.

Abiturus inde, fratrem ſuum germanum, ducem à Lenclaſtre, qui totum belli tempus communem Martis aleam cum illo expertus erat, gubernationi rerum ijs locis præfecit, obteſtans Aquitaniæ principes, Burdegalæ collectos, vt imperium fratris non impatienter ſuſciperent.

Suprà narratum est de rege Maioricæ: qui contumeliam & iniuriam illatam vlcisci cupiens, principis Wallensis fidem atque promissa per temporis aliquod spatium sequebatur, vt hostem suum Arrogoniæ regem, tunc Hispano confœderatum, profligaret. Cæterùm, Henricus Hispaniarum rex, vt ditionis suæ pleraque omnia recuperauit, Maioricæ regem in quodam Hispaniæ oppido valetudinis caussa relictum ab Anglo offendit, &, quòd hostium secutus esset partes, in custodia per annos aliquot detinuit. Ope tandem amicorum, & depensis aureorum centenis millibus, liber factus, militem aduersus Arragonium collegit, & acris erat haud dubiè futura dimicatio, nisi in aduersam valetudinem relapsus, vitam finiisset. Hac igitur ratione bellum quieuit.

Tyranni illius Hispani, de quo suprà, filias duas, Constãtiam & Isabellam, nobiles aliquot Hispani, de morte patris illarum certiores facti, statim in Aquitaniam per mare deduxerũt. Ex his natu maiorem Constãtiam, dux à Lenclastre, suorum auctoritatem & consilium secutus, vxorem duxit. nam & puellarum calamitas, & succedendi aliquando spes ampla, huc impellebant. Qua re intellecta, Hispanus, futurum timens, vt tertius Angli filius alteram sibi matrimonio coniungeret, missis ad Galliæ

regem

regem legatis, arctissimo se fœdere cum illo adstrinxit, pollicente Gallo certissimum præsidium aduersus quemlibet hostem: præterea nullas vnquam se pacis rationes cum Anglo susceperum, quæ non & Hispano essent vtiles futuræ, atque honestæ.

Dux Lenclastre paulò post nuptias, conuocatis loci primoribus, & expositis ibi suis rationibus, quinetiam constitutis per omnem ditionem qui præessent absente se, in Angliam vxorem abduxit.

Anglus, habita consultatione, statuit filium Lenclastre mittere adiunctis copiis, vt deuastata Picardia, per Galliam deinceps grassarentur. Ad hæc natu minimum filium in Aquitaniam cum exercitu præmisit bellum iis locis facturum, vt hinc illinc Gallis negocium exhiberetur. Sed Galliæ rex per Anglos aliquot certior factus, præsidiis muniuit omnia Picardiæ loca: &, quandoquidem ex Anglorum indicio compertum habebat, Anglicam classem in Aquitaniam appulsuram, tacitè hoc significabat Hispano, recens confœderato. fecit ille ex officio, missis 40 maximis nauibus, & 13 aliis non eadem magnitudine, vt venientem Anglum exciperent: quem non procul à Rochella, cùm aduenisset, magnis viribus adorti sunt, totum ferè diem durante prælio. Rochellenses, otiosi

ſpectabant, & rogati à ſuis præfectis vt laborantibus Anglis ſubuenirent, in excuſationem adduxerunt neſcio quæ. Nam Anglorum imperium impotentiſſimè ferebant, vtcunque diſſimularent. Poſtridie renouata pugna, fuit multò omnium aſperrima: tandem ad Hiſpanos, quòd nauium & numero & magnitudine, deinde, quòd etiam turba ſuperarent, victoria declinauit, cæſis alijs, & captis quamplurimis, & inter hos, Regis iuniore filio, cum bona Ducum parte. Nauis inſuper illa quæ maximam vim auri vehebat, in alenda tria hominum millia, fluctibus abſorpta fuit. A pugna, Rochellam aduenerunt ex Aquitania iuſtæ copiæ, ſed ſerò, nimirum rebus infeliciter geſtis.

Hinc adeò factum eſt vt paulatim omnem ditionem Anglus amitteret, partim diſcedentibus populis, partim in facilem ſe deditionem dantibus.

Dum hæc agerentur, principis cuiuſdam Anglici filius (Iuonem vocant) apud Galliæ regem miſerabiliter queſtus eſt de inſigni iniuria ſibi ab Anglo facta, qui & patrem ſuum Ammonem, principem Wallorum, necari iuſſiſſet, ac deinde totam illam ditionem in filium ſuum contuliſſet. Gallus igitur & naues illi inſtruxit, & plus minùs quatuor millia adiunxit: quorum auxilio iſte quandam Angliæ

inſulam

insulam ingressus, manu conserta hostem profligauit ac fudit. Reuocatus inde à Gallo, in Hispaniam missus est, vt ibi collectis nauibus, Rochellam obsideret.

Rebus feliciter gestis in Anglos, tam ab Hispanis quàm ab Iuone, Gallus, prospiciens futurum vt reliquæ ditiones facili momento ad defectionem impellerentur: præsertim si vel semel præterea infeliciter pugnarent, aut durius affligerētur: misit Conneſtablium, & cum eo magnam potentissimorum principum manum, vt bellum ibi redintegrarēt. Vt in agrum Pictauiensem vētum est, quicquid circùm erat oppidorum atque munitionum, facilè recuperunt. Ipsi adeò Pictauienses, parum inter se concordes, missis ad Conneſtablium literis, & declarata voluntate sua, portas illi sub diluculum, ita vt conuenerat, patefaciunt. hoc exemplum pleraque alia oppida sibi imitandum proposuerunt.

Interea is de quo diximus, Iuo, comitatus Hispanici maris præfecto, cum instructissima classe ex Hispanijs appulit Rochellam, quæ tamen nihil hostile sustinuit, quòd ciues & Anglū haberent exosum, & Gallicū imperiū modis omnibus expeterent. Desciuissent pridem ab Anglo, sed obstabat arx ibi posita, & Anglicis munita præsidijs. Inito igitur consilio pro

tempore satis callido, simulantes delectum se habituros tam ciuium quàm eorum qui ad loci præsidium erant relicti, præfectum arcis, hominem minimè vafrum, hac ratione cum suis foras produxerunt. quo perfecto, statim ex insidiis magna pars ciuium in arcem impetu facto, eos qui se conabantur opponere, perpaucos quidem illos, repulerunt. Galliæ proceres, id temporis apud Pictauium collecti, certioresq; facti, cupiebant ab oppidanis Rochellensibus recipi. Quod isti quidem minimè recusarunt, sed certis quibusdam conditionibus, puta, vt liceret arcem, è qua diuersis temporibus multa fuerant perpessi, prorsus demoliri & æquare solo: vt Galli sanctè promitterent nullis vnquam temporibus arcem ibi structum iri: vt Rochella perpetuò maneret ditionis Gallicæ, néve ad alium dominum transferretur, quocunq; tandem modo id fieri posset, vt sunt varij rerum humanarum euentus. Cùm hæc à Gallorum rege (nam proceres ad eum retulerãt) probarentur, haberenturq; rata, Galliæ denuò cessit Rochella: cuius quidem defectio, plurima circum loca, vt idem facerent, concitauit.

Galli duces, vtendum esse fortuna iudicantes, ita se comparabant vt breui tempore Pictauiensem agrum omnem & finitimum recuperarent, non citra accessionem & opem Britorum,

num, qui in Galliam mirè inclinabant, etsi Anglo esset addictus ipsorum princeps, vt cuius opera Ducatum obtinuisset. Euenit non multò pòst, vt Angli, simul atq; in Britoniam accessissent, in portu quodam exurerent septem Hispanorum naues insigniter magnas. Illico nata est suspicio, factum id Britoniæ Ducis auctoritate consilioq;. Gallus, per Britoniæ nobiles quosdam intellecta re, misit Conneſtablium, vt Britoniam subigeret: cuius principem iudicabat omni iure iam excidisse, quòd cum Anglo fœdus contra se ferijsset, à quo suæ ditionis inaugurationem accepisset, præstito ex more iureiurando. In his angustijs Brito, suis etiam diffidens, in Angliam profugit. Conneſtablius Britonum auxilio, plurima in suam potestatem redegit.

Dauid Scotiæ Rex, non relictis vllis liberis vitam morte commutauit. Iure successionis, regni administratio deuoluta est ad Robertũ. 1373.

Suprà diximus, Anglum statuisse, filium suum Lenclastre, postquàm vnà cum vxore in Angliam reuertisset, mittere in Picardiam, vt ibi bellum faceret. Sed res fuit extracta. Nam hoc primùm anno Caletum appulit, & cum eo 13 millia, ipseq; adeò Britoniæ Dux profugus. Grassari per bonam Picardiæ partem, omnia vastantes igni & depopulationibus, ab

vrbium oppugnatione abstinuerunt, quibus multò antè fuerant à Gallo imposita præsidia. Galli, vastantes illos omnia, sine intermissione persequebantur: & tamen ad manus nũquam ventum est, imò, legatis Pontificiis intercedentibus, actum est de induciis, & constitutum tempus quo Brugis, Flandriæ oppido, rursus conuenirent, de grauioribus tractaturi.

Priusquam nunciarentur induciæ, Dux Britonum adiutus ab Anglo, quædam recuperauit, plura forsan recuperaturus, nisi de induciis interueniisset nuncius. Itaque dimissis copiis in Angliam reuertit, præsidiis firmans loca omnia. Sub Calendas Nouembris, vtriusque 1376. Regis legati Brugas venerunt, vt intercessione Pontificiorum, de matrimonio ageretur inter principis Wallensis filium Richardum, & Mariã Galliarum Regis filiã. Variis modis agitata re, coire tamen concordia nequibat. Eo Pontifex Gregorius offensus, Auenione relicta, Romam petiit.

Eduardus princeps Angli filius, vir fortissimus, Londini, sub hæc tempora, vitã finiit. Anglus deinde, congregatis & filiis & regni proceribus, expositis in concione, Richardum ex filio vita defuncto nepotem, esse eum qui sit à morte sua, regni moderationem susceptur us. Et quoniam, multò antè, super ea re, cum optimatibus

matibus & reliquis filijs transactum erat, priusquam in Gallias expeditionem postremam faceret, haud difficulter omnibus persuasit, vt etiam iureiurando præstito, ratum se habituros illud affirmarent. Non multò pòst, Anglus ipse diem supremum obijt, non sine plurimorum dolore summo. Tam enim fuit princeps laudatus, vt etiam Galliæ Rex, intellecta illius morte, dignum esse diceret qui inter sapientes reges connumeraretur. Huic successit, vt con- 1377.
stitutum antè fuit, Richardus nepos, coronatus Angliæ Rex, ætatis suæ anno vndecimo. regni quidem administratio erat penes Ducem à Lenclastre, iam electi Regis patruum. Interim Rex, aulico cuidam proceri formandus traditur, communibus omnium suffragijs ad hoc constituto.

Narratum est suprà, Gallũ, quò feliciùs atq; commodiùs bellum Anglicum sustineret, fœdus inijsse cum Nauarrio: sed euenit postea vt duo quidam nobiles familiæ Nauarricæ, cum Nauarrij filijs apud Gallum commorantes, de veneficio apud Regem haberentur suspecti. Et cùm palàm audiente populo, flagitium agnoscerent, ad supplicium rapti sunt. Gallus illico misit exercitum in Normanniæ partem illam maritimam ditionis Nauarricæ, quam 1378.
Conneſtablius, facili manu, omnẽ occupauit.

Adhæc Hiſpanus, nuper Gallo confœderatus, bellum etiam Nauarrio inferre. qui quidem in his anguſtijs poſitus, à Richardo Angliæ Rege opem implorauit, nec id quidem fruſtra.

Dux Britoniæ, in Anglia commorans, auxilium ſubinde flagitabat à nouo Rege : ſed ſurdas hic ſemper aures præbere. Etenim princeps à Lenclaſtre, ſperans, ditionem Britonis occupare ſe poſſe, contractis copijs, cùm appuliſſet, oppugnare quædam. Sed Gallicus exercitus, duce Conneſtablio, diſcedere illũ coegit.

SECVNDI LIBRI FROSSARDICI HISTORIÆ MEMORATU non indignæ.

SVPERIORI volumine expoſitum eſt quomodo Galli magnã Aquitaniæ partem ab Anglis recuperauerint. Erant nihilominus pleriq; alij ijs locis Anglo pertinaciter addicti. Princeps igitur Andegauorum eò profectus cum copijs, quicquid erat reliquũ, ferè ſubegit. Aquitani pridem in Angliam miſerant pro impetrandis auxilijs : verùm,

rùm, quòd in regno turbæ & seditiones pullularent, nihil profuit legatio. Dux enim à Lenclastre, qui rebus præerat, inuisus erat populo: quæ res deinde magnum malum in Angliam inuexit. Cùm itaq; nullæ mitterentur auxiliares copiæ, Aquitani præsidio destituti, vt deditionem facerent, hostemq; reciperent, adacti fuerunt.

Galliarum Rex, vir summa prudentia, retinebat in amore omnes à quibus opem atque subsidium sperabat. Videns adeò Regem Anglum adolescentiæ annos necdum egressum, videns etiam ortas ibi turbas atq; simultates, Robertum Scotiæ Regem literis obsecrauit & commonefecit, vt in hac tanta occasione bellum moueret Anglis, vt ea ratione impeditis non esset integrum in Gallias traijcere. Scotus & his instigationibus, & sua etiã sponte commotus, quòd veteres iniurias vlcisci cuperet, præsertim adolescente adhuc Rege Anglo, cõsultatione habita, mandauit suis, vt ad certum diem, instructi omnes rebus necessarijs, conuenirent in finibus qui Scotiam ab Anglia separant. Cùm eò ventum, Scoticus quidam nobilis, cupiens dare fortitudinis & insitæ audaciæ documentum, adiunctis aliquot, absq; magno molimine, noctu, somno oppressis omnibus, vrbis Beruici arcem occupauit. Qua re in-

tellecta, præfectus oppidi, summo diluculo, stipatus agmine ciuium suorum, pontem arcis primùm demoliens, quà solùm patebat exitus, reliquam deinde arcem omnem obsidione cinxit, adeò quidem arctè, vt hostis loco se mouere non posset. Vicini præterea certiores ab eo facti de rerum statu, ad decem hominum millia adduxerunt. Quo nuncio accepto, Scoti, vt suos obsidione liberarent, castra mouerunt. Sed Anglici exercitus multitudine timidiores facti, nolebant periclitari fortunam. Tunc demum facta oppugnatione, recuperata fuit arx, necatis, qui intùs erant, omnibus, & vnico duce, cuius authoritate cœptum istud fuerat, seruato.

Capta iam arce, visum est Anglis non inconsultum, retrocedentem hostem persequi. Id adeò factum est, quanquam exitiali ipsorum detrimẽto, fortuna ad Scotos inclinante.

Pontifex Gregorius, aliquando sanctè promiserat, si quo vnquam tempore ad Pontificiam dignitatem proueheretur, non alio se loco quàm Romæ commoraturum. Sed hoc ingratum erat Cardinalibus quibusdam in Romanos non satis æquis: ingratum erat Gallo, qui viciniorem sibi Pontificem optabat. Missus ab eo frater, Andegauorum princeps, Auenionem, nequiuit Pontificem ab instituto retrahere.

trahere. Venit ille Romam, locum optatum: paulò pòst obiit diem. Cardinalibus ad eligendum alium ex more congregatis, populus Romanus in curia grauiter tnmultuari, interminans haud obscurè, ni Pontificem eligant, genere & familia Romanum, se dira facturos adeoque irruptione facta, in cœtum Cardinalium ferocientes ingressi, id effecerunt vt vir quidam annos circiter centum natus, crearetur. Hunc Romani, albæ mulæ impositum per vrbem magna ostentatione circumducebant. Sed decrepitus senex, equitatione & molesto illo officij genere delassatus, triduo pòst expirauit. Ibi tum nouæ turbæ, Romanis etiam aliquantò atrociores voces iactantibus. Tandem electus est homo Romanus, vocatus deinde Vrbanus Sextus.

Regina Nauarræ, Galliæ Regis soror, è viuis hoc tempore discessit: huius interitu, Normanniæ quædam ditio ad Nauarræ filios, Carolum & Petrum, quos Gallus educabat, deuoluta fuit. Gallum hortari plerique, vt quicquid esset ditionis Nauarricæ in Normannia, ipse occuparet, tueretuŕq;, donec adulti essent liberi. Nauarrius & ipse futurũ hoc suspicans, denunciauit vt sibi remitterẽtur filij, quòd natu maiorẽ Hispaniarũ Regis filiæ matrimonio esset adiuncturus. A Gallo responsum est, filios

honestiori & meliori loco esse nõ posse quàm apud se. Educaturum se illos in rebus omnibus ita vt Regios filios, & consanguinitate sibi iunctos, educare deceat. Nauarrius indignè ferens responsum, Normanniæ loca aduersus Gallorum vim muniuit. Cæterùm, varijs grauibusq; de caussis in Nauarrium erat concitatus Galliarum Rex, potissimùm verò propter veneficij confessionẽ illam de qua suprà. Missis igitur copijs, Montempessulum, & vicinam regionem, tunc Nauarrio subditam, occupauit.

Ad eum modum afflictus Nauarrius, & in Regni & Normanniæ finibus, (nam & hùc Gallus exercitum miserat) per legatum egit cum Anglo, cupiens in illius amicitiam recipi. Anglus renũciauit, videri sibi necesse, vt si quid grauiter & seriò vellet constituere, super rebus adeò non contemnendis, veniret in Angliam ipse. Quod consilium secutus ille, cum eò deuentum esset, infortunia sua commemorans, ab Anglo consultatione facta, in fœdus & amicitiam receptus est, his ferè conditionibus: nimirum, Vt Anglicas partes perpetuò sequeretur: vt integrum illi non esset, vllas pacis conditiones inire cum Gallò Hispanóve, præter suam consiliariorumq; voluntatem: vt arcem Chirburgum in Normannia positam, præsi-

dijs

dijs ad triennium firmaret, in vsum Angli: vt, si contingeret Anglum illis locis ab hoste Gallo recuperare vlla oppida, cederent eadem in Angli commodum, proprietate interim penes Nauarrium manente. Cæterùm, Anglis hoc erat longè optatissimum, quòd inde semper facillimum essent habituri in Galliam accessum. Ad hæc, vt Anglus quamprimum in Nauarram mitteret quatuor equitum millia, qui bellum mouerent Hispano, néve integrum illis esset ante confectũ bellum, destituere Nauarrium. idq; non Angli, sed huius impensis. Per quosdam ex familia Nauarrica, Gallus certior factus, futurum vt in Angliam iret, egit apud Hispanum, vt is regnũ illius interim graui bello infestaret. Copijs in Normanniã à Gallo missis, præerat artis militaris peritissimus princeps à Coucy. Is, absente Nauarrio, & apud Anglum negotiorũ caussa commorante, plurimas ibi arces & oppida recepit, eoq; faciliùs quòd in ipsius comitatu inter cæteros etiam esset Carolus Nauarrij filius natu grandior, in cuius gratiam vt pleriq; acceperunt hoc bellum susceptum, non admodũ restiterunt. Sola arx Chirburgensis restabat expugnanda. Henricus Castiliæ Rex, Baionam ditionis Anglicę, maximis viribus obsidens, ad deditionem illos haud dubiè compulisset, ni pestilentia mi-

litem afflixisset. Nec tamẽ frustrà copias eduxit, plurimis circum oppidis occupatis. Quin etiam ad oppugnationem Pampelunæ (quæ potissima est Nauarræ ciuitas) magna pars exercitus traducta est. Suprà narrauimus de quodam Iuone Britannico, qui post necem sui parentis Wallorum principis, iam inde à puero fuit educatus apud Regem Philippum, Ioannem & Carolum. Grandior iste factus, & vindictæ ardens, nullam prætermisit occasionem turbandi Anglos: & in omni re militari ita se dabat vt plurimi fieret à Gallo. In agro Burdegalensi quosdam obsidione premens, eò redegit, vt inedia compulsi, ad nihil aliud quàm deditionem faciendam spectarent. Ibi tum in ipsius familiaritatem, quidam nobilitatis se titulo venditans, insi nuauit: à quo tandem, nihil tale ratus, certo die, cùm se motus à suis, ocioso spectaret arcem, & capillum pecteret, crudeliter confossus est. Reliqui duces, quanquam indignissima strenui viri morte plurimum perturbarentur: vrgebant tamẽ obsidionem. Sed Anglis, magno numero per mare aduentantibus, necesse fuit Gallos, & his cõiunctos Britones, infecta re, castra mouere. Per hanc occasionem Angli, in ditione Burdegalensi multa recuperarunt. Inter cætera, cinxerant Britoniæ quoddam oppidum (sanctum

Malonem

Malonem vocant) tunc in Gallorum potestatē redactum. Subinde oppugnatum est, & acriter quidem. Sed à Galliæ Rege, tunc apud Rotomagū commorante, missus exercitus, hostem ab incepta ratione & insultandi ardore reuocauit. Cuniculis igitur actis, vrgere cœptum. Quod vbi persentiscerēt oppidani, tempus opportunum adepti, nocte quadā, magno silentio (parum vigilantibus qui in excubijs erant) vrbem egressi, perfregerunt cuniculos, ita quidem, vt qui in opere desudabant, concussa mole succumberent. Turbatis ad eum modū consilijs, Anglis visum fuit è re sua futurū maximè, si patriā repeterent. Anglici Regis patrui duo, rebus istis omnibus præerant. Pampelunam cingebāt Ioannes Regis Hispani filius (infantem vocant) & Hispaniarū Connestablius. Anglorū auxilio fretus atq; subnixus Nauarrius, acriter sese defendere, collaturus etiam signa cum hoste: sed reuocato, certis de caussis, à patre filio, solutus est exercitus. retrocedentē Hispanū, permisti Nauarrensibus Angli persecuti sunt, exustis atq; direptis aliquot finitimis oppidulis. Ea re vehemēter offensus Hispanus, collectis circitèr quadraginta millibus, Tudellam, vbi tū Nauarrius hybernabat, oppugnare statutum habuit. Sed interceſſione bonorum virorum, inuentæ sunt rationes pacis, puta, vt

Hiſpani filius vxorem duceret Nauarræ Regis filiam, & vt Carolo Nauarræ filio nuberet Hiſpani filia. Carolum quidem iſtum, Gallus, vt antè dximus, aliquot annos apud ſe detinuit. Sed cùm de connubijs ageretur, Henrici Regis precibus incitatus Gallus, parenti illum honeſtè remiſit. Ab iſtarum rerum tractatione, vitam finijt Hiſpanus: cui ſucceſſit Ioannes, omnium ordinum voluntate & conſenſu. Negotium hoc ita fuiſſe tranſactum, implacatiſſimè ferebant Dux à Lenclaſtre, & huius frater germanus, qui vxores duxerant tyranni exulantis, & ab Henrico necati, filias. Dolebat illis noui Regis coronatio. Quinetiam Luſitaniæ Rex & ipſe moleſtiſſimè tulit, regni ſucceſſionem ad hunc deuolutam: vt pleniùs deinceps cognoſcetur.

Galliæ Rex, inſigni prudentia & rerum vſu præditus, vt commodiùs bellum Anglicum ſuſtineret: in Scotiam ablegauit quendam è ſuis, qui Scotum in officio retineret. Hic, vt in Flandriæ portum quendam appulit, inde proſequuturus incœptum iter: adductus eſt ad loci principem. Vbi cùm minùs prudenter quædam loqueretur, conuicijs & iurgio acri fuit exceptus tam à Comite, quàm Britoniæ Duce, in huius generis homines transferente omnium perturbationum cauſſas. Alij præterea

quidam

quidam iniecerunt illi metum, si mari se committeret, futurum vt ex insidijs interciperetur ab Anglis. Mutato igitur consilio, rebus infectis, in Galliam redijt, & re omni explicata, Gallus missis literis aliquanto vehementioribus, Flandrum hortari & commonefacere, si consultum sibi vellet, Britonem hostem suum vt ne foueret. Habita consultatione, nemo fuit omnium qui non suaderet, omnibus modis iuuandum esse fugitiuum & exulantem principem, iactantibus plerisq;, Flandriam posse Galli vires atq; potentiam, si bellum suscipiatur, propulsare. Sed Brito sua tandem sponte in Angliam se contulit, animis atq; studijs suorũ iam aliquãtò magis in se propitijs quàm antè.

Commemoratum est suprà, Cardinales, à morte Gregorij Pontificis, vt Pop. Romanum tumultuantem placarent, vi metuq; compulsos, elegisse Vrbanum sextum. Porrò, cùm iste propter fastũm & animi impotentiam ferè displiceret omnibus: Cardinales magno consensu elegerunt Robertum, Episcopum Cameracensem, vocatum posteà Clementem. Erat id temporis in finibus Romanorum Robertus quidam Budeus, genere nobilis, natione Brito, vir strenuus, & cum eo circiter duo Britonum millia. Solicitauit hunc Clemens vt suas partes defendendas susciperet. Id cùm mi-

nimè recusaret iste, in arcē tacitè cū suis intromissus est, è qua Romanis negotiū facessēret. Et hi quidē Germanū militem atq; Italicū, pro suarū rerū tuitione collectū, subinde in Britones immiserūt: qui crebris & sine intermissione repetitis oppugnationib. vexati; arcis deditionē facere coacti sunt, saluis capitib. & vita.

Robertus, qui his rebus minimè interfuit, sed foris, non procul ab vrbe, castra metatus erat, accepto nuncio factæ deditionis, vbi cognouisset per exploratores, quo tempore Romani in arcem consultandi gratia conuenirent, sub noctem, vias secretiores ingressus, vrbemq; petens, tempore omnium maximè opportuno, cùm è senatu progrederentur, inuasit inermes, nihilq; tale suspicantes. Ibi tum erat videre potentium virorum atq; ciuium vastam stragem. Quo facinore edito, per otium ipse deinde suas copias reduxit.

Rex Gallus, vt cognouit de altero Pontifice creato, collectis aliquot ordinibus, & inter hos potissimùm Theologico, percunctari, in hac diuersitate, vter agnosci deberet. Variabant, vt fieri solet, sententiæ. Proceres ecclesiastici, Regisq; fratres, & bona Theologorum pars, Clementem approbandū existimare. Placuit Regi censura: quæ per omne regnum illico denunciata fuit, vt certum, quod sequerentur omnes,

mnes, extaret. Idem sentiebant Hispanię Rex, Sabaudiæ Comes, Dux Mediolani, & Regina Neapolitana. Carolus Bohemiæ, Romanorum Imperator, omnia dissimulare, quanquàm Imperij pars magna sequerentur Vrbani partes. Scotus etiam ad Clementem inclinare. Ludouicus Flandriæ Comes, vim & iniuriam Vrbano fieri dictitabat. Hannonienses, nec huic nec illi se dare. Clemens, vt caussam suam firmaret, Cardinalem Pictauiensem misit in Galliam, & huic vicina loca, explicantem quemadmodum Vrbanus, vi & metu, inuitis Cardinalibus fuisset penè extortus. Facilè persuasit in Gallia, nimirum antè iudicata caussa. Hannonius & Brabantus, in illo quidem humaniter tractando nihil prætermiserunt: sed præterea nihil obtineri potuit. Flander multò antè nunciauerat, se non expetere ipsius colloquium, habere se Vrbanum vt summum dominici gregis pastorem: ab eo se nunquam recessurum. Auenionem præterea misit Clemens, qui curiam & reliqua omnia adornarent. Sub id temporis, Regina Neapolitana, de maximis rebus transactura, venit ad Pontificem. Cæterùm res ita habet.

Ludouicus à Sicilia, Dux Apuliæ & Calabriæ, in extrema valetudine constitutus, filiam hanc suam, ad se deductam, sic allocutus est:

Tu quidem, filia mea chariſſima, hæreditatem nunc adibis longè florentiſſimam, adeò vt exiſtimem futuros principes viros non paucos qui te propter luculētam iſtam & ſplendidam ſucceſſionem, vxorem ambiant. Conſilium igitur meum ſecuta, nubas potenti & opulento, qui te tuaque commodè queat tueri. Et, ſi contingat te nullam ſuſcipere prolem, transferre debes omne patrimonium tibi relictum, ad Pontificis arbitrium, qui quidem tum præerit. Hoc nimirum parens meus Robertus, æger decumbens mihi iniunxit. Ego itaque vt ab impoſito munere ſubleuer, tibi viciſſim illud præcipio. In hanc ſententiam pleraque alia diſputanti patri, filia, in conſpectu multorum, ſanctè promiſit ſe non defuturam hîc officio ſuo. Poſt mortem patris, illa nupſit Andreæ ab Hungaria, fratri Hungariæ Regis Ludouici. ſterile fuit illis connubium hoc, ipſo multùm adhuc adoleſcente è viuis migrante. Nupſit deinde Carolo, principi Tarentino, & filiam vnicam ſuſtulit. Hungarorum Rex Carolo bellum mouit, adempta illi vi armorum Apulia & Calabria, capto etiam inter pugnandum ipſo & in Hungariam abducto: vbi & è vita diſceſſit. Ab hoc nupſit Maioricæ Regi miſſis in Galliam legatis ad Ludouicum à Nauarra, (cuius antè facta mentio) quem filiæ

ſuæ

ſuæ maritum expetebat. Et is quidem huius rei gratia iter ingreſſus, vitam finiit. Maioricæ Rex, hæreditatē paternam recuperaturus, occupatam ab Arragonio, acre bellum parabat. Diſcedentem maritum vxor retinere cupiens, & ab expeditione dehortans, quòd ſatis amplum & florens haberet regnū, ad omnem etiam luxum, exorare non potuit. Itaque permittens illi ſuos affectus, abeuntem hortari, vt apud Carolum Galliarum Regem prudentiſſimum, re omni expoſita, & commemoratis iniuriis, rationes ſuas ex illius conſilio temperaret. Verùm ipſe neſcio quod maius præſidium aliunde ſperans, opem implorauit ab Angli filio, fidem & ſtudium pollicente. Dum hic militiæ eſſet, vxor miſſo legato, Gallum obſecrare, vt ſibi in eligendo genero, prudenti quidem illo, & illuſtri orto familia pro ſumma humanitate ſua proſpiceret: vt ne tam opulentæ ditiones tandem in alienas manus dilaberentur. Gallus æquiſſimis precibus inductus, miſit cognatum quendam ſuū, cui & deſponſa fuit Reginæ filia. In expeditione ſuſcepta, Maioricæ princeps, vt antè narratum eſt, diem ſuum obijt. Vxor itaq; quarto nupſit. Ea rē perturbatus Hungariæ Regis nepos, nomine Carolus, bellum intulit nouo Regi, & oppugnata quadam arce maritima, deditione facta, cepit

vtrunq; coniugem, filiam insuper & huius maritum. quos non ita multò pòst mori contigit. Rex vnà cum vxore liberatus, ea conditione vt Apulia Calabriaq; cederent. Quæ cùm teneret, firmatis viribus, & initis vndequaq; fœderibus, inhiabat etiam regno Neapolitano, Siciliæ & Prouinciæ. Regina igitur metuens, adeoq; futurum videns vt à morte sua, Carolus in ista omnia totis viribus irrueret: apud Pontificem re omni exposita, rogare illum & obtestari, vt sui patrocinium hic susciperet. Itaq; Siciliam, Neapolim, Calabriam, Apuliam & Prouinciam, facta libera & spontanea donatione, in Pontificem contulit: vt ipse, cui vellet, ea omnia deinceps largiretur. Pontifex donationem acceptam & gratam habuit, perscriptis & ritè super ea re perfectis literis. Pontifex non multo pòst, vt Auenionem venit, ditiones istas omnes contulit in Ducem Andegauiæ, qui Tholosa illuc venerat salutandi Pontificis caussa. Donationem & iste ratam habuit, pro se suisq; hæredibus.

Occasio belli Flandrici.

Brugenses magnis operis & sumptibus conabantur ad se deducere à Gandauensibus Lysam flumen. In eam rem alebant quingentos circiter fossores. Certiores autem facti Gandauenses, tumultuari & impatiẽter ferre: quòd magnum inde viderent detrimentũ ad se redundare.

dundare. Erat tum Gandaui quidam mirè factiosus & popularis, (Ioannem Leonem vocabant) qui studium & cogitationem omnem huc conferebat, vt populum aduersus principem suum inflammaret. Is rogatus à vulgo, & cõsultus quid facto opus esset: oratione & vultu composito respondit, cœptũ hoc à Brugensibus minimè tolerandum: sed veterem quendam morem ciuitatis, laudatissimum quidem illum, sed abolitum, esse renouandum: puta, vt qui libertatis veteris essent cupidi, pileo candido insignirentur. Etenim habere Gandauos plurima & eximia præ cæteris priuilegia, paulatim antiquari illa & supprimi, magno ciuiũ malo & iniuria: futurũ adeò vt si conniueatur, nulla tandem superstint. Olim ita floruisse ciuitatem vt pleriq; potentes etiam viri, bene secũ & feliciter actum putarent si ius reliquorũ ciuium aut gratia, aut largitionibus, aut merito suo impetrassent. Nunc eò deuenisse rem, vt nullo beneficio vel commodo proposito, nemo omnium magnoperè in communem societatem fortunamq; ciuium recipi velit. Eiusmodi sermone complurium animos erexit: & pessimum quenq; facilè illi fuit ad se pertrahere. ferebant singuli pilea candida, & certo die collecti, sumptis armis ibant oppressuri fossores. Et hi quidẽ intellecto nuncio super illorũ

aduentu, non perfecto opere fugerunt. Exaggerabat odium præterea quòd ciuem quendam ſuum iuſſu principis captum, Gandauenſes liberari volebant. Nam & in eo ius ſuum violari clamabant. Repetitum igitur illum à prætore miſſis legatis, cùm non obtinerent: principem ſolicitarunt vt vinculis eximeretur. Quod ille quidem non grauatè facturum ſe promiſit, adijciens præterea, nihil ſe commiſſurum quod ipſorũ libertatem aliquo modo labefactare poſſet: adhæc denunciaturum ſe Brugenſibus, vt cœptum opus planè intermitterent, impletis etiam, quas inchoauerant, foſſis. Interim rogare, vt morem illum geſtandi pilea reijcerent, quòd materiam ea res præberet factionum perpetuam. Id ad ciues relatum vehementer eos alienare, præſertim exaſperante, factionis auctore, Leone: qui futurum aſſeuerabat vt hoc more ſublato, rurſus in veterem ſeruitutem adigerentur. Porrò, etſi Flander obſecrare populum, vt pilea deponerent: miſit tamen circiter ducentos, qui Gandauum præter expectationem ingreſſi, Leonem & certos quoſdam alios in cuſtodiã abductos, populo ſubducerent. Verùm iſtud adeò non potuit eſſe clàm, vt etiam Leoni ſuppeteret otium & conuocandi & inhortandi ſuos oratione graui, vt, ſi quando aliàs, hoc potiſſimùm

mùm tempore, libertatis retinendæ ſtudio, fortiter pugnarent. Abductis igitur ſui ordinis hominibus circiter quadringentis in forum, præfecti manibus erepta Principis ſigna & diſcerpta, pedibus protriuit, ipſumq; adeò præfectum interemit. Quàm hoc facinus animũ Principis perturbarit, quid attinet commemorare? Oppidani & ciues, quibus honeſtior mens inerat, & intelligendi vis maior, proſpicientes ad triſtem exitũ ſpectare omnia, conſultatione facta, miſerunt ad principem ſplendidiores aliquot, facti veniam deprecaturos. Flander initiò quidem duriùs illos accipere: ſed tamen, vt ne malum hoc importunè tractatum & incommodè, longiùs ſerperet: culpam illis omnem condonauit. Dum hi Reipublicæ cauſſam agunt, Leo, præter turbas aliud nihil expetens, vt certum ſuæ factionis numerum videret: produxit eos extra vrbem, & comperit ad decem ferè millia. Ibi tum in concione varia multaq; de aſſerenda libertate locutus, auctor illis fuit demoliendæ cuiuſdam arcis, nuper à Flandro ædificatæ, propterea quòd ex ea plurimum incommodi inferri poſſet ciuitati. Facilè perſuaſum eſt ſeditioſæ turbæ. Leuiter ceperunt præſidio deſtitutam, ſpoliatãq; incenderunt, ſimulante interim Leone dolere ſibi factum, & tanquam fortuito caſu euenif-

set quod studio & maleuolentia perpetratum erat, interpretante. Nuncius ad Flandrum perlatus, ita illum turbauit vt legatos populi, hoc etiam nomine veniam orantes, non sustineret audire, grauibus adiectis interminationibus. Ingentem enim pecuniæ vim in eam structuram impenderat, vt de contumelia nihil dicam, quæ generosum animum vehementiùs multò stimulabat.

Insulis, oppido Flandriæ, in cœtu nobilium & equestris ordinis, grauiter questus de superbissimorum ciuium intollerabili fastu, & iniuria sibi facta, sic eos permouit vt studium & operam illi polliciti omnes, in omnem euentum paratos se dicerent. Ab hoc statim in præsidia distributo milite, cœptum est bellum, cuius quidem ea quam diximus, vera est origo.

Exacerbato in Flandros animo principis, Leo, maiorem nactus occasionem, cùm in cõcione, & aduersæ partis ferociam mentemq; obstinatam esset calumniatus, & eo nomine peropus esse diceret vicinorum amicitiam ac fœdera conciliare: censuit capita suorum, ad duodecim circiter millia. Inter confœderatos erant ciues oppidi cuiusdã: (vocant Dammas) in eo, non citra veneni suspicionem, expirauit Leo repentè. Erant & Iprenses: quod oppidum ingressi, permittente populo, nobiles aliquot

ibi stan-

ibi ſtantes in præſidio necarunt. Leone mortuo, Gandauenſes, creatis nouis ducibus, adiuti à Brugenſibus & multis præterea ſocijs ciuitatibus, cùm ad ingentem numerum creuiſſent: Teramondam, in qua tum Flander erat, diu fruſtra oppugnarunt. Motis igitur caſtris, & cõiunctis armis cum reliqua exercitus parte, Audenardam acriter obſidebant, ſtrenuè ſe defendentibus qui intùs erant. Sed cùm nulla ratione commeatus adferri poſſet obſeſſis, Flander proſpiciens, futuram ex penuria deditionem, tacitè optare pacis conditiones. Huc mirè etiam inclinabat ipſius mater, Arteſiæ Domina, quæ pridem miſſis ad Burgundum Flandri generum, amiciſſimis literis, obteſtari vt in tractando pacis negotio diligentem operã nauaret. Huius rei cauſſa, Tornaci quindecim diebus inſumptis (ferocientibus nonnihil Gandauenſibus) tandem ita fuit tranſactum, vt Audenardæ obſidio ſolueretur, vt Gandauenſes arcem nuper deſtructã, ab euoluto anno reſtaurarent, vt princeps iniuriæ præteritæ depoſita memoria, Gandauum ſe commorandi cauſſa reciperet.

Brito, ne Flandriæ principi vllũ odium importunitate aliqua ſua conciliaret, in Angliã ſe cõtulit, vt ſuprà diximus. Ibi acceptis ab omnibus ferè ſuę ditionis ordinibus, longè ſuauiſſi-

mis literis, quæ illum in patriam reuocabant, ex Angli consilio reuertit, non citra militem Anglicum, subsidio datum.

Flander Gandauum vbi venisset ex pacto, coram omni multitudine, luculenta oratione suum in eos affectū declarans, obiter & illorum ingratitudinem reprehendit & simul benigni principis munere fungens, hortari eos ad concordiam & tranquillitatem in Republica deinceps retinendam. Ita se comparaturum rationes suas omnes, vt ne vllius turbæ causſam dedisse videri possit. Orare se, quàm possit vehementer, hoc solum, vt eorum qui candidis pileis insignirentur, factio aboleretur. Ad reliquam omnem concionem patienter auscultatum est: pileorum autem deponendorum facta mentione, vidisses mutari vultus & ora plurimorum. Flander, animis illorum perspectis, vt suspicari libet, ac discordiæ semina longè lateq; sparsa considerans, dimissa concione, Gandauo discessit. Gratissimum hoc erat spectaculum seditiosis: contrà, honestioribus dolere plurimùm, simultatem & dissidium hoc intestinum indies magis atque magis augeri.

Postquàm Gandauorum vrbem reliquisset Flander, quidam genere nobilis, vlciſci cupiens necem prætoris cognati sui, nuper à seditiosis

ditiosis oppressi, vt narratum est, indicto Gandauensibus bello, per occasionem inuasit mercatores aliquot, frumenti conuehendi caussa Scaldam nauigantes. Comprehensos mutilauit manibus, & simul exoculauit. Dicebant pleriq; omnes, auctore Flandro istud perpetratũ. Factiosi, velut aperta sibi fenestra quiduis audendi, ad quinq; circiter millia collecti, ceperunt Audenardam nullis munitam præsidijs, (nihil enim metuebatur, nuper firmata pace) deiectis aliquot portis, item turribus & muri parte, quæ Gandauum respiciebat. Tum Princeps, intollerabili superbia illorum velut expugnatus victusq;, legatis in vrbem ad populum missis, & ipsorum maleficia, & suam moderationem, vbi sermone ob oculos posuisset, bellum eis & hostilia omnia denunciauit. Interim ciues qui pacem expetebant, reliquis fuerunt auctores, vt ad mitigandum Principis animum restituerent captum oppidum, & scelerum auctores aliquot relegarentur. Leniuit ea res Flandrum vtcunq;. Et, vt exemplum statueretur, Iprensis oppidi plebeios aliquot, propter concitatas seditiones, ad supplicium rapuit. Quo quidem nuncio accepto, qui Gandaui erant factiosi & scelerum duces, aduersa omnia metuere. Secuti deinde cuiusdam sui ordinis consilium, existimantis, libertatem

parari non posse nisi concussis magnatum & nobilium fortunis, quicquid circùm erat munitionum & honestiorum ædium, demoliri & diripere, spolijs inter se diuisis. Nobiles tam insigni iniuria affecti, & damno aucti, post querimonias, Principis sui permissu, bellum atrox intulere Gandauensibus. Qui, veriti ne Flander à Gallo subsidium flagitaret, missis in Galliam legatis, obsecrare Regem ne contra ipsorum Rempublicam arma sumeret. decertare se, & belli incommoda sustinere, non aliqua pertinaciá, sed amore vindicandæ libertatis. Galliæ Rex, propter Britonem, alioqui parum propitius Flandro, facilè assensit, erectis illorũ animis. Quin & Clemens Pontifex, quẽ Flander minimè voluit agnoscere, videbatur occasione data non prætermissurus quin illi vicissim ægrè faceret.

Britoni, suorũ literis reuocato, vt suprà diximus, inq; ditionem suã reuerso, Anglus, ex promisso, certum numerũ copiarum subsidio misit. Isti verò tempestatũ violentia compulsi, in Angliã redierunt. Brito interim, ignarus rerũ omnium, & miratus moræ causas, denuo solicitauit opem Anglicã. Missus itaq; fuit Eduardi Regis natu minimus filius, & cum eo ad sex hominũ millia. Facto itinere per bonam Galliæ partem, vbi propius hostẽ Burgundiæ Ducem,

cem, Regis fratrem, deuentum esset: optare quidem ille prælium, sed Rex iustis & grauibus de caussis vetuit, existimans futurum vt ipsi inter se dissiparẽtur. Et, vt erat magna quadam ingenij felicitate præditus, quàm potuit secretè cum Nantensibus (ijs locis florentissima ciuitate) per literas egit, officij illos commonefaciens, & rogans vt ne hosti contra se opem ferrent. Illi pro suo in Galliam amore, fidem, studium & operam polliciti, animũ Regis omni dubitatione liberarunt, &, quò facilius hostem repellerent, militem ad se mitti cupiebant, qui præsidio esset. Angli, tandem magnis itinerum difficultatibus & molestijs, in Britoniam aduenerunt. Narrat auctor, Anglos hunc obtinere morem, vt belli gerendi caussa profecturi ad exteros, Regi suo sanctè promittant: primùm, tacita se habituros & quàm maximè secreta consilia omnia, & initas belli susceptri rationes. Deinde, nullas se pacis conditiones cum hoste firmaturos, præter Regis & procerum voluntatem.

Anglis per mediam, vt diximus, Galliam petentibus Britoniam, Carolus Rex, omnium suæ ætatis prudentissimus princeps, in aduersam incidit valetudinem. Suprà commemoratũ est, à quibusdã Nauarrij familiaribus prębitũ illi fuisse venenum, non quidẽ tunc Regi,

sed Normanniæ principatum obtinenti. Cuius quidem veneni tanta fuit vis, vt & capilli & vngues illi exciderent: & ipse adeò factus aridus, vt vix hominem repræsentaret. Missus autem à Cæsare medicus quidam Germanus, veneni vim fregit, adeò quidem vt & vngues & capilli vnà cum valetudine paulatim redirent. Destillabat ea pestis per brachium, eruptione facta. Discedens ab eo medicus, futurum dixit vt exaresçente illa defluxione, non multò pòst viueret. Itaq; Rex, animaduersa imbecillitate sua, fratres germanos, Burgundiæ & Berriæ Duces, item Borbonium, accersitos ita compellauit: (Andegauiæ Ducẽ, quòd nimiùm videretur cupidus & auarus, adesse noluit) Sentio equidem, germani optatissimi, rebus humanis me nõ posse diu superstitem esse. Carolum igitur filium vestræ fidei committo, & simul obtestor, vt illi vestro consilio & prudentia, in rebus omnibus adesse velitis, quemadmodum patruos decet adesse & consulere nepoti, maximam quidem sustinenti functionem, sed in ea posito ætate, vt sibi prospicere ipse non possit. A morte mea, id agite vt statim illi consecretur regnum. In vos omnem fiduciam meã repono. Videtis adolescentem planè tenerũ. Itaq; peropus illi fuerit bona institutione, & sana disciplina. Curabitis adeò doceri

ceri illum & educari, in rebus omnibus ad Regis officiũ pertinentibus, vt veſtro poſſitis videri officio functi. De vxore, cùm tempus requiret, illi prouidete, potente quidẽ illa & honeſto loco nata, vt per hoc connubium bene etiã ſit regno. Multus mihi fuit vſus cũ Aſtronomo quodam, viro non imperito, qui futurũ ait vt iuuenilibus annis plurimum ei moleſtię & negotij exhibeatur, & vt varijs fortunæ caſibus elabatur. Equidem ſuper eo diu multumq; cogitaui mecũ, vnde queant eiuſmodi rerum occaſiones oriri. Nam habetis regnũ hoc tempore, beneficio dei, ſatis tranquillum. De Flandria neſcio quid ſuſpicor. Britonum Dux vafer eſt, Angli ſtudioſus, & nobis infeſtus. Quapropter opus eſt vt potiſſimas Britoniæ ciuitates in amore retineatis. hac nimirum ratione cõcident illi ſua conſilia. Laudandos ego ſanè Britones arbitror, & amore complectẽdos. Nam fidelem mihi ſemper operã, in tuendo regno, hoſteq; profligando, nauarunt. Mittite in Germaniam qui filio meo ijs locis de vxore proſpiciant, quò firmius ſit amicitiæ & fœderis inter nos vinculum. Accepiſtis, Anglum hoc ipſum moliri, & vxorem illinc ſibi petere, vt hac via rationes ſuas firmiores habeat certioresq;. Regnum hoc noſtrũ ab illo plurimùm, vt vobis conſtat, inquietatur, & multa ſuſtinet

incommoda. Tollite, quæso, omnem eiusmodi occasionem belligerandi. Nam etsi ego videri possim aluisse bellum: tamen odi hoc genus omne, & plurimùm hoc tempore ea me cura pungit sollicitatq;. Multa deinde alia in hanc sententiam loquebatur. Et aberat quidem, vt paulò antè diximus, Andegauiæ princeps: verùm per internuncios haud difficulter omnia resciuit, & quosdam alios in Regis aula versantes: & quo die Rex vitam finijt, aderat
1380. Lutetiæ. Cumq; de morte illius accepisset, statim inuolauit in ornamenta Regis, in gemmas & quicquid erat excellentium ibi rerum. Iam enim profectionem in Neapolim animo conceperat, in quam multis erat opus, præsertim auctiore iam illo facto ex donatione Clementis, vt suprà commemoratum est.

Cæterùm, etsi voluntate Regis statutum fuit penes quos administratio rerum esset futura, tamẽ Andegauus in eam se ingessit, forsan ob maiorem ætatem: nõ admodum repugnantibus fratribus. Decretum inde fuit à regni primoribus (pares vocant) vt coronatione Regis quamprimùm facta, moderatio rerum esset penes patruos, donec ad vicesimum primum annũ Rex nouus peruenisset. Ad Regis consecrationem vocati sunt inter cæteros, Albertus Bauariæ, Comes Sabaudiæ, Duces Geldriæ,

Geldriæ,& Iuliacensis.Interfuerũt prẹter alios, Wenceslaus Brabantiæ Dux , Lotharingus, Sabaudus, Marchiæ Comes. Flander excusare sese. Natus tum erat iunior Rex annos duodecim. Fratrem germanum habuit Ludouicum, & sororem Catharinam. A coronatione.grauiter consultatum est de rebus ad regni dignitatem & confirmationem pertinentibus. Tãdem ita placuit, vt Berriæ Dux omnem prouinciam quæ vulgo Languedocia vocatur: vt Burgundus Picardiã & Normanniam administraret: vt Andegauus, Regi adiunctus, summam regni gubernationem obtineret.

Carolus Rex ea fuit prudentia, vt rogatus ipse, Parisijs in otio & tranquillitate, consiliorũ suorũ exactissima ratione, plurima quæ maiores ipsius armati & totis in hostem viribus, ipsi adeò pugnantes amiserant, recuperarit. Quinetiã Eduardum Angliæ Regẽ postrema, quam in Britoniã instituit, nauigatione, suos ab obsidione liberaturus, cùm vi tempestatũ impeditus retrocederet, inter cæteras molestias hoc vnũ malè habuit, quòd cum hoste tantum non inermi , & qui nunquam ipse proditet, bellum gereret: adeoq; dixisse illum ferunt, cum nullo vnquã hoste sibi rẽ fuisse, qui & minùs armaretur , & plus negotij faceſſeret. Etenim postquã in regni successionẽ venit , nunquam ipse ar-

ma sumpsit: verùm consilijs & ratione gubernans omnia, rerum tractationem fratribus commisit.

DE CAROLO SEXTO GALLIARVM REGE.

NARRATVM est suprà, Eduardi Regis filium natu minimum, per Gallias in Britoniã cum suis copijs, vt Duci opem ferret, penetrasse: qui etsi reuocatus erat à suis, vt antè diximus, tamen astutia Galli id effectum erat, vt in multis voluntatem & fidem desideraret, præsertim in Nantensi populo, & alijs. Infortunia sua commemorantem, & hostis calliditatem, Angli filius confirmauit, studium & opem pollicitus. Itaq; conuenit inter eos, vt coniunctis armis oppugnarent Nantenses. & ad obsidionem Anglus quidem nulla interposita mora se contulit: Brito interim solicitare suorũ animos, vt in hanc curam secum incumberent, suppetiasq; ferrent. Illi contrà, se in Anglorum gratiam, agrum suum minimè depopulaturos: & quandiu in Britonia hærerent Angli, nunquam se arma pro eo sumpturos. Hoc

ros. Hoc adeò illi impedimento fuit quò minùs pacto & conuentioni staret, Anglo interim quid rei esset, admirante secum, & subirato, maximè verò cùm à Britone nullus adferretur nuncius, interceptis qui inter vtrunq; commeabant, tabellarijs. A multa & diuturna deinde expectatione, puta cùm obsidionem in bimestre protulisset, ratus frustra consumi à se omnia, ni subsidia mitterentur à confœderato, re imperfecta, ad Britonem, cuius omnino voluit sententiam cognoscere, profectionem instituit. Ille se diligenter purgare, culpam in suos transferens, quorum perfidia circumuentus, fidem ipse liberare nequisset. Cæterùm, vt amicum placaret, permisit illi cum suis copijs apud Venetos hybernare.

Dum Nantes obsidione cingerentur, Britones aliquot nobiles, quorum præ cæteris auctoritas eminebat, cum principe suo collocuti sunt in hanc fermè sententiam. Satis præ te fers, & haud obscurè demonstras, Anglicæ nationi te prorsus addictum. Sed quid tandem fructus aut dignitatis ex hac amicitia consequeris? quid est cur illos tantopere obserues? Adducti per te in Britoniam, paternis te bonis & hæreditarijs exuent, si quidem in Gallum victores euadant. Exemplum te moueat Regis Nauarræ, qui summa de illorum fide con-

cepta opinione, detulit arcem & oppidum Chirburgum : in quam semel admissi, nunquam discedent, ac velut iure sibi debitam perpetuò retinebunt. Non dissimili ratione, si tuo permissu & beneficio semel in vrbes hîc recipiantur, non est quòd existimes aliquando migraturos. facilè à suis habituri sunt semper præsidia, quibus veluti recreentur. Non est quòd longè petamus exempla. vidésne quemadmodum teneant Brestam oppidum, tuæ prorsus ditionis & iuris? sed quando futurum est vt restituant? Certò scias, nihil minùs cogitare illos. Satis igitur hoc tibi sit, & bene tecum agi putes, amari te à populo: cuius profectò ea est mens atque sententia, vt ad gratificandum istis nunquam sint à Gallo defecturi. Quid? an verò quia vxorem habes Anglicam, idcirco te tuaque perditum ibis? An hæreditatis adeò luculentæ & amplæ, pro qua retinenda tot labores & tanta sumpsisti pericula, iacturam facies? An perpetuum ales militem? Solus quid efficias, deserentibus te tuis, & arma etiam contra te capientibus? Omitte rationes istas omnes atque consilia. Decessit Galliarum Rex aliquantò grauiùs in te concitatus. huic successit filius multùm adolescens, ingenio non malo.

Dabimus operam vt tibi reconcilietur, vt amicitia

amicitia inter vos coëat. Ita fiet vt & tu citra molestiam & inquietationem omnem tua possideas, & isti, vbi consilijs exciderint & expectatione proposita, domum repetant. Hoc genus oratione commotus ille quidem : metu tamẽ ne Anglos offenderet, dissimulare omnia. Consilij auctores, minimè differendum arbitrati, ad Gallum tacitè arrepto itinere, tunc Lutetiæ commorantem, & ibi re omni exposita, de pace agebant. Anglus rerum ignarus, in proximum ver, statutum habuit acceptis ab Anglia suppetijs, bellum in Gallia facere multò acrius quàm antè. metuebant hoc ipsum Galli, & futurum videbant vt magnum aliquando malum ab Anglis ad se redundaret. Britones de pace cum Rege locuti, quòd animaduerterent illud in Gallia metui, (solent enim prudentes legati in eiusmodi difficultatibus, omnia diligenter obseruare) transferentes hoc ipsum in suum vsum, in tractatione firmandæ pacis mirè id exaggerarunt, & dissimulanter quidem, adeò vt istarum rerum iniecta mentione, faciliorem ad omnia Gallum haberent. Præerat autem Dux Andegauus, vt suprà diximus. Hic, quòd in animo haberet, breui pòst tempore in Calabriam & loca vicina, donatione acquisita, proficiscì, nihil minùs voluit quàm nouo bello turbari Galliam,

caq; ratione sibi opportunitatem adimi illius quod pridem statuerat, perficiendi. Accepta igitur legatorum sententia, futuriq́ue belli suspicione sibi iniecta, multum expetere concordiam & pacem. Ea fuit eiusmodi, vt Britoniæ princeps, Gallo recõciliatus, fidem illi pro inauguratione præstaret, & ea omnia faceret, quę solent ex more in talibus rebus fieri. Porrò, vt Anglus, per immensas ambages euocatus à Britone, aliquo modo placari posset, voluntate regis permissum est Britoni, vt illum ad suos rediturum, nauibus & reliquis necessarijs iuuaret. Anglus ad hunc modum delusus, & opinione falsus, non admissis excusationibus, indignationis plenus, vela ventis commisit.

Sub hoc tempus Flander in Gandauos mirè fuit concitatus, ob non ferendam illorum superbiam. Cæterùm, euenit bona quadam illius fortuna, seditionem apud Brugenses oriri, inter optimates & plebem. vocatus enim literis à magistratu, obsecrante vt in vrbem accederet: vbi venit, capitis pœnæ subiecit plus minus quingentos, vrbem in suam fidem recepit, & alia quædam viciniora loca, quorum accessione factus animosior, statuit Iprenses, qui nobilioribus aliquot è familia sua oppressis, Gandauos in vrbem receperant, plectere. Illis opem flagitantibus, Gandaui confœderati in subsi-

dium

dium misère ad tria millia. Flandri copiæ surgebant ad viginti penè millia, ferétibus opem Brugensibus. Auxerunt igitur & suũ exercitum Gandaui, cõscriptis præterea nouem millibus: & progressi ad aliquot passuum millia, socijs denunciarunt vt suos & ipsi producerent in aciem, quò iunctis viribus hostem adorirentur. Educta sunt circiter octo millia. In procinctu, spatiũ aliquod itineris emensi, cùm ad biuium esset deuentum, à deliberatione, ingressi tandem sunt viam, quæ à Flandrico milite ad insidias ibi posito obseruabatur. In quem vt inciderunt priusquam ad sociorum copias peruenissent, cæsis ad tria millia, reliqui fuga dilapsi fuerunt. Is verò qui ingrediendi hoc iter consilium dedit, proditionis insimulatus, tumultuante populo, nec vllam excusationem admittente, miserabiliter necatus est, membratimq; discissus, particulam aliquam singulis auferentibus, vt animum ita suum expleret. Miser iniquum retulit pro æquo. Nam si tale scelus perpetrasset, facta cæde, non erat in illorum turbam se daturus.

Re bene gesta, Flander in hoc omnium terrore parabat acrem oppugnationem in Iprenses. Hi verò, commoti exemplo recenti, in illius fidem se dediderunt. Admissus in oppidum, è vulgo circiter septingentis capite punitis, tre-

centos plus minùs è ditioribus Brugas misit captiuos. Iprenses imitati multi alij, deditionem fecerunt. Gandauos igitur, qui penè soli restabant, obsedit: verùm id tam arctè fieri non potuit, quin portis aliquot liberè deferretur ad eos commeatus. Est enim locus natura & duobus magnis fluuijs (Scaldam vocant & Lysam) munitissimus. ingentem igitur habeat exercitum opus est, qui totam obsidere velit. Censa tunc fuerunt capita eorum qui per ætatem arma ferre poterant, ad octoginta millia. Et adeo non morabantur obsidionem illam, vt etiam tunc vrbem egressi, quædam Flandrica oppida diriperent. Fauebant illis impensè, inter cæteros, Bruxellenses. Auxilium quoque certum attulissent Leodini, sed loci interuallum obstabat. Cùm tempus tereret obsidendis illis, impendente etiam hyeme, Flander exercitum dimisit. Vt ver nouum redijt, contractis ad viginti millia, Gauram oppidum oppugnare statuit. Præfectus, ibi stans ad præsidium, Gandauos orare suppetias. Ab his illico missæ copiæ, numero ad sex millia, cùm in Audenardæ milites circiter sexcentos ad principem suum ex mandato properantes, incidissent: oppressérunt ad vnum omnes. Adhæc, alius quidam, homo non ignauus, (Petrum Syluanum vocabant) acceptis à Gandauis totidem millibus

bus hominum, pactus erat cum eo qui prior ad defendendos Gaurenſes abierat, vt, niſi coniunctis armis, in Flandrum non pugnaret. Ille verò, certior factus & vicinum hoſtem & ad dimicandum eſſe paratum, accenſus gloriæ cupiditate, non expectato periculorum ſocio, tametſi imparem numerum ad prælium adduxiſſet, aciem inſtruxit. Flander, in quinque ordines milite partito, in quorum ſingulis quatuor erant millia, & collatis ſignis, hoſtem nauiter quidem ſe defendentem, ſed quòd multitudine vinceretur, ad ſuſtinendum diutiùs impetum minimè parem, in fugam conuertit. fugientes miro perſequebantur ardore equites Flandri. Cumque in monaſterium vicinum fuga ſe recepiſſent, ne quis ex omni turba dilabi poſſet, Flander ignem in tecta omnia coniecit. E ducibus copiarum alter ad loci portam ſtrenuè pugnando, confoſſus eſt: alter è turri, quò confugerat, ignis iam omnia circùm occupantis violentia coactus, in medium 1381.
ſe hoſtem præcipitans, exceptusque gladijs & haſtis, in ignem rurſus abiectus eſt. Reliqua turba omnis miſerè conflagrauit, trecentis, qui rectà in patriam fugerãt, elapſis. Hic quem diximus Petrus Syluanus, cùm non longè abeſſet, videbat quidem ſuos laborare, & rem infeliciter agi: ſed propter interiectum flumen

& paludes, tempore illis subuenire non potuit. Quo nomine, simulatq; militem reduxit Gandauum, penè fuit oppressus à vulgo. Sed excusatione probabili pacatos inhortari, vt, quandoquidem duos in eo prælio viros planè militares amisissent, crearent alium cuius industria putarent Rempublicam melius habituram, id esse peropus aduersus ferocientem hostem.

Flander, bona exercitus parte dimissa, reliquos in præsidia, præcipuè verò ad Audenardæ defensionem, misit. Interim ex pileatorum factione circiter mille ducenti, certiores redditi quo tempore nobiles quidam ex Audenarda prouolarent ad rapinas, redeuntes illos à præda ex insidijs adorti, magna ex parte interemerunt. Sed non fuit illis hoc impune. Simili enim astu circumuenti ab occisorum socijs, vix pauci euaserunt.

Opulentiores honestioresque Gandaui ciues, Reipublicæ statum prorsus labefactari & conuelli, cædi subinde duces atque militem, & se paulatim veluti consumi à Flandro, plurimùm dolebant, sed tacitè. Superabat enim, & potentior erat improborum turba, quorum in pace non solùm nulla fuit dignitas, verùm extrema etiam egestas, & quoniam in his rationibus tam turbulentis, & re & auctoritate valebant, placere eis spectaculum hoc cruentum

tum, seditiosum & quotidianum. Quin & Syluanus, scelerum perpetuus fomes, reputans, vitæ periculum difficulter euasurum se, quocunque tandem modo res caderet, etiamsi Gandauis Flander reconciliaretur, circumspexit quem obtruderet populo gratum & idoneum turbis pertinaciter mouendis & excitandis bellis, auctorem. Venit illi in mentem Philippus Arteuillanus, Iacobi, de quo sæpe facta mentio, filius: qui, etsi ingenio valebat, tamen ob necatum à Gandauensi populo parentem, priuatus viuere. Passim erat audire voces optãtium vel Iacobum à se priùs oppressum, vel quem alium illius similem, cuius auspicio & ductu niterentur. Hoc in suum vsum applicans Syluanus, retulit ad sui ordinis homines, sed non priùs quàm Philippum interpellasset, quem, re omni declarata, propositisque maximis præmijs, & dignitate summa in tali ciuitate ob oculos collocata, in sententiam suam haud difficulter induxit. Postridie ad populum cœpit commendare Philippum, laudandi occasione ab illius patre Iacobo sumpta, neminem illo fideliùs administrasse Flandriam, hoc testari seniores & affirmare, quibus cognitum sit, magno semper illum studio defendisse regionis dignitatem atque commoda: iamolim extremam calamitatem, illam effugere non

potuisse, nisi vnius viri prudentia fuisset conseruata. facturos igitur ciues non inconsultè, si quidem ex illa arbore tam non mala productum surculũ ad Reipublicæ propagationem asciscant. Ad hunc modum inducti, Philippum sibi ducem sumpserunt.

Suprà commemoratum est, Ioannem Henrici Castiliæ Regis filium, ex communi prouinciarum & ordinum voluntate, in regni successionem admissum. Ea res Ferdinandum Lusitaniæ dominum grauiter offendit, puta, eum qui sit è spurio natus, in amplissimæ ditionis administrationem euectum, exhæredatis Regijs filiabus, quarum vnam Lenclastre, alteram illius frater, vt diximus matrimonio sibi iunxerant. Commotus igitur & rei indignitate, & quòd nuptis puellis esset consanguinitatis vinculo coniunctus, bellum denunciauit Hispano, petitis ab Anglo suppetijs. qui patruum suum, Cantabrigiæ dominum, & cum eo copias, item vxorem Isabellam & Ioannem filium misit. Dux à Lenclastre in Scotiam missus est, vt de renouanda pace, aut saltem de inducijs cum Scoto transigeret. Absente illo, per Angliam orta fuit longè periculosissima seditio, cuius hæc ferè causa fuit: Rustici illis locis, vt in pleriſque alijs, ita sunt astricti nobilioribus, vt necesse habeant illorum agros colere, fruges

fruges metere,colligere,reponere, triturare,& quid non?item cædere ligna, & in nobilium ædes cõuehere.Porrò, sacrificus quidam id temporis(Ioannem Vallam appellabant) concionibus populum in hoc induxerat vt existimarent,per omnia seruandam æqualitatem, hominem homini non præstare, non nobilem ignobili,non opulentum pauperi,non doctum ignaro. Communes omnium mortalium parentes,& primos quidem illos, ad eum vixisse modum, nullo prorsus obseruato discrimine. Itaque auctor illis fuit, vt ad magnum numerum collecti, Regem interpellarent: futurum vt illi,multùm adolescenti, persuadeatur. quod si non fiat, ferro se in libertatem vindicarent. Hunc præsul Cantuarensis aliquando in carcerem coniectum, qua nescio tandem religione motus,expediuit, magno certè & exitiali suo malo. Dimissus enim, aliquantò etiam pertinaciùs vrgere institutum suum. Qui Londini tum erant tenuiores, odio locupletiorum, vt fieri solet,laudare factum, per literas etiam inuitatis illis, Londinum venirent, patefacturos se vrbem.

Collecti adeò ex omni vicino agro & longinquo ad sexaginta pènè millia, Cantorbium vbi venissent,eiusdem factionis oppidum, diripuerunt diui Thomæ fanum. Postridie,

iter ingressi, quicquid erat in itinere prædiorum, quæ quidem ad socios non pertinerent, demoliri prorsus,& quacunq; vaderẽt,in suum ordinem cogere cæteros agricolas. Deprehensum quoque nobilem, vt imperatorem turbæ se præberet, adegerunt, acceptis tanquam paternæ fidei obsidibus,ipsius liberis. A Londino cùm non procul abessent, duci suo ad regem misso præceperunt,diceret,velle se grauibus de rebus cum eo verba facere: descenderet igitur ad colloquium. A consultatione,Rex facturum se quod peterent, respondit, & comitatus aliquot proceribus, nauicula conscensa, cùm ad locum venisset,ex legatis percontari quid vellent. Illi postulare, vt nauim egressus collocutioni se daret, explicaturos se populi mandata. Rex multitudini diffidens nulla habita longiori oratione, reuertit. Tum vehementiùs concitati, Londinum properant, direptis potentium fortunis in via. Cùm non intromitterentur, dira & crudelia minari, exusturos se suburbia: &, si ferro sibi iter patefacerent,futurum id extremo omnium malo. Territi oppidani, præsertim cùm magna pars ad seditionem & turbam inclinarent, admiserunt illos. Ingressi,per omnia compita statim ad epulas & compotationes ruere, nemine quicquam illis denegante. Cæterùm duces, & cùm

his cir-

his circiter viginti millia, per mediam vrbem grassantes, curiam regis exurere, necatis, qui in vinculis ibi continebantur, omnibus. Exteros omnes mulctare ad mortem, & fœneratorum ædes diripere. Sub noctem, vno agmine collecti ad arcem, in qua tum rex erat, & cum eo ingens potentiorum ciuium turba, spargebant voces minimè obscuras, nunquam se moturos inde, nisi prius à rege quod vellent, impetrassent. Rex & plerique alij putabant eos noctu, vino somnoque sepultos, inermes, discinctos atque dissipatos, esse opprimendos. Alij quibus hoc videbatur incerti & periculosi euentus, iudicabant præstare, siquidem oratione blanda & comi possent mitigari. Quæ quidem sententia obtinuit. Postridie rex denunciauit vt, qui secum essent verba facturi, certo loco adessent, semota interim reliqua turba. Ad colloquium discedente rege, seditiosi aliquot circiter quadringenti, irruptione in arcem facta, deprehensum ibi Cantuariensem præsulem, regni, quem vocant, Cancellarium, capite truncarunt, & multos præterea magni nominis viros, quorum capita hastis præligata, frequentioribus locis & ponti super imposuerunt. In concionem vbi descendisset rex, placidè rogauit quid postularent. Illi, Vt nos, aiebant, & liberos nostros, & posteritatem,

libertati perpetuæ vindicatos & restitutos, à nomine & onere ipso seruitutis eximas. Rege, quod peterent, facturum se promittente, quin etiam notatis & acceptis in eam rem literis, bona pars erant moderatiores. verùm seditionis capita, prauissimis ingenijs nebulones, quibus id studio erat vt in diuitum fortunas inuolarent, collectis & pertractis ad se circiter viginti millibus, & vulgi parte, iamiam erant direpturi quicquid erat opum. sed opportunè à concione, quæ extra vrbem fuit, interueniens Rex, multitudine conspecta, vt, quid rei esset, cognosceret, substitit. Ibi verò morantem illùm è facinorosis quidam proteruis & contumeliosis verbis adortus, habita deinde cum suis collocutione, præcepit vt signo dato, Regios omnes opprimerent, ipsique Regi propter ætatem parcerent. Dum ad regem petulantiùs loqueretur, præfectus vrbis, indignitate motus, illum confodit. Tunc autem vidisses reliquam turbam in omnes cæco quodam furore iamiam irruituram: sed compescuit eos rex, vnum se in illos inferens. quod minùs prudenter ab eo factum alioqui videri possit, verùm feliciter successit. Plurimorum hæc erat sententia, discedentes atque dissipatos huc illuc, persequendos. Rex contrà vetuit ne quid in illos admitteretur, existimãs facilè sibi fore per otium de illis

de illis pœnas ſumere, neq; ſontes erãt omnes. Nam, vt in eiuſmodi tumultibus fieri ſolet, bona pars, vt numerum augerent, in itinere à reliquis adacti fuêre. & hanc quidem moderationem ita rex adhibuit, vt ſcelerum auctores dũtaxat, à vulgo ex neceſſitate proditos, ad ſupplicium raperet, cæteris errore condonato. Flander, obſidione denuò cinxit Gandauũ, ex Hannonia, & Arteſia, cuius non ita pridem, à morte ſuæ matris, factus erat dominus, milite collecto. Interea quidã è ſuis, occupato ditionis Gandauicæ oppidulo quodã, (vocant Grantmont) ad vnum oẽs interemit, tã infantes quàm mulieres atq; ſenes. Imò ne grauidis quidẽ parcitũ, & lecto decũbentibus. Exuſta diuorũ fana, ſolo æquatũ oppidum. Huius tã immitis & miſerãdi ſpectaculi auctor, in quodam deinde conflictu, (quales erant plurimi) cùm in Gandauorũ incidiſſet inſidias, occubuit. Flander immoderatiſſimè ferens illius mortẽ, quo vix vllum habuit cariorẽ, obſidionẽ ſoluit, vehementiori etiã ira in illos concepta. Sed anterceſſione procerum Hannoniæ Brabãtiq́;, pax denuò coijt, populo id maximè expetente. Cęterùm, Syluanus & is, quem nuper crearant, Philippus, quòd viderent præſentem tranquillitatem ſibi fore perniciosam, (ſenatus enim auctoritate fuit actũ de pace) ſubornatis ſui ordinis facinoroſis quibuſdã,

qui tumultuarentur, postridie in concione, cùm palàm recitarentur firmatæ pacis conditiones, impetu repentè facto, duos magni nominis senatores oppressérunt, velut de Repub. pessimè omnium meritos. Eo facto princeps adeò fuit exasperatus, vt nullam deinceps pacem cum ipsis videretur susceperus, nisi omni sceleratorum turba prorsus extincta.

Lutetiæ sub hoc tempus orta seditione, ciues nuper imperatam pecuniam & nouas exactiones omnino tolli volebant, quòd immunitatem hanc à Carolo quinto obtinuissent, & quòd patris deinde voluntatem rex nouus, dum regno consecraretur, confirmasset. Rex, cui iam ingratum erat & insuaue inter simultates viuere, Meldam abijt, populus interim tumultuari, perfringere carceres, eripere captiuos, & regis officiarios aliquot opprimere. Ad placandum tumultum à rege missus è familia, nobilis quidam valde popularis, ita cum eis transegit, vt in singulas hebdomadas, ad militem alendum, vrgente necessitate, penderent decem francorum millia. Quin & Rotomagi nata seditio, Parisianæ haud dissimilis, à rege ipso compressa fuit. Pleræque ciuitates & Respublicæ Gandauorum imitatæ vestigia (quos egregijs laudibus efferre, quòd libertatis suæ acerrimi essent propugnatores) rebellare

lare magiſtratui. Vide quorſum recidere omnia potuiſſent, ni principum virtus interueniſſet.

Cantabrigiæ Comes, de qua ſuprà, propter ventorum flatus minimè ſecundos, in itinere cùm hæſiſſet aliquandiu, fluctibus aduerſis multùm iactatus, Liſbonam, Luſitaniæ vrbem, tandem appulit, vnà cum milite. Commoratos ibi per menſes aliquot Luſitanus in præſidia collocauit, addito mandato ne quid in hoſtem, inſcio ſe, factitarent. Angli, cumque his Vaſcones, otio inaſſueti, quin exercendæ militiæ cupidi magis, certo tempore, cùm à Luſitano vt in hoſtem prouolarent, non impetraſſent: ipſi adeò ſua ſponte progreſſi, oppida quædam Hiſpaniæ expugnarunt, præſidijs ibi relictis. Nihil actum præterea plurimis menſibus, quod ſit memorabile, quæ res otium & tempus abundè ſuppeditauit Hiſpano comparandi ſe & muniendi. E Galliæ miſſæ quoq; ſunt Hiſpano auxiliares copiæ, quibus per Arragoniam facilis erat via, propter fœdus, ratione connubij, vt ſuprà diximus, inter ipſos reges firmatum.

Anglus, in Germaniam miſſis ad Carolum Bohemiæ Regem legatis, vxorem ſibi dari cupiebat illius ſororem, per anni ſpatium & eo amplius res agitata, confecta eſt tandem Gal-

liæ Rex, vt coniugium impediret, Normannis negotium dedit vt magna classe occupato mari, traijcientem nouam nuptam & omnem comitatum illius interciperent. Sed Brabantiæ Dux, facta commemoratione, quàm non esset decorum aduersus imbellem fœminarum turbam eiusmodi aliquid moliri: partim æquitate rei, partim precibus, ab incepto regem dimouit.

Inter Galliæ Regem & populum Parisiensem ita conuenerat, vt pecunia, quam in singulos octo dies erant numeraturi, seruaretur à ciuitatis quæstore, &, nisi in necessitate, ad alendum exercitum, non expenderetur quicquam illius. Porrò, Gallus in Hispanias militem emissurus, denunciare quæstori, vt in eum vsum mitteret centena millia. Ille tergiuersari, & excusare nescio quæ. Dux Andegauorum, gratia multum valens apud populum, quò commodiùs institutam in Neapolim profectionem perficeret, tacitè id egit vt ne quicquam mitteretur ad Regem: &, quoniam penes ipsum erat rerum summa, inuenit rationes quibus id effecit, vt ea, quam Rex petijt, auri vis, citra difficultatem aliquam sibi penderetur. Instructus igitur abundè rebus necessarijs, & contractis circiter triginta hominum millibus, vt Auenionem appulit, vbi tum Clemens erat,

erat, nobilium ibi animos in se mirè propensos compevit. Relicta deinde prouincia, per Italiam accessit in Apuliam & Calabriam: quarum accepta possessione, idque maxima populi voluntate & studio, Neapolim contendit. Et hi quidem Caroli illius de quo suprà mentio, mirè erant studiosi. Carolus hic à morte Neapolitanæ principis, quæ nullum reliquit à se procreatum hæredem, vsurpabat sibi ius & dominium in has ditiones omnes, contendens, factam à Pontifice donationem, duabus potissimùm de caussis inualidam esse & inutilem. Primùm, in manu defunctæ reginæ non fuisse, quæ sua non essent, alienare. Quam illius opinionem Neapolitani & Siculi strenuè tuebantur. Deinde, vt maximè integrum illi fuisset & licitum donare omnia, tamen, quòd ijs locis Vrbanum, non Clementem, à quo facta deinde fuit donatio, Pontificem agnoscerent, hoc ipso irritam esse. Carolus multo antè rebus necessarijs muniuerat arcem alioqui inuictam, (Leusam dicunt) arte non humana firmatam, & cinctam vndique mari, &, nisi arte simili, non expugnabilem, vt fertur. In istam ad annos aliquot instructam se recepit ille cum socijs, cætera securus, quòd sciret Neapolitanos à se nũquam defecturos. Calabriam aut deuictam, aut in deditionem acceptam,

poſt vnum annum aut alterum facilè ſe recuperaturum. Hoſtem, metu rebellionis, cogi magnum ſemper alere exercitum. Id minimè diuturnum illi fore, laboraturum & annonæ caritate & auri penuria. Sic exhauſtos, magno ſuo compendio profligari poſſe. Cæterùm, impoſtor quiſpiam Andegauorum principi pollicitus, obtenebraturum ſe oculos eorum qui eſſent in arce, ſic vt crederent illam ponte coniungi, & hac ratione metu facturos deditionem: inſtigante Sabaudiæ comite, qui tum erat in expeditione, propter maleficium olim deſignatum capitis pœnæ ſubiectus eſt.

Angli, & cum his Vaſcones, ad nouem ferè menſes in Luſitania, nulla re inſigni perfecta, commorati: ſtatuerunt, vt qui otium illud perpetuum odiſſent, denuo in Hiſpanos prouolare. Diſſuadente hoc ipſorum duce, Angli filio, ad quē retulerant, illi nihilominus rem aggreſſi, nec infeliciter quidem, oppida quædam ſubegerunt. Redeuntes deinde, conqueri de non perſolutis ſtipendijs. Luſitanus, quòd præter voluntatem & mandata ſua militaſſent, ſubiratus, videbatur minimè ſatisfacturus. Ibi cùm plerique cenſerent deprædandum agrum Luſitanum, qui inter ipſos erant ſaniori iudicio, diſſuadentibus, tandem per legatos, quod alioqui fuiſſent vi direpturi, impetrarunt. Luſitanus

nus inde cogere militē ad 15 millia, præter Anglos. Hiſpanus exercitum habens 30 millium, hoſti bellum denunciare, productæ acies. Ad complures dies erat inter eos videre leuiores cōflictus. Portugallius autem, quòd numero ſuperaretur, collatis ſignis & iuſta acie nunquā voluit pugnare. Dux à Lenclaſtre, fratri ſuo in Luſitaniam nauigāti pollicitus erat (imprimis enim ipſius agebatur negotium, vt qui natu grādiorem haberet filiam tyranni) ſe, rebus in Scotia perfectis, alias præterea copias illuc adducturum, huius aduentum Luſitanus expectare. Sed propter vulgi ſeditionem turbatis adhuc aliquantulum rebus, placuit Anglo, militem è regno dimittendum non eſſe. Quamobrem ille cum Hiſpano de pace egit, quanquam uis inuitis & immoderatè ferentibus Anglis: quorum dux non leuiter offenſus, abducto ſecum filio, cui deſponderat Beatricem Luſitani filiam, decem natam annos, in Angliam reuertit. Inſequenti pòſt anno, vxore Hiſpani, Aragoniæ Regis filia, vita defuncta, Hiſpanus Beatricem ab Anglo penè repudiatam, vxorem duxit, Pontifice connubium hoc approbante. Obijt deinde Ferdinandus Luſitaniæ rex, cui ſucceſſit, non Hiſpanus, nūper vxore ducta filia, ſed Regis defuncti frater illegitimus, populi & procerum eccleſiæ voluntate.

Turbas ea res & maxima postea bella suscitauit. Ad Gandauos cùm nullus perferretur è vicinis locis commeatus (id enim Flander egit) illi, plus minùs duodecim millia numero, itinere per Brabantiam facto, cùm ad Leodienses peruenissent, annona adiuti sunt. In reditu, Brabantiæ Dominam (princeps enim ipse tum erat Lutzemburgi) impensè rogabant, eò saltem permoueret Flandrum, vt pateretur certo die agitari caussam inter vtriusque partis viros bonos. Non abnuit Flander: Tornaci conuentum est. Vicinorum aliquot populorum legati aderant, dirempturi litem, si quà fieri posset. Pro Gandauis eò venit Philippus Arteuillanus. Flander autem multùm expectatus, cùm nec venturus ipse, nec missurus aliquem videretur: literis eorum qui conuenerant, diligenter admonitus, rogatúsque ne agendi occasionem negligeret, mitigatis adeò & flexis aduersariorum animis: respondit, sibi quidem non vacare coràm illic adesse, verùm, ad gratificandum eò missis legatis, ab vno & item altero die per alios patefacturum se quid sentiat. Id autem eiusmodi fuit: (referentibus ijs quos miserat) Cum populo Gandauo non aliter transacturum se, nisi vt pariter omnes, tam fœminæ quàm viri, (modò nec quindecim annis inferiores, nec maiores etiam essent sexaginta) vrbe

ta)vrbe relicta, inermes, in aperta planicie, nudi caput & pedes, exuti vestimentis, & laqueum collo quisque suo gestantes, primùm à se veniam imploratent admissorum facinorum, ac vt deinde sibi quiduis in ipsorum capita statuendi faciendique potestas permitteretur. Aliud ab eo responsum (tametsi vehementer deprecantibus amicis) obtineri non potuit. itaque discessum est.

Philippus Gandauum reuersus, postridie ad populum retulit omnia. Vidisses miserandam tunc ciuitatis faciem, in extremam desperationem adductis omnibus. In hoc publico luctu & mœrore omnium, Philippus in deliberationem tria attulit, vt aut templis inclusi, delictorumque veniam à Deo precati, vitæ ibi exitum manerent, aut vt conditionem ab hoste propositam acceptarent: aut vt ad quinque circiter millia prodeuntes, in illum pugnarent. Obtinuit postremum hoc, facta deliberatione. Nam aut illico decertandum erat armis, aut inedia miserè pereundum. Militem suum Flander iam habebat Brugis collectum ad quadraginta millia. Nam quòd sciret hostem in magnis positum angustijs, volebat omnino bellum istud honorificè & vtiliter finire: &, de aduentãtibus Gãdauis vt intellexit, copias instruxit. Cæterùm illi, tamẽtsi perpauci, & concionibus sacerdo-

tum, & sui ducis Philippi orationibus incitati: deinde, quòd inopem, exhaustam, afflictam & miserrimam à tergo ciuitatem relinquerent, in qua coniuges & liberi, & quicquid omnino carum esse poterat, quorum omnium vel salus vel interitus in eius fortuna diei tum erat: magnos ad prælium animos adferebant. Brugenses, qui miro priùs ardore pugnam optarant, adeò quidem vt Flander improbis ipsorum instigationibus velut adactus, eo die, quod minimè statutum habuit, prælium fecerit, postquam collata signa, quo nescio subito metu perculsi (& habebant solem aduersum) in fugam præcipites abierunt. &, cùm nulla ratione possent retineri, coactus est etiam princeps fu-
1382. gere, & cum eo copiæ equestres. Voluit quidem Flander, qui fugientes equo præuerterat, ne hostis irrumperet, occlusisse Brugarum portas: verùm id frustra fuit, fugientem enim acriter insecuti, vrbem occuparunt sub noctem. Et ne tunc quidem omnino desperans Flander, collectis ciuibus, conari hostem repellere. Sed eò loci redactus est, vt sub noctem intempestam, discurrentibus per omnem vrbem Gandauis, ille, à suis planè destitutus, nunc in hoc nunc in illud angi portum sese furtim subducens, & tandem in pauperculæ cuiusdam fœminæ casulam ingressus, cui vix erat domi quo

miserum

miſerum tegeret, magna difficultate vitam ſeruarit. Hic mihi vide rerum humanarum & miſeriam & viciſſitudinem admirabilem.

A victoria, indignis modis ab hoſte tractati Brugenſes, & inter cætera quæ collibuiſſent victori, Gandauum abducti ſunt ex illis captiui circiter quingenti locupletiores. Flander, vitæ dubius, cùm aliquandiu latuiſſet, Inſulas profugit, interim pedes, interim equa vectus, abſque ſella, moleſtiſſima & via & cœlo. Gandauorum iſta fortuna plurimùm recreauit Pariſienſes, Rotomagos, Leodinos, Brabantos, & quicquid eſt vicinarum ciuitatum, idq; & propter exemplum, & quòd malè cuperent Flandro, quem faſtus inſimulabant. Philippo plurimus vbique honos deferri: & is quidem in rebus omnibus eum adhibere luxum qui vel in principe nimius videri poſſet. In victoris populi poteſtatem abierunt penè omnes. Audenardæ ciues, vt deditionem facerent, admoniti, poſtquam fortiter & contemptim recuſaſſent, obſidione à Philippo cincti ſunt, ex omni Flandria contractis copijs. Interim ſubinde à Gandauis factæ excurſiones, direptę dirutæque nobilium ædes. Quin & fons ſacer, in quo Flander baptizatus, & cunæ illius & neſcio quæ alia in arce quadam inuenta, libidinem & animum ferocientis militis explerunt. Flander ad ex-

trema redactus in fortunia, rebus perditis, vnicum videbat esse remedium, vt Gallum ad sui commiserationem permoueret. Huc igitur generum suum, illiusque fratrem, à quo salutem expetendam ducebat, adhibuit. Ab eo non difficulter inflammatus Rex adolescens, magna alacritate bellum hoc suscepit. Philippus, vbi resciuit, Flandri caussam intercessione Burgundionum Ducis commendatam in Gallijs, populi nomine missis ad Regem literis, obsecrare vt Flandriam suo principi reconciliaret. Hæc autem non tam ex animo scripsit, quàm vt hominum de se opinionem in Gallijs cognosceret. Verùm, vt consilio suo hic cecidit, (Gallus enim contemnere scriptum) itum est ad Anglum, à quo non modò subsidium pro Gandauis orare, verumetiam ducenta aureorum millia, quæ Iacobus Tornacum oppugnanti Eduardo mutuatus fuerat, tempore minimè omnium opportuno, repetere. Sic adeò factum vt nihil obtineret. Si mutuo datæ pecuniæ nulla facta mentione, solùm de fœdere egisset, credibile est illum exorare potuisse.

Flander, strata sibi iam via, & propenso in bellum hoc Regis animo, in Gallias profectus, post acceptam à Rege inaugurationem Artesiæ, rebus iam suis melius sperare cœpit, præsertim

sertim cùm potentissimum monarcham videret sui causſa, festinatione magna, ingentem exercitum, puta, ad sexaginta millia, in hostem educere. Quod simulatque Philippus resciuit, quæ sui erant muneris, non oscitanter obiens, illico iussit pontes omnes viciniores Lysæ fluminis deijci. Porrò, duobus quibusdam locis erant ab eo disposita firmissima præsidia, quæ traijcientem arcerent. Ad oppidum Cominum, Petrus Syluanus retinebat in hunc vsum circiter nouem millia. Id cùm ignotum Gallis non esset, variabant inter eos, dum de rebus gerendis consultaretur, sententiæ, existimantibus alijs, apud sanctum Odomarum, vbi minor est fluuius, transmittendum: alijs verò, prope Tornacum ponte iungendum Scaldam, vt illinc Audenardam facilè traducerentur copiæ. Placuit tandem vt hostis prope Cominum, vt diximus, consistens peteretur. Vt eò deuentum, cernebant deiectos pontes, & destructa omnia. rursus deliberatum est. Ibi tum animosiores aliquot iuuenes, pugnæ & lacessendi hostis cupidi, (inter quos paulò antè conuenerat, si traiectus non pateret vsquam, id se daturos operam, vt tacitè, non conscijs ducibus, rationem tamen inuenirent) lintribus adiuti, & religatis ad vtramque ripam funibus, paulatim in vlteriorem fluuium omnes perue-

nerunt incolumes, & adeò citra magnam moleſtiam aut diſcrimen, vt hoſtis non procul inde caſtra ſua metatus, nihil vnquam reſciſceret, niſi cum elatis ſignis progreſſos coràm videret. Syluanus tunc propter impẽdentem noctem, minimè ratus tam exiguam turbam ad ſe veniſſe, dimicare noluit, ſomno & labore defatigatos noctu potiùs adoriturus. Sed illi in hac ſolicitudine poſiti, minimeque ignari quàm audax facinus, quamque magnum, præter ducum & regis voluntatem inceptaſſent, rerum ſuarum mirè ſatagebant. Sub lucem collatis ſignis. Galli tametſi pauciſſimi, rem adeò viriliter egerunt, adeoque ſtrenuè, vt cæſis penè ſex millibus, fuga dilabẽtem reliquam turbam in oppidum vicinum perſequerentur. A pugna, prope Cominum illico ſtructo ponte, Gallus reliquum exercitum adducens, Ipram rectà contendit. Oppidani, victoris haud dubiè exercitus fortunam ſecuti, præfecto vrbis, quòd deditionem non admitteret, interempto, in Galli poteſtatem venerunt. Id imitati vicinio-res omnes, & pecuniæ vim magnam regi dependebãt, & ſimul duces rebellionem ſuadentes ad illum captiuos adducere. Cæterùm his rebus omnibus Flander non interfuit. Brugenſes aliorum exemplis moti, ſpectabant & ipſi ad deditionem: ſed à ducibus confirmati, præ-

ſertim

sertim quòd ab Anglis opem sperarent, perdurabant.

Philippus, vt accepit maximi regis copias non procul considere, productis in aciem suis ad quinquaginta millia, hortari illos oratione graui, vt pugnaturi proponerent sibi insignem illam victoriam aduersus Flandrum, quem parua nuper manu fudissent: cogitarent, se post hoc prælium, si feliciter caderet, futuros rerum dominos. Optare id omnes bene institutas & egregias ciuitates: quibus ex animo nihil magis euenire possit, quàm si Gandauos pro libertate tuenda fortiter & indefessè pugnantes, virtutis suæ fructum retulisse cognoscant, extinctis illis quorum inexplebilis cupiditas & ambitio non patiatur vllius Reipublicæ statum esse in tranquillo. In hanc sententiam alia multa locutus, mandauit vt in conflictu, præterquam vni regi, nemini parceretur, interemptis ad vnum omnibus. Flandri vehementer quidem dimicare, non immemores eorum quæ narrasset Philippus. Incitabat & illud non minimùm, quòd tantum in se hostem concitassent: quem si deuinci contingeret, futurum id sibi immortali gloriæ ad omnem posteritatem. Sed circumsepti tandem duabus 1382.
hostium alis, & in angustias redacti, succubuerunt. Ad horam circiter vnam pugnatum est,

& tempore tam breui desiderata sunt viginti quinque millia. Philippus fortiter pugnando concidit, & à pugna iussu Regis inter cæteros quæsitus ac inuentus, ex arbore suspensus fuit. Nimirum ingenti totius equestris ordinis bono, depugnatum est eo die. Nam si secus euenisset, qui tum passim erat rerum status, credibile est in summum fuisse adductos periculum Reges atque Principes. Nam Parisienses iampridem seditiosi, huius prælij euentum auidè expectabant. In Campania & bona Galliæ parte, florentissimæ quæque ciuitates, vnà cum agricolis tumultuari iam ceperant. Itaque in hoc prælio pendebat principum vel salus omnis vel calamitas. Rex tum agebat annum decimumquartum. Brugenses, in hac sociorum miseria, præsidij spe omni sublata, simul & rei bene gerendæ restituendæque occasione præcisa, in Regis fidem sese dederunt. Flander, quòd huic populo non malè cuperet, ad Regem pro ipsis intercessit, vt reciperentur, depensis centum & viginti francorum millibus. Qui Audenardam obsidebant, accepta suorum clade, castra illico mouerunt. Porrò, Gandauenses his tantis malis & fracti & deiecti prorsus, ad misericordiam & clementiam cogitabant solicitare victoris Regis animum. Sed Syluanus rheda vectus eò, (nam grauiter laborabat

tabat ex vulnere) hanc illis opinionem excussit, magnifica policitus. Postquam ex consilio procerum Gallus non putabat obsidendum Gandauum, distributis huc illuc præsidiis, Tornacum rediit.

Gandaui, vt suprà dictum est, ad Anglum miserant pro conciliando fœdere: cuius quidem formulas Anglus, deliberatione facta, perscriptas misit per quendam suæ familiæ, vt, si Flandriæ populis approbatæ fuissent, eorum signis confirmarentur. Legatus, vt Caletum appulit, certior factus, à populo Gandauo infeliciter pugnatum, & pleraque à Gallis occupari, infecta re in Angliam reuertit. Nec admodum dolebat Anglicæ nobilitati, oppressos Gandauos: quibus si feliciter prælium cecidisset, omnium circà populorum animi fuissent erecti: &, quoniam in Anglia non ita pridem periculosissimi tumultus fuerant, minima rursus occasione concitari potuissent. Id illi cogitare. Quo tempore Tornaci Rex erat, desudatum est à multis bonis viris, vt populus rebellis principi suo reconciliaretur. Illi quidem Galli imperium non detrectare, sed grauissima quæque passuri potiùs videbantur quàm Ludouicum recepturi. Cùm nihil transigi posset, Gallus rediit, & Lutetiæ vicinior factus obtuios habuit Parisienses ad viginti millia, bene

armatos omnes. Mirum id videri & nouum tam regi quàm cæteris omnibus. Et, quoniam armatæ multitudini illis temporibus minimè tutum erat fidere: missus est qui sententiam illorum perquireret. Responsum erat eiusmodi, vt dicerent, eo se consilio ita instructos prodijsse, vt rex coràm videret quantas è Lutetia posset habere copias, breui temporis momento, si opus fit. Id tunc quidem in excusationem adferebant: sed profectò longè diuersa cogitarant antè, &, nisi victor ille redijsset, mira contigissent. Iussi redire in vrbem & deponere arma, paruerunt. Trahebat secum rex multum exercitum, è Britonibus & Heduis collectum. Id metum eis incussit. Per otium deinde, ex consilio patruorum, cœpit eos pro meritis tractare, loricas omnes in vnum aceruum congestas extorsit: ad supplicium rapuit consiliorum auctores: imperauit tributa & vectigalia multa: deniq; emunxit ab eis plus minus quadringenta francorum millia.

Feruebant tum odia inter Clementem & Vrbanum: & ille quidem Auenione tum erat, hic autem, cùm ob alia, tum vt Galliæ regi aduersario suo faciliùs incommodaret, Genuam accessit. Ex Italia secum adduxit rationes quibus imperium suum firmaret, hæ autem erant eiusmodi: Cogitabat in Angliam ad archiepi-

scopos

scopos & alios proceres ecclesiasticos missurum se diplomata, (bullas vocant ipsi) quibus delictorum omnium veniam elargiretur in eos qui Clementinos impugnarent. idem enim in Gallijs tum faciebat Clemens. Et, quãdoquidem compertum habebat, se non posse vehemẽtiùs turbare aut affligere Gallos, quàm excitatis in eos Anglis, inuentæ sunt etiam rationes ab eo colligendæ pecuniæ, citra cuius accessionem vix vllus armari voluisset. Itaque visum est illi optimum, si præter ea quæ diximus diplomata, permitteret Regi vt ab ordine ecclesiastico (exemptis interim primatibus) collectas decimas nobilibus assignaret, vt de stipendijs essent certiores. Cæterùm ad hoc persuadendum subornabat ecclesiæ primores, qui cæteram turbam impellerent. Hac ratione nec Regis ęrarium exhaustum est, nec populus ipse grauatus, nisi quantum lubens sua sponte dabat: id quod liberalissimè, vt tum erant secula, pro se quisq; faciebat, nimirum propositis adeò non vulgaribus præmijs, quorum consequendorum occasionem nemo sibi putabat negligendã. Missis igitur in Angliam ab Vrbano plurimis eiusmodi literis, & passim concionibus inflammatis hominum animis, adeò vt beatos se reputarent quibus contingebat eo tempore mori: collecta sunt breui tem-

pore, tam è decimis quàm è spontanea vulgi liberalitate, circiter vicies & quinquies centena francorum millia. Et quò plus fidei haberetur, voluit Pontifex inter cæteros præesse copijs aliquem ecclesiastici gregis virum peritum. Quin & in Lusitaniam similes misit literas, eisdem ibi rationibus vsus, vt Hispano, qui suas partes impugnabat, ægrè faceret. Cæterùm Duci à Lenclastre, Hispania, & Episcopo cuidam ex familia Spensiorũ, Gallia oppugnanda euenit. Sed, quòd ille minùs esset popularis, & auaritia magis quàm animi candore inductus crederetur ad hanc expeditionẽ accingi: malebant pleriq; sub Episcopo militare: cui discedenti Anglus iniunxit, vt Caleti alterum collegam & belli gerendi socium expectaret. Ille verò, moræ impatiens, & nihil cunctandum ratus, in Flandriã copias adduxit. Missis à Flandro tum Insulis commorante, qui noui belli causſam cognoscerent, non denunciatis inimicitijs, respondit, in gratiam Vrbani Pontificis persequi se Clementinos omnes. Legati contrà, Flandriam omnem Vrbano prorsus addictam. Si nulla sit alia cãussa, iniquè susceptum bellum aduersus immerentem socium. Ideoq; petere commeatum, vt in Angliam sibi liceat tutò traijcere, & colloqui cum Rege. Tum ille satis proteruè, se nullam eis facere vel manen-

manendi vel eò proficiſcendi copiam: ſi traijcere omnino velint, faciant id ſuo periculo. Cùm aliud ab homine parum & ciuili & tractabili obtineri non poſſet, Flandri ad duodecim millia non procul ab oppido (Dunequerquam vocant) collatis ſignis depugnantes in Anglos, (quorum fœcialem ad ſe miſſum interemerant) cæſi ſunt plus minùs nouem millia. Occupatis deinde quibuſdam ibi oppidulis, vt Ipram obſiderent, progreſſi ſunt Angli: quóq; firmiorem haberent exercitum, Gandauis, vt ſuas etiam copias producerent, nunciarunt. Nam & mutuum erat iam inter eos fœdus, & dolebat Anglis prælio ſuperiori Gallos extitiſſe victores, adeoq; inuidebant eis hãc ſiue laudem, ſiue fortunam. A Gandauis miſſi ad viginti millia. Dum Iprenſes acri premerẽtur obſidione: Flander, interceſſione Leodienſis Epiſcopi, ſtatuit amicè cum Anglis tranſigere: quos ad eam rem, vt ſuſpicari licet, non erat habiturus difficiles, præſertim cùm in Clementinos, è quorum grege Flander non erat, inſtitutum eſſet bellum. Sed Anglis coniuncti Gandaui, odio ſui principis, conſilia perturbarunt. In Galliarum Regis potentia præſidium erat vnicum. Hic denuò inſtigatus à Burgundo fratre, & Flandri genero, conſcripſit ſupra centum millia. 1383.

Porrò Episcopus, vt rerum imperitus, ita mirè fastuosus, vbi contra se aduentantem exercitum accepit: illico motis castris, & obsidione soluta, contulit se ad maritima cum aliquot copijs, vt imminente hoste, ad fugam esset paratior, facilemq; traiectum haberet Caletum. Erat in Regis exercitu Britoniæ Dux: quod mirum ipsis Anglis videri, quorum ope & studio sæpenumerò seruatus fuit & restitutus. Verùm id integrum illi tum erat, citra nominis aliquam labefactationẽ. primùm, quòd Gallo nuper esset reconciliatus: deinde, quòd hoc officium deberet Flandro, cuius erga se munificentiam & fidem profugus ipse & inops abundè fuit expertus. Nimirum ita sunt res humanæ, vt quæ istum hodie affligat calamitas, illum cras exagitet. Ettamẽ ille beneficiorum minimè immemorem se declarauit Anglis, qui imminente Gallico robore, in vrbem quandam (Burburgũ appellant) retrocedentes, obsideri in ea se patiebantur. Nam periculi præsentiam videns Brito, quod euitare non possent, nisi facta deditione, (quanquam & id incerti esset euentus) non destitit hortari illos è muro secum verba facientes, vt amicè transigerent. Quod illi non modò gratum habebant, verumetiam obsecrare Britonem, vt mentionem apud Regem inijceret. Et hic quidem

dem à deliberatione in ſuam poteſtatem recepto oppido, turbam omnem incolumem abire paſſus eſt: poſtea, dimiſſis copijs, humaniter agere gratias ducibus exteris, imprimis autem Friderico Bauariæ principi, quem amor perluſtrandi regiones, cognoſcendiq; militiã Gallicam & diſciplinam omnem, in hoc protruſit. Quinetiam Brito, tam Angli quàm Galli ſtudioſus, ad conciliandum illos, effecit magno ſuo labore & induſtria, vt Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæq; Regum legati conuenirent. Nec enim cum Anglis voluit tranſigere Gallus, niſi & Hiſpani haberetur ratio. Et quoniam rebus ita dubijs, nec Galli Caletum, nec Angli Bononiam ſe conferre volebant, medio inter vtrunq; oppido conuentum eſt. Patrui Regis Galliarum ibi repetere Aquitaniam omnem, item Caletum, & arces quas tum Anglicis mare ad Garumnam vſq; tenebant, tam in Normannia quàm Britonia, Pictonibus & Rochellenſi agro. Angli cõtrà nihil horum offerre: & præter capita rerum de quibus iniunctum erat vt loquerentur, voluerunt etiã Gandauos in communem hanc ſocietatem recipi. Sic enim inter ipſos Caleti priùs conuenerat. Sed Flander magnis hîc ſe viribus oppoſuit, contendens, nulla ratione admittendos illos in tantorum principum fœdus. Breuiter, cùm

aliud ſtatui non poſſet, in menſes decem & eò plùs firmatæ ſunt induciæ & terra & mari, inter Gallum, Anglum, Hiſpanum, Scotum, & Gandauenſes, quantumuis reclamante & diſſuadente Flandro. Fuit & illud additum, vt ſub exitum inducíarum, rurſus certo loco ſimul congregarentur legati, copioſiùs acturi de pace. Paulo pòſt, vitam finijt Flander, quem fortuna per annos aliquot mirabiliter exercuit, belligerantẽ in ſuos: adeò vt in hoc vno principe ſpectare liceat, quàm ſit inſignis felicitas ita regere poſſe populum, vt & amet & reuereatur. deinde, quàm ſit periculoſum, incidere in Remp. potentem, quæ, dum libertatis vult videri ſtudioſa, permiſcet omnia, quò imperium à ſe excutiat.

1383.

Cùm diſcederetur à legatis, ita conuenit vt Galli ſtatim denunciarent inducias Scoto. Cęterùm id quo neſcio errore fuit neglectũ. Veriſimile eſt, morte Flandri occupato Burgundionũ Duce, ad quem hæreditas illa omnis iam deuoluta fuit, in obliuionẽ iſtud veniſſe. Nacti hanc occaſionem Angli quidã nobiles, factis incurſionibus, depopulati ſunt hinc inde Scotiam, & ferro & igni. Scoti rerum omniũ ignari, nõ denunciato bello, mirari factũ, maximè verò quòd de inducijs obſcurus eſſet ad eos delatus rumor. Vtut erat, parabant & ipſi defenſionem.

sionem. Cuius rei fama cùm ad Gallum peruenisset, incusare se mutuò proceres ipsi ob tantę rei negligentiã obliuionemq;. &, quod restabat vnum, missi in Scotiã sunt, qui re omni exposita placarent eos. Ad pacem quidẽ satis inclinabat Rex ipse, verùm proceres regni tumultuari, & vindictã expetere, adeoq; viciſſim in Angliam factis impressionibus, declarare, nõ sibi deesse animos & se & sua tuendi. Cùm esset Scoto persuasum, à legatis Galliæ missus fœcialis ad Anglũ sedauit turbã. Itaq; receptis & ratis habitis hinc illinc inducijs, voce præconis edictũ est, ne quis in formulas illarũ committeret. Vt autẽ Anglus facilẽ se daret ad hoc negotiũ, summè laboratũ est à Lenclastrio, qui iamolim statutũ habebat Hispanias inuadere, coniunctis cũ Lusitano viribus: eoq; vehementiùs optabat perficere bellũ istud, quòd sobolem haberet è cõiuge sua, cui regnũ iure omni humano & naturali deberi contendit.

Expositum est suprà, quantis copijs & apparatu Andegauorum princeps in Italiam abierit. Quò cùm venit, præter Neapolitanos, qui nulla ratione flecti poterant, non inuenit obstaculũ. Parebant Prouincia, Calabria, Apulia. Decessit tum è viuis Sabaudus Andegauũ secutus, vt diximus. Porrò cùm in tertium iam annum aluisset militem, exhaustus quotidianis

sumptibus, & ijs quidem non exiguis, fratres orare ne sibi in his suis rationibus longè clarissimis deessent. Illi pro suo in eum affectu, minimè rati deserendum in caussa tam non iniqua, copias miserunt. Quæ cùm Auenionem appulissent, accepto de illius morte certissimo nuncio, redibant.

Mortuo Flandro, ad Philippum Burgundũ iure successionis deuenit omnis ditio Flandrica. Atqui Brabantiæ Domina (cuius maritus Wenceslaus à Bohemia nuper obijt Luzemburgi) cupiebat vnicè, Burgundiam, Hannoniam & Flandriam perpetuo fœdere & amicitia coniungi. Burgundo filius erat Ioannes. hic Margaritam, Alberti Bauariæ Ducis Hannoniæq; filiam, Cameraci vxorem duxit. Præterea Gulielmus Alberti filius connubio sibi iunxit Margaritam Burgundi filiam. Nuptijs Galliarum Rex intererat. Burgundus filiæ in dotem dabat centum ffancorum millia. Lenclastrium hæc fœdera pessimè habebant, quòd filiam suam Alberti filio cuperet nupsisse. Conabatur quidem impedire, cùm de sponsalibus accepisset, missis ad Albertum literis: verùm id frustra fuit.

Quantum attinet ad Comites Hannoniæ, sic accipiendum est: Gulielmus, huius ditionis dominus, quatuor habebat filias, Margaritã,

Philip-

Philippam, Ioannam, & Isabellam: item filium vnum, Gulielmum. Margarita nupsit Ludouico Bauaro, Imperatori. Philippam duxit Eduardus Anglus. Gulielmus, non relicta sobole succubuit in prælio aduersus Phrisones. Itaq; per mortẽ istius ad sororem natu maximam puta Margaritam, succedendi ius venit & illa quidem hæreditatem adiit, donec Albertus filius, quem è Ludouico Cæsare sustulit, adultus in paterna bona successit. & huius quidem deinde filius Gulielmus, Burgundi filiam duxit, vt narratum est.

Andegauiæ principi duo erant filij, Ludouicus & Carolus. quorum mater, Clementis & Galli secuta consilium, Prouincialibus bellum intulit, non citra Gallorum Regis auxilium, suppeditantis & militem & belli neruos. Massilienses quidẽ satis erant huic addicti, verùm reliqua ditio omnis opponere se: nec imperium illius acceptura priùs videbatur quàm Calabria, Neapolis & Apulia idem fecissent: quarum quidem possessionem vbi se declararet habere tranquillam, & se libenter in ipsius potestatẽ futuros. Finitis hoc tempore induciis Gallum incessit mira cupiditas impugnandi Anglum. Conscriptis igitur copiis, Borbonium in Aquitaniam misit, vt hostem omni Gallia, si posset, exturbaret. In Scotiam misit alte-

rum exercitum, duce præfecto maris, (Ammiralium vocant) vt simul iunctis viribus Anglo negotium facesserent. Quò cùm venit, minùs amicè fuit exceptus. Etenim Scoti, quòd se crederent satis potentes citra alienum præsidium, qui hostẽ inuaderent: deinde, quòd, cùm agrũ teneãt sterilem, semper metuant ne quid præterea detrahatur: tum, quòd aliorum inuideãt bonis: indignè ferebant illorum aduentum. præterea (quod Ammiralio inter cætera cum primis erat molestum) Scotiæ Rex ægrè potuit & precibus impelli & precio, vt deserta illa Scotiæ parte relicta, ad colloquium veniret: cui nõ priùs se dedit, quàm scriptis & signo suo fidem dedisset Ammiralius, nõ se discessurum è Scotia, nisi certa pecuniæ summa ipsi Regi depensa, nullum alioqui auxilium laturo.

Carolus quintus æger decumbens, fratres ad se vocatos orauerat, vt filio de vxore prospicerent illustri loco nata, potissimùm verò peterent illam è Germania, quò firmiora essent fœdera. Nimirum id adeò sic euenit. Nupsit enim illi Stephani Bauariæ Ducis filia Isabella, forma elegantissima. Cæterùm, huius connubij prima occasio nata fuit ex eo, quòd Fridericus Bauarus, Galliæ Regis castra secutus esset proximo bello, quod gessit in Anglos, vt suprà narratum est. A morte Andegauiæ Ducis, qui

res

res maximas in Italia moliri, vitam finijt & illius aduersarius Carolus, cui à pace cognomen erat. Credebatur tum id factum ab Hungariæ Regina: quæ cùm filias duas haberet è coniuge suo Ludouico vita defuncto, verita ne Carolus hic, Ludouici ex fratre nepos, illas hæreditate omni pelleret, præsertim cùm iam non obscurè se Regem Hungariæ diceret, illum è medio sustulit, verus modò sit rumor & suspicio. Deinde ad Gallum missis legatis optabat illius fratrem, Ludouicum Valesium, filiæ suæ maritum. Id cùm in Gallijs non displicuisset, in Hungariam missi fuere qui Ludouici principis nomine prorsus transigerent: pòst alij in Galliam ablegati, qui sponsum adducerent. Interea Henricus à Bohemia, vocatus Marchio à Blàncquefort, frater Germanus Caroli Bohemiæ Regis, indignè ferens, peti Regem ex locis tam longinquis, incitantibus eum aliquot Hungariæ primoribus, adeoq; fratre ipso non dissuadente, Reginam illiusq; filiam, animi recreandi caussa commorantes in arce quadam longiùs ab hominum frequentia, obsedit: & hac tandem ratione coacta fuit illa filiam huic vxorem dare. Galliæ Regis frater in Campaniam vsque progressus cum familia & comitatu omni, vt certior factus est de rebus in Hungaria mutatis, non paruo dolore

concepto, redijt ad fratrem, qui non magnopere videbatur angi, quòd Hungaria, propter maxima locorum interualla, præsidium ægrè tulisset.

Scotus, intellectis Ammiralij rationibus, conscripsit ad triginta millia. Rebus gerendis non intererat ipse, sed filios nouem adesse voluit: & progressi in hostem, longè lateq; vastarunt agrum. Sed certiores facti Anglum aduentare cum septuaginta millibus, non substiterunt. Et ille quidem eos persequi retrocedentes. Ibi tum Ammiralius ad prælium hortari: quod Scoti, quoniam & multitudine superari, & Anglorum in re militari peritiam habere suspectam, detrectabant. Et apparebat Anglos vix vnquam infestiores fuisse Scotis, propterea quòd hi externũ etiam militem sibi adiunxissent, & illum quidem è Gallijs petitũ. hoc nimirum immoderatissimè ferebãt. Scoti, quò fidem facerent Ammiralio prælium vrgenti, deduxerunt illum in montem vicinum, insigniter sublimem, vnde potuit omnem hostilem exercitum prorsus contemplari. quem vt vidit, acquieuit eorũ sententiæ qui minimè suadebant conserendas manus. Ne tamẽ nihil egisse viderentur, cõiuncti Scoticis copijs Galli irruerunt in ditionẽ Walensem: vbi aliquantò etiam plus damni quàm in Anglia dederũt.

Lencla-

Lenclastrius & multi alij, persequendos existimabant: sed dissuadente quodam non minimi precij, & adducto in odium atq; suspicionem Lenclastrio, quasi is Regem eò protruderet, vt in pugna oppresso ipse in Regni administratione succederet: mutatus est Regis animus. Porrò quantum postea malum in Angliam inuexerit ista Regi iniecta suspicio de patruis, suo loco intelligetur. Vt animum rapinis & depopulationibus explerũt, Scoti cum Gallis redierunt ad suos. Sed dictu mirum, quantam in illis ferociam & inhumanitatẽ deprehenderint Galli. passim erat audire querelas graues atq; minaces, dũ hic de frugibus protritis atq; humi deiectis, ille de arboribus præcisis, alius de re familiari sibi ablata, magnas mouere turbas, adeò vt palàm dicerent, non priùs in Galliam redituros illos quàm iactura omni & damno refarto. Quid agas? Coactus adeò fuit his rationibus Ammiralius placare omnes, quotquot de iniuria sibi facta querebantur.

Gandaui, septennali bello defatigati, pacem quidem optabant, sed tacitè. Nam Syluanus, qui plus & commodi & dignitatis propositũ sibi videbat in turbis, ita retinebat eos vt palàm vix vllus auderet pacis meminisse. nihilominus per duos quosdam potentiores ciues, maximè studiosos quietis & trãquillitatis pu-

blicæ, tum per nobilẽ quendam virũ, honesti ingenij, & in Gallijs valde gratiosum, res eò fuit
1385. deducta vt Burgundus, nuper Flãdrię dominus factus, & æquũ & facilẽ se præberet, eoq; magis quòd sub proximũ ver in Anglia statutũ haberet bellũ facere. Pacis formulas auctor satis prolixè enumerat. Syluanus, hũc nunciũ adeò non gratũ vt intellexit, cum Anglo quodẽ, genere nobili, (quẽ Gandaui multò antè flagitauerant sibi dari præsidẽ vrbis) in Angliã abiit. Nã, etsi firmata pace extra periculũ esse videbatur, tamen multitudini diffidens, migrandũ putauit. Auctor, à commemoratione hãrũ rerũ scribit, se, vt pleniùs cognosceret res gestas in Hispaniis, Lusitania, Aquitania, vicinisq; regionibus, cùm esset in ea ętate vt labores itineris ferre, ea ingenij mediocritate vt, quę intellexisset, describere & mãdare monumentis posset: deuenisse tandem in familiã Gastonis, principis à Foix, viri tum temporis clarissimi. apud hunc aliquot menses commoratum se familiariter, edoctum de rebus plurimis & ab ipso principe & aliis magni nominis viris, qui rebus plerisque interfuerant ipsi. Narrat inter cætera tristem quendam euentum, & quem natura ipsa reformidet. Res ita habet: Comes à Foix, vir strenuus inter cæteros, nobilẽ quendam iure belli captum tenebat: qui, vt custodia

exime-

eximeretur, pactus erat dependere quinquaginta francorum millia. pro qua ſumma fideiuſſionem interponere volebat Rex Nauarræ, cuius ſororem Comes vxorem duxit. ſed diffidens Regis ingenio, quem fortaſſe propiùs nouit, niſi meliori ſatiſdatione facta, noluit liberare captiuum. vxor ſubirata, adeò non haberi fidem fratri, modeſtè increpare maritum, & non conquieſcere donec illi perſuaſiſſet, facta interim mentione, ſibi in dotem deberi tantam ſummam, ideoq; non eſſe quòd fraudem metueret. Hoc igitur pacto ſolutus captiuus, vt ad ſuos rediit, quò fidem liberarer, collectam pecuniam certo tempore miſit nō ad Comitem, ſed fideiuſſorem ipſum. Quod vt reſciuit ille, miratus, nihil ad ſe mitti, per vxorem, quæ profectionem libenter ſuſcepit, ſententiam illi ſuam ſignificabat, commonefaciens eum fidei. Tum ille ad ſororem, poſtquam accepit mandata, Omnis, inquit, hæc pecunia ad te pertinet, eamq; maritus ratione dotis tibi debet: ac, poſtquam ſemel ad me eſt delata, non patiar illam hinc auferri. Ibi verò illa cœpit obteſtari, mutaret ſententiam. futuram hāc veluti ſegetem vehementis & perpetui inter ipſos odij diſſidijq;. nō auſam reuerti ſe, ni ſimul & nūmos adferat. ſe auctore illū habuiſſe ratā fideiuſſionē, & liberaſſe captiuū.

alioqui nihil horum fuisse facturum. In se redundare omnem culpam, esse illum ingenio iracundo & implacabili, si videat minùs integrè secum agi. Cùm sæpe in hanc sententiam locuta, parum ageret: illo nihil mutante, ex metu permansit ibi. Commorantem iis locis matrem filius, eiusdem quo pater nominis, grandior factus, oblectandi sui gratia, inuisit: & à mensibus aliquot, abitionem inde parans, nullis rationibus illam, vt secum rediret, permouere potuit. Abiit itaque Pampelunam salutaturus auunculum. qui & humanissimè illũ habuit, & abituro multa dedit insignia dona, & inter cætera, crumenam cum pyxide referta pharmaco quodam in puluerem redacto: cuius erat ea vis vt, qui vel minimam huius particulam degustasset, illico vitam expiraret. Offerens adolescenti hoc tam venustum munus, vides, inquit, suauissime nepos, patrem graui & tantũ non irreconciliabili odio concitatum in matrem. Nemo credat quàm id mihi displiceat: & iure etiam tibi displicere debet. sed, vt malum istud tollatur, age, cùm ad patrem redieris, per occasionẽ iniicies mediocrem huius pharmaci partem in cibum qui apponetur ei. verùm id occultè facias. itaque futurum est vt, qui nunc illam impensissimè odit, sumpto eiusmodi cibo, præter eam non sit desi-

sit desideraturus aliud, adeoq; discedere illam à se vix vnquam patiatur. Tantus erit amor, tam ardens affectus. Nimirũ hoc ipse tu vehementer etiam debes optare. sed imprimis caueto, ne cui rationem hanc tuam aperias. alioqui luderes operam. Adolescens, vt qui rerum esset imperitus, existimans auunculum, de quo nihil vnquam mali suspicari voluisset, bona secũ fide agere, & ex animo loqui, suscepto pharmaco, pollicitus ita se facturum, discessit. Reuersum pater benignè alloqui, & scisciatari de rebus nouis: tum si qua dona dedisset auunculus. ille, data sibi dona protulit omnia, præter vnicum illud. Cæterùm euenit vt filius Comitis nothus, quoniam cum fratre admodum viuebat familiariter, qua nescio occasione, cùm in vestem illius incidisset, offenderit crumenã ibi suspensam, in qua subolfecit cõtineri quiddã non vulgare: & rogatus ab eo deinde frater, quid esset illud quod ad pectus circumferret perpetuò, colore mutato, non respondit, iratus etiam illum eousq; conscium. Post aliquot dies nato inter ipsos, dum pila exercerentur, dissidio, ille fratrem nothum pugnis mulctauit. hic oppletus lacrymis, cùm aliud non posset, rectà Comitem adijt, exponens iniuriã sibi factam à fratre, qui non immeritò cædi posset, & verbere castigari. Cur plagas meritum existimas?

inquit ille. Quoniam, ex quo tempore huc à matre rediit, circumfert quiddam ad pectus, odore graui, nescio quem in vsum, nisi quòd futurum mihi dixit, vt mater breui reconcilietur tibi. Tum ille puerò iniungere silentium, & suspicari malè. Vt ad prandium consedit: & filius, ex more, cibum prædegustauit, animaduertit crumenam à collo dependentem. Accersit illum ad se, quasi in aurem dicturus aliquid. Vt propiùs accessit, vestem illi explicat, & simul crumenam præscindit. pharmaci periculum facit in cane. qui, vt deuorauit, illico mortuus concidit. Tum inflammatus ille, & toto corpore concussus, in filium insurrexit, crudelia facturus haud dubiè, nisi, qui circùm erãt nobiles, indignitate rei ac simul nouitate perterriti, illum cohibuissent. Ibi, cùm aliud non posset, graui oratione detestare filium: qui se, parentem suum, à tantis bellis, quæ contra magnos & potentes sæpe principes, locupletandæ hæreditatis & proferendæ ditionis causa sustinuisset, tam inhumano & atroci mortis genere voluerit è medio tollere. Nobiles, quantum fieri potuit, iram illius mitigare. Filium in carcerem abduci, &, ne quà dilaberetur, exactè seruari iussit, grauiter interminatus, propósita crudeli pœna custodi, si conniueret. Præterea, plus minùs quindecim, genere nobiles omnes

les omnes, atrocissimis puniuit supplicijs, quòd, cùm filio essent familiares, tale facinus non aperuissent. In cœtu deinde aliquot ordinum, quos adesse voluit, certo die, cùm impiã & immanem filij cogitationem exposuisset, variè multumq; exaggerando, censuit illum capite plectendum. Intercessum est ab omnibus vna voce, deprecantibus adeò non humanum exemplum. neq; discedendum sibi priùs inde putarunt, quàm data ab illo fide, salvum & incolumem futurum filium. Præstitit ille quidem quod pactus erat: sed tamen custodia continuit. Et huius rei fama cùm apud Gregorium vndecimum, tunc Pontificem, increbuisset, Auenione Cardinalibus aliquot missis negotium dedit, vt modis omnibus filium patri reconciliarent integrè. Sed nimiùm serus fuit illorum aduentus. Adolescens enim, per dies ferè decem, quibus tenebatur inclusus, parum edit, quantúmuis apponeretur cibi. sic vt credibile sit, eum excogitatione rerum omnium, ingenti dolore concepto, præter mortem non optasse aliud. Id vbi pater accepit, referente carceris præfecto, ingressus animo turbato, ac tum cultellum, quo repurgabat vngues, manu tenens, quo nescio fatali malo, venam quãdam gutturis illi incidit, additis interim verbis asperrimis, quòd cibum non sumeret. pòst

abijt. Subsecutus deinde loci custos, offendit illum planè mortuum. Hic nuncius mirabiliter afflixit patrem, quantumuis turbatum antè. nam præter opinionem id illi prorsus accidit.

Suprà narrauimus de morte Ferdinãdi, Lusitaniæ Regis. in cuius locum minimè suffectus est Castiliæ Rex Ioannes, defuncti Regis gener, verùm alius quidã ecclesiastici ordinis, Ferdinandi frater illegitimus: idq; ciuitatũ potiùs quàm nobiliũ voluntate. Quo quidem nomine Hispanus illico missis ad Rempublicam Lisbonensem, illis locis florentissimam, legatis, incusare eos grauiter & reprehendere, quòd sibi, qui filiam vnicam optimi Regis haberet vxorem, ademptum regnum, transtulissent in eum qui nullum ius ad suæ causſæ approbationem adferre posset. Cùm id frustra esset, nec illi quicquam immutaturi viderẽtur, conscriptis circiter triginta millibus, vrbem illorum obsedit. vbi cùm ad annum, & eò plus, nulla re magna perfecta, durasset, pestilentiæ vi coactus, quæ viginti penè millia absumpsit, in Hispanias reuertit: nec ita multo pòst venerunt è Gallia suppetiæ. Quæ quidem res animum illi auxit. Cæterùm, Hispani putabant dimittendum exercitũ: Galli verò sententiam & ipsi rogati, probabilibus in medium adductis

ctis cauſſis, cum hoſte confligendum ſuadebant. Quo tempore à Liſbona retraxit exercitum Hiſpanus, appulerunt illuc aliquot Anglorum triremes. non hos quidem eò miſit Rex Anglus: verùm ipſi, poſtquam in Aquitania hîc illic eſſent graſſati, Burdegalæ collecti, ac naues ingreſſi, volebant ſub Luſitano merere. Gratum hic habuit illorum officium, adeoq; militem ſuum rurſus armari iuſſit, ſigna collaturus cum hoſte. Nobiles, qui minùs ratam habebant electionem, irati Liſbonenſibus, quorum in ea re valuit auctoritas, detrectare militiam. Ille, quid facto eſſet opus, conſultans, admonitus eſt vt ne rem longiùs extraheret, quin potiùs quas haberet iam collectas copias, in hoſtem educeret. Non alia ratione quàm iſta Regno parari poſſe tranquillitatem. Eſſe opus vt ferro & prælio viam ſibi faciat. Non deſperandum, etiamſi multitudine ſuperet hoſtis. Euenire ſubinde, & extare exempla, magnum ſæpe numerum parua deiectum manu. proponeret ſibi Henricum, huius parentem, qui ferro ſibi Regnum & peperiſſet, & partum firmaſſet. His & id genus alijs vocibus incitatus, produxit militem ad decem millia. Angli, quòd animaduerterent ſe vinci turba, ſuadebant Regi, non eſſe conſiſtendum in planicie, ſed quærendum natura

munitum locum, in quem non temerè queat hostis irrumpere. Inuentum eiusmodi locum illi sic præterea munire vndecunq; varijs impedimentis, vt nisi vnica solùm parte, non admodum laxa, peruenirì ad eos non posset. In exercitu Hispani plurimùm eminebant Galli, Rege multùm in eos propenso, & ex illorum arbitrio moderante omnia. quæ res inuidiam excitauit in Hispanorum animis, implacatè ferentium in exterorum præsidio tantam collocari spem. Quin & illud ad odium faciebat quòd, cùm Hispanus produceret suas copias, illi flagitauerint in primas acies redigi. Vt propius hostem cõsederunt, Galli, confligendum esse: Hispani verò, propter impendentem noctem, differendum prælium in alterum diem suadebant. Sed obtinuit illorum sententia, qui, simulatq; pugnæ signum datũ est, miro quodam ardore inferebant se confertim in hostem. Decertatum est hinc inde magnis & animis & viribus. Sed sagittariorum Anglorum peritia & virtus hîc, vt sæpe aliâs, enituit. Nam hi continenter eiaculando, confossis & transuerberatis Gallorum equis, ita illos arctarunt, vt plurimis interfectis, reliquam turbam caperent. Ad Hispanum, qui cum viginti millibus hominum, ad duo ferè miliaria à Gallis aberat, pugnam aliquantò citiùs auspicatis, nun-

nuncio delato, laborare ipsos & in vitæ discrimine versari omnes, ille quidem ardenter cupiebat subuenire, sed militem suum huc excitare non potuit. Sic enim inter eos conuenit, vt, quandoquidem Galli præ cæteris maximè vellent videri strenui, eoq; nomine plurimùm sese efferrent, sinerent eos negotium suum agere, nec quicquam ad se, quocunq; modo caderet, pertinere existimarent. Sub noctem Hispanus accessit propius hostem. qui certior ea de re factus, instructa primùm acie, mandauit proposita capitis pœna, vt qui captiuos haberent, illico necarent illos, ne, dum ipsi in reliquum exercitum pugnando occuparentur, isti vinculis expeditis, arma repeterent. Crudele certè spectaculum, quod etiam victores ad lacrymas & misericordiam commouit, vtcunque parêre mandato esset necesse. Capti erant circiter mille, quos omnes indignissima nex hausit: vt appareat, socios, qui strenuè pugnando occubuerant antè, his multò fuisse feliciores: qui, cùm essent & à fortuna seruati, & sua virtute incolumes euasissent, post datam & acceptam ab hoste fidem, more militari, cùm de capite & vita nihil se periclitari crederent, in extremam inciderunt calamitatem, iugulati à victore, nullam adferente iram, vt in prælio, sed placido iam, & ab

inhumaniſſima cæde, ipſo abhorrente. Luſitani porrò, quòd magnum ex loco præſidium haberent, denuo fuderunt hoſtem, & in hoc ſecundo prælio nemini parcitum eſt: qui poterant, fuga ſibi conſulebant, reliquis omnibus interemptis. deſiderata ſunt ab Hiſpanis ad ſeptem millia. Pacti deinde (QVI principum mos eſt, perpetratis multis & inſignibus malis) de inducijs, Luſitanus triumphans Liſbonam inuectus eſt, Hiſpanus militem exauctorauit.

Sub hoc tempus, à Gallis recuperata ſunt omnia quæ prædones aliquot in agro Toloſano finitimiſq; locis tenebant. Aquitani, quòd magno ſuo emolumento in Gallijs bellum facerent, libenter ſub Anglo merebant. Et, ſi commodè fuiſſent honorificeq; tractati, non mutaſſent dominum: ſed Angli filius nobilitatem penè omnem, quibus neſcio ſuis moribus, à ſe alienauit, ita quidem vt ipſo deſerto in Galli fidem ſeſe darent. Adhæc, ipſius officiarij contemptim etiam habere Aquitanos, velut indignos quibus vllum munus in Repub. committeretur. hinc odium inter eos. & hac occaſione Carolus quintus omnia recuperauit, vt ſuprà diximus.

Feruentibus etiamnum bellis inter Pontifices, Clementis milites Vrbanum obſidione cinxe-

cinxerunt in arce quadam Italiæ. &, si quidem allata pecunia placatus fuisset miles, captus erat ille: sed Pontificis ærarium, qui tum erat Auenione, tam fuit exhaustum, vt viginti francorum millia, quæ in militem distribuerentur, corradi non possent. Hæc nimirum simultas & dissensio Pontificum, in diuersa studia rapuit omnes ferè principes & Reges, vt memoratum est. Hoc malum & alia multa quibus aliquando premeretur ecclesiasticus ordo, Franciscanus quidam monachus Innocentij temporibus, prædixerat, coniectus Auenione in vincula hoc nomine, &, ni scripturæ auctoritate sua firmasset, capitis pœnã luiturus.

Diximus de Ferdinando Lusitano, qui filiam vnicam reliquit, Beatricem, Hispani Regis vxorem. Atqui narrat auctor, comperisse postea se, fuisse illam è Lusitano procreatam & nobili quadam fœmina, quam ille, fugato marito, rapuit. & sic natam filiam, Vrbani deinde Pontificis permissu, legitimam fecit. Cumq; de connubio ageretur inter istam & Hispanum, in controuersiam ac deliberationem adductum & hoc fuit. Sed Lusitanus, vt solicitudinẽ omnem eximeret, hoc egit apud nobilitatem & potentiores ciuitates, vt sanctè promitterent, ab ipsius morte præter filiam hanc non aliam se Reginam agnituros, neq;

regno succeſſurum alium quàm eum qui hanc ſibi matrimonio iunxiſſet. Vt è viuis migrauit, nobiles quidem optare Hiſpano regnum deferri. ſed ciuitates odio Hiſpanorum, ad ſucceſſionem vocarunt eum de quo iam ſæpe diximus, mortui Regis fratrem illegitimum. Et, quoniam è vita diſcedente Luſitano, raptæ à ſe fœminæ maritus etiamnum erat in viuis, iudicabant pleriq; natam ex eis prolem, ex adulterio eſſe. Porrò, quinquennium vnà vixerant coniuges iſti, cùm ille impio & inſano acceſſus amore, facinus hoc deſignauit, non principe ſolùm, ſed quouis etiam homine indignum. Miſer, vxore ſpoliatus, ad Hiſpanum ſe contulit: & ab obitu Luſitani, ſecutus amicorum conſilia, ſuadentium grauibus de cauſſis vxorem non eſſe recipiendam, redijt Liſbonam: in conflictu poſtea quodam oppreſſus. & veriſimile eſt iniucundam illi fuiſſe vitam, reminiſcenti contumeliam & iniuriam adeò inſignem ſibi factam ab eo, quem ad vindictam expetere non potuit.

Luſitanus, quo tempore Liſbona obſidebatur ab Hiſpanis, in Angliam miſſis legatis ad Lenclaſtrium, orare & commonefacere illum, vt ſibi in tali neceſſitate poſito ſuccurreret aduerſus hoſtem, qui & regnum poſſideat nullo ſibi iure debitum, & Luſitanicum præterea vi

ſtudeat

ſtudeat occupare, in quo tantũdẽ iuris habeat. Accepta legatorum oratione, ſtatutum fuit vt Lenclaſtrius profectionem illuc ſuſciperet: adeoq; inſtructa iam erant & adornata omnia, cùm Galliæ, quẽ vocant, Ammiralius, in Scotiam adducto milite, bellũ inde moueret Anglis, vt diximus. Ea res conſilia turbauit. Et feliciter tamen à Luſitanis pugnatum fuit, duobus prælijs hoſte ſuperato, quemadmodum retulimus. Et ab iſta quidem victoria Rex Liſbonam reuerſus, habita conſultatione, denuo miſit legatos ad Anglum & Lenclaſtrium, vt, ſi vllo vnquam tempore velit in hoſtem aliquid moliri, præſentẽ non negligeret occaſionem. Bis à ſe fugatũ & cæſum illum, trepidare nunc, & ſuis rebus metuere. facilè poſſe fieri vt præcipitetur, maximè verò ſi coniunctis armis inuadatur. vix illum quò ſe vertat, habiturũ. adeò futuras omnes illius rationes conſiliaque turbata. &, quò vehementiùs agitetur, optimum ſibi videri vt illico impetus in eum fiat, priuſquã vires colligat, & de periculi mole cogitare incipiat. His alijsq; multis legatoyũ ſermone expoſitis, placuit Lenclaſtriũ cœptã ferè nuper expeditionẽ, nunc demũ perſequi. itaq; cum vxore & liberis, cum aliquot equitum, & duobus ſagittariorum millibus, eoq; plus, in ditione Wallenſi (quò Luſitani, certiores à le-

gatis facti de rebus omnibus, præmiserant vigintiquinq; triremes) mare conscendit: &, quandoquidem magna videbat indicia turbarum quibus Anglia turbaretur, tum, quòd inuideri sibi animaduerteret à multis, quorum apud Regem, nepotem suum, valebat auctoritas, libenter & iucundè iter hoc ingressus est. Vt nauigatum aliquandiu, primùm appulit in portũ vrbis Brestæ: quam cùm Angli Britoniæ Duci restituere negarent, coniuncti Britonibus Galli, obsidebant eos qui ad præsidium loci erant relicti: sed Lenclastrius militum suorum virtute coegit Britones mouere castra. Cursum deinde instituit versus Coloniam, Hispaniæ vrbem. Etenim à multa consultatione, visum est omnibus fore honorificentiùs, primùm applicare naues ad hostiũ agros, quàm rectà petere amicos. Vrbs autem sic erat munita vt illi, frustra sumi laborem & conatum omnem cùm viderent, illinc soluerent. Postea Compostellam nauigatum est: in quod oppidum, verbis vltrò citroq; habitis, ab oppidanis honorificè recepti sunt.

Hispanus, vt accepit de Anglorum aduentu, Gallos aliquot nobiles apud se commorantes, & valde sibi iucundos, consuluit quid facto putarent opus, quidve existimarent incepturum Anglum. Illi, futurum haud dubiè vt

Lusita-

Lusitanus Lenclastrij Ducis filiam vxorem duceret, ideoque suppetias à Galliæ Rege flagitaret. hunc & pro sua pietate, & pro fœderum arctissima vetustissimaque coniunctione, non defuturum officio suo. Magnam esse turbam eorum in Gallia quibus, cùm otium displiceat euenire nihil possit ex voto magis quàm armorum sumendorum occasionem dari. In hãc sententiam vbi consuluissent, auctores etiam illi fuerunt, vt loca omnia minùs firma, item fana deorum, quò sua bona propter militum excursiones agricolæ deportauerant, iuberet deiici. Nam defendi illa contra hostem non posse: à quo si occuparentur, futurũ vt ex eiusmodi præda magnum ad eos emolumentum redeat subsidiumque. Rex, cui consilium hoc non malum videri, permisit Gallis consilij auctoribus, vt pro suo iudicio, quæ viderentur, deijcerent, & simul omnia quæ offenderent, sibi sumerent. Gallus ab Hispano solicitatus ad ferendam opem, bono eum esse animo iussit: futurum vt intra breuissimum tempus vim suam omnem in Anglos conũertat. quibus debellatis, in Hispaniam se missurum copias abundè: quarum subsidio facilè vtriusque hostis impetum non modò cohibeat, sed frangat etiam. Angli, quo tempore Compostellæ hyemabãt, factis non semel in agrum Hispani-

cum impressionibus, oppida quædam ad deditionem cogebant. Lusitanus interim ad Lenclastrium subinde scribere literas amoris & beneuolentiæ plenissimas. Atqui consultum huic est, ne rem longiùs extraheret, néue literis ad Lusitanum ageret. Esse peropus vt postquam eò peruasisset, quamprimùm agat negotium suum. Calliditate plurimum valere Gallos, in Hispanis raram esse fidem. fieri posse vt Hispanus à Gallis, quorum & consiliis vtatur & ope, inductus, cum Lusitano certis conditionibus transigat. Ista cùm minimè viderentur absurda, missi illico fuerunt qui dicerent, Lenclastrium expetere colloquium. Quod vbi Lusitano placuit, certo loco ventum est vnà: post multam deinde collocutionem, statutum est vt ille per hyemem Compostellæ subsisteret, emisso interim ad excursiones milite, vt in proximum ver signa ferrent aduersus hostẽ, quacunque tandem regni parte commorantem. Adhæc, vt è duabus alteram Lusitanus vxorem sibi deligeret. Ille Philippam sibi sumpsit, Lenclastrij è prima coniuge filiam. His ita peractis, ille ad hyberna redijt. Hispanus, Anglico milite vexatus, & agrum depopulante, & ad deditiones oppida cogente, mirari plurimùm, è Gallia nullum mitti præsidium. sed confirmare illum nobiles Gallici, facientes spem, futurum

turum vt bello in Anglia confecto, magna vis militum illi accederet.

Gallus, quòd miro teneretur desiderio in Angliam traijciendi, contraxit, quàm fieri potuit, validissimum exercitum. Censebantur supra viginti millia virorum nobilium, item mille quingentæ naues, & eò ampliùs, abundè rebus omnibus, quantumuis minutis instructæ. Et quanquam eiusmodi erat bellicus apparatus, vt ab hominum memoria non esset visus aut grandior aut sumptuosior: tamen rumore ipso fuit supra modum in Anglia, quod fieri solet, auctus, adeò quidem vt crebris ibi supplicationibus Deum implorarent, vt hoc tam præsens malum auerteret. Muniri præsidijs loca omnia. Colligi infinita penè vis auri, puta ad vicies centena millia, sic vt nemo esset omnium qui non persentisceret onus hoc tam graue. Boni omnes deplorare præsentem rerum statum. Otiosi, quibus nihil erat reliquum, non expetere aliud. in Flandriæ quodam portu (Sluisam vocant) instructa erant omnia: nec præter Ducis Berriæ aduentum expectabatur quicquam. Hic nunquam probauit rationem istam: adeoq; postquam aduenit, in cœtu procerum, quando deliberabatur de profectione, magno conatu

dissuasit primùm ob hyemis inclementiam, (erat autem mensis December) deinde propter teneram ipsius Regis ætatem, quem minimè omnium putabat eo tempore mari & ventis exponendum. Obtinuit illius sententia. placuitq; insubsequens ver expeditionem differri: cuius apparatus Galliæ constitit plus minùs tricies centenis francorum millibus. Ad Lusitanum creber & constans fuit allatus rumor iam in Angliam penetrasse regium exercitum. Quapropter erant qui consulerent vt ne in ducenda vxore, nuper veluti desponsa nimium properaret. quin exitum belli potiùs maneret: quòd si cõtingeret Anglum, vt verisimile tum videbatur, superari, parum ipsi fore vtilem Lenclastrij principis amicitiam. Ille suorum secutus consilium, dissimulare connubium, nec vllam per aliquod tempus mentionẽ huius iniicere: sed literis identidem missis, elegantissimisque donis, illum in officio & amore continebat.

Leo Rex Armeniæ, qui à Tartarorũ tyranno ditione sua pulsus, in Galliam nuper accesserat, indignè ferens inter potentissimos Reges oriri tantum dissidium, sponte quadam sua & pietate inductus, in Angliam nauigauit, periculum facturus si quid in firmanda concordia posset. Anglus illum patienter audire disse-

dissérentem de sua calamitate & fuga, de Turcarum & Barbarorum indies augescente potétia, ex mutuis Christianorum principum simultatibus & bellis. Cumque per hanc occasionem eò veniret, vt ad amorem & beneuolentiam inhortaretur, Anglus respondit, primùm id ageret apud hostem, vt is militem omnem dimitteret: quo facto, non se futurum adeò iniquum vt, quòd rationi consentaneum sit & iuri, non velit modis omnibus admittere. Itaq; redijt ad Galliæ Regem, qui nihil minùs quàm pacem videbatur expetere.

TERTII LIBRI FROSSARDICI HISTORIÆ OMNES MEmorabiles.

EVENIT in Gallijs vt quidam genere nobilis, è familia comitis Alenconij, per vim stupraret alterius cuiusdam nobilis viri, peregrè profecti, vxorem. quæ, simulatque maritus reuertisset, lacrymis oppleta, commemorare vim sibi factam. ille crimen deferre ad Alenconium: alter negare factum per-

tinaciter. In quem cùm aliquantò esset propen sior etiam is, apud quem fuit instituta accusatio: qui iniuriam passus erat, ad senatum Parisiensem appellabat. Per annum & eo plus agitata causa. cùm & vxor intentare crimen, & ille constanter negare, statutum est vt monomachia litem finirent. Certo die, quem aut ipsi delegerant, aut arbitri præscripserant, congressi sunt, equites primùm, inde pedites. Non hîc cæca fortuna, (quæ solet alioqui in eiusmodi rebꝰ dominari) sed æquitas potiùs & virtus exercere suas vires. Nam qui suæ coniugis pudicitiam vita sua cariorem habuit, & in ea propugnandà capitis periculum non reformidauit, necato aduersario, palàm faciebat omnibus, Esse vindicem Deum, qui scelerum impunitatem non ferat. Interemptum illum, carnifex pertractum ad patibulum, postea suspendit, quem si vincere contigisset, iam ex decreto senatus illa quidem, propterea quòd falsò credita fuisset accusasse, flammis obiecta: maritus autem eo, quo aduersarius, ignominiæ genere, post mortem etiam affectus fuisset. Victorem eximiis laudibus efferre omnis nobilium turba, & prædicare in eo virtutem. Quin & Galliæ Rex, honestissima quadam animi inclinatione, minimè permittens egregiè factis honorem suum abesse præmiaque, & præsenti illum

illum munere non contemnendo, & certis deinde prouentibus, quoad viueret, locupletauit, auxitque. Sub hoc tempus è viuorum sodalitio migrauit Arragoniæ Rex, qui sub exitum vitæ, vocatos ad se filios hortari ad mutuum amorem atque concordiam. cumque in tanta principum diuersitate, solus ipse nec huius nec illius Pontificis secutus esset partes, rogare filios vt idem facerent, neque se factionibus addicerent. Ab eius morte, Clemens & Galliæ Rex natu maiorem filium Ioannem ad se traduxerunt.

Hunc regno consecrari postulantem, populus non putauit admittendum, ni sanctè promitteret, nullā se pecuniam aut tributum præter morem imperaturum.

Princeps Wallorum, quoad vixit, apud plerosque, ob fortunam & animi magnitudinem, in magna fuit admiratione, & colebant cum eo multi amicitiam. Hac etiam occasione fœdus inter eum fuit & Arragonium, sub eiusmodi formulis, vt ex Anglia nullo vnquam tempore bellum huic inferretur: tum, vt Arragonius Aquitaniæ Duci, bellicis negotijs implicato, subueniret quingentis equis, contra quemuis etiam hostem: aut, si commodè non posset equites, pecuniæ certam summam mitteret. Ille per annos decem nec officium vllum

Anglo præstitit, nec dependit quicquam. Itaque Lenclastrius, cui in Lusitaniam abituro rex Anglus negotium dedit, super ea re transigeret apud confœderatum veterem amicum, iudicans eiusmodi vim auri magno sibi futuram vsui, scriptis è Lusitania literis, Archiepiscopum Burdegalensem ad Arragonium huius rei causſa misit. Ab huius aduentu Rex, qui dudum grauiter laborauit, non diu vixit. Persequentem deinde mandata Archiepiscopum Rex nouus in carcerem coniecit Barcelonæ. De quo certior factus Lenclastrius, iniunxit Anglis, arcem ijs locis tunc occupantibus & vnicam & inexpugnabilem, (Lordam vocant) vt bello turbarēt Arragonios, & damni quantum possent, inferrent. Quod illi quidem suo more cùm facerent, non indiligenter, mercatoribus potissimùm infesti, Barcelonij quotidianis vexati spoliationibus, & militum expositi rapacitati, Regem, interceſſione magnatum, vt captiuum liberaret, impulerunt.

Postquam auctoritate Ducis Berriæ in Angliam instituram expeditionem differri placuisset, vt paulò suprà meminimus, appetente vere, Conneſtablium Galliæ cum duodecim millibus, qui bellum Anglis facerent, mittendum esse decretum fuit: & præter hoc, in Hi-

spaniam

ſpaniam quoque traducendas copias, qui laboranti Hiſpano contra Luſitanos & Anglos auxilium adferrent. His de cauſſis denuo per Galliam imperato tributo, plurimos erat videre qui, cùm aliud non poſſent, relictis, quos habebant, agris & prædijs, vel in Hannoniam, vel Leodienſem Epiſcopatum abirent: vbi, quæ modum excederent, aut intolerabiles videri poſſent, nullæ tum erant exactiones. In Hiſpaniam mittebantur è Gallijs equitum ſex millia, Duce Borbonio. Meminimus quemadmodum Luſitanus Anglici belli euentum expectans, callidè omnia diſſimularet. Porrò, cùm liberatam periculo videret Angliam, & regium exercitum dimiſſum, illico miſit qui Lenclaſtri filiam ſuo nomine deſponderet: quam ab aliquot poſtea diebus ad ſe miſſam honorificè, vxorem duxit. A nuptijs denunciauit ſocero vt, quo vellet die, produceret militem: ſe facturum idem, vt coniunctim arma in hoſtem ferrent. Interim Galli pulcherrimè inſtructi venerunt in Hiſpanias. Ibi dum conſultaretur, vtrum iuſta acie pugnandum eſſet, an verò collocandus in præſidia miles, variantibus, vt fieri ſolet, ſententijs, (nam Hiſpani ſuadere pugnam, Galli contrà) Rex cuidam è Gallis peritiori liberam decernendi copiam fecit. Ille, quòd Borbonius, cui ſumma

rerum credita fuit, necdum aduenisset, minimè cum hoste confligendum suadebat, sed huc illuc, vbi res flagitaret, distribuendum militem. futurum vt Angli, per omnem regionem oberrantes, in maximas ægritudines, ob aëris vehementissimum calorem, incidant: etiamsi quædam occupent, non fore tamen illud diuturnum.

Ab illorum discessione, facillimè recuperari posse omnia, præsertim aduentante Borbonio.

Cùm hæc sententia non displiceret, illico in Hispaniam illam omnem Lusitaniæ vicinam dimissi fuêre milites, qui tuerentur fines regni.

Conneſtablius bellum facturus in Anglia, militem habebat instructum, & parata omnia in quodam Britoniæ portu. Præterea alij quidam Galliæ proceres ad oppidum Normanniæ (vocant Harflùrum) naues erant ingressuri, vt certo tempore in Angliam vnà appellerent cum illo. Sed interuenit quiddam repentè, quo turbata fuerunt omnia consilia. Repetemus autem paulò altiùs, vt meliùs intelligi res possit.

Narratum est suprà, quemadmodum Carolus à Bloys, captus ab Anglis, opem ferentibus Dominæ à Monteforti, liberatus fuit ea conditione,

conditione, vt Anglo ducenta aureorum millia penderet: quo quidem nomine filios duos, Ioannem & Gyum, obsides dedit. Contigit postea Carolum in prælio quodam aduersus Britonem, occîdi. Solicitati deinde à Britoniæ principe Angli, maximis copiis mediam Galliam peruaserunt. Ideoque metuens Galliæ Rex, ne Brito per hanc occasionem in Angli fidem & patrocinium sese daret, pacem cum eo firmauit.

Ea re vehementer offensus Anglus, qui per immensum iter & ardua pericula in Britoniam accessit, vt ad suos reuertit, de perfidia Britoniæ Ducis grauiter querebatur. Et vt huic vicissim ægrè facerent, Ioanni Caroli filio, quem obsidem tenebant paternæ fidei, (nam frater vitam ibi finijt (eiusmodi proposuêre conditionem, si ab Anglo Britoniæ inauguratiõnem accipere, si fidem polliceri, & ea omnia præstare vellet, quæ solent ex more fieri, futurum vt liber factus vxorem duceret Philippam Lenclastrij filiam, (nondum enim hic in Lusitaniam discesserat) & Anglorum ope mitteretur in illius ditionis possessionem.

Vxorem quidem ille minimè recusare, sed vt videri possit Galliarum regi minùs fuisse fidus, non se admissurum vnquam.

In qua sententia cùm persisteret immotus,

in carcerem reductus est. Porrò, Connestablius (Oliuerium à Clisson vocabant) etsi paternam hęreditatem in Britonia retinebat, tamen amare principem non potuit: & hic illum vicissim, quòd ex mandato Regis ditionem illam bello turbasset, exosum habebat, vt vix alium magis. Erat illi filia, quam dudum cupiebat vxorem dari Ioanni capto in Anglia. nam id suæ familiæ iudicabat futurum honorificentissimum. Intis igitur rationibus quibus eum liberare posset, cœpit agere tacitè cum Hyberniæ principe, Regi multùm iucundo & imprimis grato homine: cui, modò perficeret vt ille custodia expediretur, pactus erat dare centum viginti francorum millia. Conditionem iste quidem acceptare: sed quamdiu Lenclastrius aderat, propterea quòd ipsius filiæ facta priùs esset mentio, nihil potuit effectum dare. Postquam verò discessit ille, Hybernus, auri cupidus, Regem, quo non alius vtebatur familiariùs, obsecrare vt habita ratione laborum, quos in regno sustinuisset, donaret sibi captiuum, pro cuius libertate posset ingentem auri vim obtinere. Rex, qui totus ab hoc vno pendebat, ita quidem vt patruos & negligeret & odisset, assensit facilè. Donatum sibi captiuum ille Bononiam deduxit, acceptis ibi sexaginta millibus, reliquum accepturus

cepturus Lutetiæ: vbi Conneſtablius aduentum iuuenis expectans, vt acceſſit, & amanter illum excepit, & ſtatim filiam vxorem dedit. Eo facto quantum fuerit perturbatus Brito, non obſcurè colligat qui modò circumſtantias norit omnes, & eorum quæ ſuprà de bello Britonico narrata ſunt, hiſtoriam teneat. videbat nimirum, per hoc connubium in periculum & calamitatem adduci fortunas omnes ſuas. Vltionem igitur parabat, non alia de re cogitans frequentiùs. Et cùm in ipſius ditione collectum haberet ille exercitum, quem in Angliam traijceret, vt diximus, nobilitatem omnem Brito conſcripſit, vt certo die apud Venetos rerum agendarum cauſſa adeſſent: Conneſtablium quoque per literas, vt præſentia ſua cœtum hunc ornaret, obſecrans. Hic, etſi mutuum ſciebat intercedere odium, tamen, vt veriſimile eſt, fretus eo quòd & ſummum à rege locum in ampliſſimo regno teneret, iamque in procinctu tantum non eſſet, bellum ingens in hoſtem illaturus, venit quò vocatus erat. Vt agitatum eſt de rebus quarum gratia conuenerant, princeps in arcem quandam vicinam, nuper ædificari cœptam, velut animi recreandi cauſſa nobiles aliquot præſtantiores, & inter hos Conneſtablium, inuitat. Quo ſimulatque ventum eſt, ille nauiter

omnia dissimulans, & Connestablium, tanquam officij & honoris caussa, huc illuc ipse adeò deducens: ad turrim deinde quandam, præ cæteris egregiè structam & elaboratam, accessit. Orat illum vt diligenter omnem inspiciat,&,si quid erroris deprehendisset, liberè admoneat. Vt in proximum quoddam cubiculum ingressus est perlustrandi gratia,repentè prosiliunt ex insidiis armati aliquot, à quibus in vincula coniicitur. Aderat carnifex, qui vitam auferret,iubente illo: sed nobilis cuiusdam viri, qui simul ingressus erat, lacrymis & miserabili deprecatione vix emollitus, differri supplicium, & arctè illum in vinculis contineri præcepit:sed ab aliquot horis,animo prorsus æstuante ira, & præterquam vindictæ nullius tum rei cupido, quinetiam ipsa cogitatione,quæ solet alioqui moderatiora suadere, vehementiùs exulcerato, denuo iubet illum capite plecti. Quantos hîc iterum labores, & quantam susceperit curam ille, cuius intercessione seruatus hucusque fuit:adhæc, quàm varia, quàm lugubria, quàm commiserationis plena dixerit priusquam obstinatissimam mentem ad aliquem misericordiæ sensum permouerit: nimirum intelliget is qui cognoscet, apud ipsum iam olim nihil fuisse deliberatius quàm vt hunc quouis etiam modo tol-

leret

leret è medio: intelliget, qui cognoscet eum à multis annis incredibili studio venatum occasionem istam: intelliget, qui perpendet vehementissimam fuisse illam & immanem quandam iram, quæ cogitatione interiecta, non extincta, sed inflammata magis atque magis, præter sanguinem & cædem hominis, per fraudem & amicitiæ vmbram in periculum adducti, nihil expeteret. Quòd itaque seruatus sit, & funestæ illius cupiditati subtractus, post Deum immortalem huic vni perpetuas debere gratias qui statim intercessit, qui non conquieuit donec salutem & vitam amici velut extorsisset.

Liber autem factus est ea lege, vt centum millia, priusquam discederet, numeraret, ac simul tres quasdam arces in Britonis potestatem daret. Qui postquam in istarum possessionem missus est, captum dimisit. & hic quidem intra biduum inde venit Lutetiam, periculum, vim & iniuriam sibi factam grauiter apud Regem deplorans, à quo confirmatus, cùm in eandem sententiam apud patruos regis loqueretur, non modò non effecit eos, verumetiam offendit, iratos: quòd, cùm ad expeditionem haberet omnia instructissima, temporis opportunitate neglecta, diuerterit ad ludicra, temerè habita fide illi quem & odisset, & à quo vitam suã peti

iamolim sciret. Ammiralius & reliqui proceres, qui classem habebant in Normannia, rebus intellectis, exercitum dimisêre. Sic adeò factum est vt bellum istud, communi omnium voluntate & consensu deliberatissimum, non
1390. perficeretur. Quin & sub hoc tempus à iuniori Geldriæ principe denunciatum est bellum in Gallias. nam vt id faceret, Anglus illi pensionem dare, putà quatuor francorum millia. Britoniæ Ducem ad facinus iam enumeratum instigabat, primùm, Conneſtablij odium, deinde, vt hac via reconciliaretur Anglo, quem mirabiliter offendit inito cum Gallis fœdere. Cæterùm nobiles penè omnes instigare animum Regis, vt ne factum istud Britonis inultum sineret. Missi ad eum legati qui dicerent, & Regem & huius patruos, & simul omnem nobilium cœtum, vehementer indignari quòd rationes bellicas impediuisset, capto Conneſtablio, quem adeò non humanè tractasset. Itaque Regis & cæterorum hanc esse mentem atque voluntatem, vt pecuniam extortam & arces restitueret integrè. Quantum ad hoc quòd turbauerit expeditionem, vt Lutetiam ipse veniret, facti sui rationem redditurus. Ille, post acceptam legatorum orationem, & interpositam deliberationem modicam, non modò non pœnitere se quòd duriùs illum tractarit: hoc

xit: hoc solùm displicere, & grauiter quidem, non sine tristi recordatione, quòd incolumem dimiserit. Arces verò non se redditurum, quando semel possessionem illarum habeat: neque cessurum, nisi per Regem eijciatur. Pecuniam illam omnem iam distributam in eos quorum operâ sit vsus in tuenda ditione sua contra Connestablium, quo non alium habeat hostem acerbiorem. Vt bellum interturbaret, nullam se talem cogitationem concepisse: priuatam esse caussam, &, quicquid huius factum sit, ex odio profectum esse, quo illum persequatur.

Quo tempore in Anglia timebatur bellum, vt diximus, milite ibi in præsidia dispositio, imperata fuit maxima auri vis. Cumque mutatis consilijs, Galli nulla re perfecta reuertissent, erant passim qui dicerent iniquè seruari pecuniam illam à Regijs, depulso periculo citra sumptum vllum aut impensas grauiores. Hoc murmur aliquãdiu sopitum, post aliquot tempus, ijs qui ad locorum præsidia fuerant, salaria petentibus, cùm noui tributi fieret mentio, resuscitatum est. Indignari populus, & incusare quosdam grauiter, quorum improbitate atque perfidia Regni facultates omnes dissiparentur, & ciuium fortunæ. Pendebat nimirum Rex à quibusdam obscuræ conditionis

hominibus. Imprimis verò possidebat illum Hybernię princeps, qui mentem omnem adolescenti Regi videbatur excantasse. Nam hoc auctore gerebantur omnia, nec erat quicquam adeò vel iniquum vel absurdum, quod isto suasore non esset crediturus. In odium atque suspicionem apud eum adduxit patruos, ita quidem vt ij locum suum ægrè tueri possent. His adeò displicere non potuit vulgi & ciuitatum querimonia.

Videbant enim hac occasione futurum vt pleraque mutarentur. Itaque se dare populo, laudare institutū, & vltrò hortari vt in eo, quod cœpissent, pergerent. Sic euenit vt certo die, cùm Rex nobilitatem omnem ex more conscripsisset, Londinenses grauiter ibi conquererentur de nouis subinde tributis & exactionibus: quodq; omnium esset acerbissimum, non videre se in quos vsus honestos atque necessarios ea pecunia conuertatur. Existimare se, Regem non esse conscium rerum omnium. ideóque postulare vt ad certum tempus conscriptis officiarijs atque quæstoribus, accepti & impensi rationes ab illis exigat: quò videri posset qui probè munus gesserint, qui improbè: vt illis quidem officia continuentur, his autem adimantur. Vt autem in hanc sententiam loquerentur, præscripsit eis atque consuluit Dux

à Clo-

à Cloceſtre, vnus è patruis. Cæterùm Rex, vt orationem accepit, tergiuerſari primùm & reiicere in aliud tempus. Contrà populus inſtare, & eò quidem audentiùs, quòd multis circà nobilibus ipſorum cauſſa palàm ibi probaretur. Itaque placuit vt à pauciſſimis diebus audirentur rationes omnium, & huic quidem cognitioni patrui Regis, & alij quidam à populo rogati, præfuerunt. In pleriſque ſumma deprehenſa rapacitas atque perfidia: quos omnes capite plectendos iudicia ſtatuebant. Ab auditis rationibus, continuò Rex, vnà cum eo quem tantopere colebat, Hyberniæ Duce, abiit in diuerſam Angliæ partem. Vbi cùm accepiſſet, familiæ ſuæ quoſdam Londini ſublatos è medio, vehementer & in populum & in patruos fuit concitatus. Hanc enim opinionem illi velut impreſſit Hybernus, ab illis affectari imperium: adeoque non conquieuit donec Regem, alioqui ſatis incenſum, ad bellum inferendum inflammaſſet. Ipſe totius negotij à Rege conſtitutus imperator, contraxit ad quindecim millia. Sed, priuſquam educeret copias, quendam è ſuis, genere nobilem, habitu mercatoris indutum, vt de ſingulis diligenter cognoſceret, Londinum, vbi patrui Regis concionem erant habituri, præmiſit. Hic autem, quod minimè ratus erat, malo ſuo

fato agnitus, vt in cœtu nobilium de Rege quędam patefecit, pœna capitis affectus est. Et hoc ipsum Regis animum, vt quiuis facilè conijcit vehementer auxit. Hybernus autem, vt contrà se vidit eductas acies, qui fuit antè ferox & verbis magnificus, nihil tum minùs præstitit quàm quod virum fortem deceat. Habebat enim hoc sibi persuasum, si caperetur in prælio, futurum vt capitis periculum non euaderet. Sic enim erat ipsius meritum. Instruxit tamen militem, & post principia sibi cauit ipse, loci præsidium captans, vt ad fugam esset paratior. Milites, illato subito rumore, fugisse Ducem, non collatis signis fugerunt & ipsi, paucis quibusdam in fuga oppressis, & captis aliquot nobilioribus, in quos deinde Londini animaduersum est. Hybernus, vno & item altero comitatus, profugit in Hollandiam, quò omnem suum thesaurum curauerat multo antè perferri. Nam etsi Regem habebat sibi penitus addictum, tamen & metuere & suspectos habere patruos, de quibus ita meritus fuit, vt, nisi hostilia omnia, nihil ab eis expectare posset. Ad hunc modum sedatis turbis, cùm de Rege nullus adferretur nuncius, placuit ad eum mitti Archiepiscopum Cantorbiæ, qui diceret, omnem populum & patruos vnà cum his vehementer expetere ipsius præsentiam:

accederet

accederet Londinum: futurum vt honorificè recipiatur & amicè. non posse fieri vt regnum habeat tranquillum, nisi ametur. Grauibus de caussis publicè animaduersum in quosdam, & eiectos alios, quorum omnium nequitia ferè labefactatum esset regnum. Bono id communi factum,& præsentem necessitatem ita postulasse.non esse quod ei displiceat.Rex, quanquam immoderatissimè ferebat res antè actas, tamen his rationibus inductus, Londinum venit. vbi cùm per dies aliquot substitisset,nobiles,quam fuerant antè fidem polliciti patruis,eam tũ ipsi Regi, vicesimum primum annum ingresso, (quæ quidem ætas capessendæ administrationi iudicatur non inidonea) præstabant.

Lenclastrius interim in Hispanijs expugnare oppida plurima,nec Lusitanus etiam in otio versari, sed in alia regni parte multa redigere in generi sui potestatem. Et cùm hoc militiæ genus exercuissent aliquandiu,tandem,vt cum hoste confligerent, copias contraxerunt. Interea Hispanus mirari tarditatem atque moram Borbonij, quem vnum adeò multis iam diebus expectabat. Porrò, consulti denuo Galli,quorum apud Regem non leuis erat auctoritas, (quod nuper senserant) in eo perstabant etiam nũ,existimantes, minimè pugnan-

dum in Anglos. etiamsi quædam occupent, posse illa facili manu recipi. futurum vt quotidianis militandi laboribus defatigati, interim diffluentes calore nimio, interim hausto & admisso aëre soluti, in ægritudines incidant. Nimirum hoc adeò sic euenit. Nam è calore & huic contrario frigore ab ipsis captato, febres & pestilentiæ coortæ. Adhoc, equi propter pabuli penuriam, maximo numero inedia peribant. Hinc querimoniæ & lacrymæ miserorum, infelicitatem suam deplorantium. Lusitanus in his malis à Lenclastrio consultus, putabat propter aëris intemperiem diuertendum in oppida iam occupata bello, & soluendum exercitum: ille contrà vereri, ne dimisso milite Borbonius, quem aduentare sciebat, imparatos opprimeret. Cùm igitur moueri castra non placeret, perduratum est sub dio. sed miserum erat spectare Anglos, qui, cùm neque feruentissimis illis æstibus, neque firmissimo vino potando assueuissent, morbis correpti, vix animam ægri trahebant. Ibi tum magister equitum, qui miseriam omnem aliquantò propiùs & audire poterat & contemplari, propterea quòd ad eum pleraque omnia deferrentur, re omni apud Lenclastrium exposita, præsenti dixit opus esse & breui consilio. placuit igitur militem omnem exauctorari. Quo nuncio accepto,

accepto, magna fuit in exercitu & castris lætitia. Sed non videbant qua via redirent in Angliam. Longiùs aberant à mari: & plerique sic erant affecti morbis, vt fluctuum insaniam ferre non possent. Terra non patebat exitus, quòd iter faciendum esset per Hispaniam, Nauarriam & Arragoniam, regna confœderata. Quid agant? Missus est ad hostem fœcialis, qui nobilibus aliquot Anglicis veniendi, redeundi & colloquendi facultatem impetraret. Hispanus, quid hoc nouæ rei esset admiratus, petitionem admisit. Ea fuit eiusmodi, vt, quandoquidem grauissimis morbis affligeretur omnis exercitus, memor humanæ miseriæ, quæ sit omnibus communis, permitteret ægrotos diuertere in sui regni oppida, & ibi commorari donec meliùs haberent. Cæteros verò, qui vellent ad suos reuerti, sineret tutò per Hispanias abire, & simul apud Arragoniæ Nauarriæque Reges pro ipsis, quò tutum haberent iter, intercederet. Hispanus, facta deliberatione, se quidem hæc omnia quæ petiuissent, facturum: sed ijs conditionibus, vt, qui vel rectà in patriam se conferrent, vel qui postea valetudine recuperata essent abituri, sanctè promitterent, se neque redituros ad Lenclastrium, neque gerendi belli caussa intra sexennium in Hispaniam venturos. Hæc etsi

grauia illis erant: tamen ad suos redeundi desiderio, videbantur etiam grauiora susceпturi fuisse. Lenclastrius, qui obliquè per alios negotium hoc egit, ne quid ab hoste videretur rogasse, Compostellam rursus petebat, infirmioribus in vicos & oppida vicina delatis. Ex ijs verò qui repetebant Angliam, præter popularem multitudinem, interierunt etiam plurimi genere nobiles in via, cùm aduersus morbos erigere se & sustinere non possent. Interim Borbonius, qui longum tempus hæsit in itinere, (nam Auenione Clementem salutauerat) in Hispanias accessit: &, quanquam de soluto exercitu accepit, tamen, cùm eousque promouisset, nisi compellato priùs Rege, minimè ijs locis abire voluit. Hispanus vereri ne Gallicus miles, diutiùs ibi commoratus, aut saltem admissus, flagitaret stipendia: quæ si denegarentur, agrum depopularetur: itaque Borbonio, quem alioquin omni humanitatis & beneuolentiæ genere prosequebatur, ab aliquot pòst diebus quàm eò veniisset, ex consilio suorum ostendit, hoc tempore, cùm hostis vltrò discederet, externo sibi milite nihil esse opus. Ille dimissionem hanc non modò non iniquè tulit, sed gratum etiam habuit occasionem sibi datam inde commigrandi. Lenclastrius, ægritudine graui afflictus aliquandiu Compostellæ,

recupe-

recuperatis tandem viribus, vt de Borbonij abitione cognouit, reditum ad suos & ipse cogitabat: cùm propter eas de quibus diximus, calamitates, ad id quò volebat, peruenire non posset. Acceptis igitur à Lusitano socijs & classe, vela ventis committens, intra pauciſſimas horas Baionam appulit. Hîc liceat videre quàm sint mirabiles, quàm deplorandi humanæ vitæ casus, quàm incerti cogitationum actionumq; nostrarum omnium euentus. Nimirum iste, qui plurimis annis hanc profectionem ardenter à se expetitam, impeditus nunc bellorum tempestatibus, nunc seditionibus in Anglia coortis, quo voluit tempore, perficere non potuit: iam postquam à Lusitano crebris legationibus vocatus, in regnum hæreditarium suæ coniugis venit, non perfecta re vlla memorabili, & amisso milite, supplex tacitè factus hosti, omittere consilia & rationes omnes, adq; suos redire coactus tandem fuit.

Suprà meminimus Ducis Geldriæ: qui bellum in Gallias denunciauit, idque superbè & tantum non contumeliosè, præter communem & vsitatum indicendi belli morem. Porrò, vt clariùs accipiantur omnia, res ita habet; Geldriæ Comes, Regnoldus, prodigalitate & luxu multùm labefecit ditionem suam. Cùmque locum & dignitatis gradum in his angu-

ſtiis ægrè tueri poſſet, adito Coloniensi præſule, cognato, rebus ſuis conſilium optabat. Ille, poſt liberiorem obiurgationem. Satis, inquit, vides ipſe & intelligis, non eſſe principem vllum, aut alioqui virum nobilem, quantumuis tenuem, qui filiam ſuam vxorem tibi dare velit, non ſolùm exhauſto & inopi, ſed vehementer etiam obærato. Cæterùm is quem Bertholdum à Mechlinia vocant, mercator prædiues, filiam habet vnicam, à magnis etiam principibus expetitam, propter ampliſſimam dotem. Non alia via meliùs tibi conſuli poſſit, quàm ſi prædam iſtam inuoles. Mittendus eſt ad illum igitur legatus, in hanc ſententiam, ſi pecunia ſua redimere velit arces & oppida creditoribus oppignorata. & ſimul debitum, quo tu illi obligatus es, remittere, ducturum te filiam ipſius vxorem. Placuit conſilium, & miſſus qui rem exponeret. Ille poſtquam orationem accepit, bene ſecum agi reſpondit, & cum familia ſua omni, ſiquidem filia ſua reputetur tali marito non indigna, videre ſe rationes cur Geldrus id faciat, nimirum vt à creditoribus expeditus, liberè ſua poſſideat. Se quidem à propoſitis conditionibus nihil abhorrere, quin potiùs connubium hoc ratum habere: ſed ita vt, ſi quidem ille præmoriatur non relicta ſobole, poſſeſſio rerum omnium ad filiam transferatur,

ratur,& penes eam sit,quoad viuat.Si verò contingat ipsam præmori, susceptis è coniuge liberis, vt tum isti in paternam hæreditatem omnem admittantur, nec illorum fortunæ obsit, etiamsi aliam pòst ille ducat illustriori genere natam, & prolem excitet. Ista cùm non displicerent, Bertholdi filia Maria nupsit: & quarto post nuptias anno, cùm maritum Isabella filia auxisset, è viuis migrauit. Geldrus, ab huius interitu, alteram duxit, Eduardi Regis Angliæ, multò omnium prudentissimi, sororem Isabellam. è qua sustulit Regnoldum sibi cognominem, & Eduardum: item filiam vnam, Ioannam. Euenit, vt Regnoldus tam filius quàm pater vita decederent. Eduardus matrimonio sibi iunxit Alberti Bauariæ Ducis filiam. hic in prælio aduersus Wenceslaum Brabantiæ tum principem, grauiter vulneratus, vitam finiit, non relicta sobole. Successionem igitur ad se pertinere post fratrum suorum mortem, Ioanna putabat. Isabella autem, vt quæ priori matrimonio esset nata, sibi iure deberi omnia contendit. hanc Ioannes à Bloys vxorem habuit: cui super hereditate magna fuit cum aduersarijs decertatio, futura procul dubio multùm acerba, & in bellum exitura, nisi è viuorũ illa sodalitio migrasset. Itaq; morte ipsius extincta simultate, Ioanna, quæ

Gulielmo, Iuliacorum principi nupserat, vnica patris hæres absque controuersia omni, filium è coniuge sustulit, eiusdem quo pater nominis. Hic Alberti Bauari filiam (quæ nupta quidem fuit Eduardo, sed propter teneritudinem ætatis, puella permanserat) in vxorem accepit, factus hac ratione Geldriæ Dux. Nam Regnoldus, qui Eduardi Regis sororem sibi per connubium adiunxit, ob amicitiam & inita fœdera cum Anglo, multùm erat gratus hoc nomine Ludouico Bauaro, tum Imperatori, adeò quidem vt is & Geldrum, qui Comes, & Iuliacensem, qui Marchio dictus antè fuit, in sublimiorem gradum eueheret, ac Duces vocari vellet. Cæterùm hic Gulielmus iunior, Geldriæ princeps, bellum denunciauit Gallo, mirè propensus in Anglum, & iniquè ferens, Brabantiæ Ducem Wenceslaum, quem oderat impensè, Gallis confœderatum esse. Cur illum odisset, hæc erat causa: Regnoldus, qui Mariam à Mechlinia, & pòst Eduardi sororem duxit, quòd supra modum esset prodigus, Comiti cuidam Morsensi tres arces, accepta pro his magna pecuniæ vi, oppignorauit. Ille, post multum tempus, cùm videret eò redactum debitorem, vt sua redimere non posset, pignori datas arces vendebat Wenceslao. A morte Regnoldi, Eduardus filius, datis ad Wenceslaum

laum literis, repetere illas, paratus resoluere pecuniam omnem quam dependisset. Quod cùm iste recusaret constanter, conscriptus est miles, & spectabant omnia ad bellum certissimum. Sed Iuliæ Ducis & Alberti Bauari intercessione, composita tum fuit simultas. Hoc anno Cæsar fratrem suum Wenceslaum instituit velut publicum viarum custodem, vt in prædones atque grassatores pro meritis animaduerteret. Euenit autem vt mercatores aliquot Flandri & Brabanti, negotiorum caussa in Germaniam proficiscentes, in agro Iuliacensi, quâ faciebant iter, rebus suis & auro omni spoliarentur. Scelerum auctores ferebantur adiuuari & bene haberi à Iuliæ domino, cui doleret, vt multis alijs, tantum honorem fuisse delatum illi. Quibus illatum erat damnum, grauiter apud eum querebantur, cui eiusmodi facinorum punitio commissa fuit. Is ad Iuliacum missis literis amicè perscriptis, adeò nihil egit, vt satis videre posset eum vltrò bellum affectare. Wenceslaus igitur, vt ne flagitiorum impunitas contemptum sui pareret, militem contrahere. Faciebat idem Iuliacus, adiutus ab Eduardo Geldriæ principe. Pugnatum est acerbè in Iulia, sed cæsis atque fugatis Brabantis, in captiuorum turba fuit & ipsorum Dux. Eduardus autem, accepto ibi

1371. graui vulnere, succubuit. Vt de mariti captiuitate nuncium accepit Brabantiæ Domina, Galliæ Regis consilium secuta, Cæsarem Confluentiæ compellabat: qui fratris infortunio motus, magnis viribus ibat contra Iuliacum, facturus ibi tristem & insignem agrorum vastitatem, ni principum aliquot Electorum interceſſione, qui mali putabant exempli, ſocium Imperij ſic oppreſſum iri, mitigatus fuiſſet. Coràm igitur adductus princeps, cùm Wenceslaum vltrò ibi ſiſteret liberum, poſtacrem obiurgationem, Cæſari reconciliatus eſt. Ab aliquot inde annis vita functus eſt Wenceslaus. ibi tum Gulielmus, Iuliaci filius, materna ſucceſſione principatum Geldriæ na-

1383. ctus, à vidua Brabantiæ Domina repetere arces illas, ab auunculo ſuo Eduardo, cùm viueret, antè repetitas. Quarum reſtitutione denegata, gliſcebat paulatim magis atque magis odium. Et quoniam Brabantia tum erat ratione fœderis coniuncta Galliæ, deinde, quòd Burgundus, Galli frater, viduæ ſucceſſurus erat: Geldrus, qui familiæ huic omni ſtudebat ægrè facere, quò ſuum in Angliam amorem declararet, eò profectus, bellum pòſt denunciauit Gallo, plurimùm etiam infeſtus Brabantis: adeò vt Burgundus à vidua certior factus de quotidianis impreſſionibus, equitum turmam

mam ad finium tuitionem eò mittere cogeretur.

Lenclastrij suprà facta est mentio: qui febrium & pestilentiæ crudelitate compulsus, milite dimisso, ad Lusitanum se contulit. Porrò, Hispani & his coniuncti Galli, vt hostem viderunt huc illuc dissipatum, facilè receperunt omnia, reliquis Anglis ad locorum præsidia dispositis, aut vi armorum aut deditione captis. Regem suum, quòd benignitatem fortunæ esset expertus, Italorum more, summo colebant honore. Lusitanus apud se commorantem socerum hortari, vt ex Anglia nouas copias peteret: sed ille, quòd lõgiùs abesset, quódque turbatam sciret & grauibus negotiis impeditam, collectis rebus, Baîonam, vt diximus, nauigauit, crebris inde literis ad Regem missis atque fratres, vt suppetias ferrent. Sed alienatis à Lusitania Anglorum animis, propter calamitatem ibi acceptam, vix inuentus est qui nomen militiæ daret. Ad hoc seditiones, turbæ & supplicia, quorum adhuc recens erat memoria, non patiebantur alienis vacare negotiis. Gallus de statu rerum Anglicarum vt accepit, quò calamitatem hostis in suum vsum traduceret, Hyberniæ principem, nuper eiectum Anglia, magnis pollicitationibus ex inferiori Germania in Galliam pertraxit.

Carolus Rex Nauarræ, ſub hoc tempus imperata pecunia populo, ad ducenta francorum millia, ciuitatum primores certo conſcriptos loco, cùm tergiuerſari videret, in aream quandam, vnde non patebat exitus, incluſit, adiectis interminationibus, vt intra breuiſſimum tempus deliberarent: alioqui ſe tractaturum ipſos pro merito. Sed interuenit mirabile quiddam. Poſtquam iratus ad hunc modum eos reliquit, ſomno ſe dedit. Et, quoniam erat ætate grandi, ſolebant famuli ſuffitum aliquem illi facere, prouocandi ſudoris cauſſa. Porrò, qua neſcio famuli incuria factum eſt eo die, vt ignis aliqua particula in lectum delapſa paulatim auctis viribus, inflammarit omnia circùm, atque ſolus ille cubans, cùm & per ætatem ipſe iuuare ſe, & linteis, quibus erat inuolutus, expediri facilè non poſſet, antequam ſeruuli accurrerent, miſer iam erat flammis magna ex parte conſumptus. Filium reliquit hæredem eiuſdem nominis.

Galliæ plerique nobiles, quibus vnicè diſplicebat, Regi ſuo bellum indictum à Geldriæ Duce, literis parum modeſtis, præter communem omnium morem: exiſtimabant, ſi quidem hoc illi eſſet impune, futurum vt aliquando crimini & opprobrio verteretur ijs quorum tunc conſilio Rex vſus fuiſſet. Erat ipſe quidem

Rex

Rex in bellum satis propensus : verùm, quòd Britoniæ Dux videretur res nouas moliri, ad commune bellum Anglos sollicitans, non licebat, quod multi summè cupiebant, perficere. Dux Berriæ, suo nomine priuatim misit quendam qui cum Britone comiter ageret per occasionem: sed id frustra fuit, eoque magis erant in dubio Gallorum animi. Videbant enim quanto Galliæ periculo fieret, si quidem Rex, quod & ipse optabat, & plerique tum suadebãt, in Germaniam accingeretur, quando Britoniæ princeps, non modò non affectare pacem, sed vltrò bellum expetere videbatur. Cumque diu sententiæ variassent, hinc existimantibus quibusdam, in tali regulo non ferendam eiusmodi contumeliam, & Regem assuefaciendum armis: illinc opponentibus se alijs, & propter præsentem rerum statum, & belli molem, & Germanorum ferociam: tandem ita placuit, vt Geldrus, quem adolescentiæ feruor magis quàm iudicium aliquod in hoc impulisset, negligeretur. Etsi bellum præterea inferret, tunc demum honorificentiùs futurum si quidem Rex arma aduersa ferat. Cum Britone quouis etiam modo priùs transigendum. Is enim, vt diximus, non obscurè de suis rebus cum Anglo videbatur pacisci: & iam Anglicæ aliquot naues tenebant mare inter Normanniam ar-

que Britoniam. Et quanquam nihil inferre damni in Galliam: tamen quia iis locis considebant, Galli pessima quæque suspicari. Hinc adeò fuere plurimi, qui suaderent arma in illum expedienda propter fastum. Sed patrui Regis, & alij, quorum in animis erat maior prudentiæ vis, euentum belli plurimùm metuebant. Nec enim difficulter conijcere licuit, futurum vt per hanc occasionem Angli renouarent bellum, in quod mirè semper fuit propensus Brito. Missi igitur ad eum legati, qui transigerent amicè. De quo certior factus ille, ptiusquam adueniissent, consilium à suis petebat. Hi grauissimis argumentis eum hortari, vt mutata sententia & perdomitis affectibus, daret se Galliæ Regi, cuius ea esset potentia, vt principes magnos, imò Reges, honori & loco restitueret: alios verò, quibus malè cuperet, ditionibus atque finibus exturbaret. Itaque, redderet Connestablio sua sponte, quas nuper ademisset, arces. Id fore aliquantò honestiùs quàm ad restitutionem cogi. Secutus ille consilium, restituit omnia: simul & officiarios à se priùs eiectos, locum quemque suum, in quo fuisset antè, tueri voluit. Huius rei fama in Galliam, illico delata, manauit & ad ipsos legatos iam Britoniæ vicinos. Qui simulatque veniissent ad principem, quoniam is iam vltrò, quod alioqui

petituri

petituri erant ipſi, perfecit: expoſuerunt alteram legationis partem, rogare patruos Regis, vt certo die veniret Bleſium, ad Ligeris ripam ſitum oppidum. habere illos quod ſeriò cum ipſo agant. Poſtquam eò ventum eſt, illi monere & obſecrare, vt concordiæ firmandæ gratia, Regem ipſe compellaret, ac ſimul iureiurando fidem illi ſuam daret ex more: quod reliqui adeò omnes, præter ipſum vnum, feciſſent. Brito, vt qui non ignoraret quàm graues haberet apud Regem aduerſarios, puta Conneſtablium, & Ioannem huius generum, nuper è cuſtodia Anglica liberatum, excuſare ſe diligenter. Sed accepta fide à patruis, omnia fore ſalua, Lutetiam venit.

Lenclaſtrius, cùm è Baiona crebris in Angliam miſſis literis, auxilium fruſtra peteret, omniumque animos ab Hiſpaniis videret alienatos, vehementer indoluit, cogitatione repetens quàm firmum, quàm non malè inſtructum exercitum in hoſtem eduxiſſet, captis ibi non paucis & oppidis & munitionibus: deinde, quàm duriter in ſe fortuna ſæuiiſſet, atque ſuos, turbatis conſiliis omnibus, adeò quidem vt acquirendæ hæreditatis & Regni Hiſpanici vix vllam rationem ſupereſſe videret. Conferebat interim hoc ſuum malum atque peſtem cum ea, quam Andegauię princeps in Calabria

passus erat, calamitate, qui magna expectatione & amplissima spe concepta, vt in Italiam accessit, non modò non peruenit ad eum quem sperauerat finem, sed vitam etiam impēdit. Vna solùm re consolari & sustinere animum, puta quòd filiam haberet è coniuge sua Constantia. Cogitabat futurum vt aliquis non vulgaris Galliæ princeps hanc expeteret, tum propter generis nobilitatem, tum etiam hæreditatem luculentissimam. Porrò, Dux Berriæ tum erat viduus. itaque familiares ipsius interim ducendæ vxoris facta mentione, inter cæteras etiam nominare Lenclastrij filiam. Ille statim adiecit animum, ac simul de voluntate sua Lenclastrium admonuit: quem vt minimè alienum à sua sententia accepit, denuò misit legatos qui porrò tractarent negotium. Interim Anglus, vt erat non imprudens, in omnem tam vicinam quàm longinquam regionem, huius rei famam extendit. missis ad amicos in hoc subornatos, literis tam suis, quàm Berriæ Ducis ad se. Futurum enim sciebat vt Hispanus eo nuncio mirabiliter turbaretur. Et hic quidem, vt rem accepit, illico secum reputare, quātum ad se mali redundare posset ex eo connubio: nimirum ita futurum vt inter vtrāq; gentem confirmata pace, bellum inferatur Hispaniæ, & coniunctis illorum armis, regni possessio

sio transferatur ad Leuclastrij vxorem. Quam obrem, accepto à suis consilio, tacitè agebat vt filio suo Henrico, quem è filia Regis Arragoniæ sustulit, Lenclastrij filia nuberet. pauci quidam paruo comitatu mittebantur, ne Galli, quorum beneficio regnũ tenebat, resciscerent. Anglus attentè illos audire. Gallicæ verò legationi spem bonam inijciebat, hoc tamen semper addens, præter assensum atq; voluntatem Regis Angli, sui nepotis, ad quem omnia referret, in his rebus nihil se perfecturum. Et ita quidem illos dimisit. Sed familiariùs multò sese dare Hispanis, instigante vxore, quæ filiam suam ista ratione videbat citra molestiam atque difficultatem omnem in amplissimo regno, cuius adipiscendi gratia tantos adiit labores, ordine successuram.

Inter Brabantos & Geldros indies magis atq; magis inflammari odiũ. & illi quidẽ collectis penè quadraginta millibus, obsidebant Grauiam, Mosæ flumini vicinum oppidum. Geldriæ princeps, tunc Nouiomagi subsistens quod magnam in oppidanis atq; præsidijs ibi, relictis fiduciam haberet, non admodum obsidione ista moueri. Petebat nihilominus ab Anglis auxilia. sic enim inter eos, quo tempore bellum denunciauit Galliæ, transactum fuerat. Verùm, qui tunc erat ibi rerum status, ob

domesticas turbas, & Scotici belli metũ, nullæ venerũ suppetiæ. Cæterùm Brabanti, cùm frustra laborem omnem sumerent, circiter decem millia emiserunt ad deprædandum agrum hostilẽ. Geldrus ea de re factus certior, contractis plus minus trecentis equis, tametsi dissuaderent pleriq; omnes, hostem magnis animis petebat, præstabilius esse iudicans, fortiter pugnando in hostium turba mortem oppetere, quàm obsidionem perferre. Productos igitur in aciem suos hortari ad virtutem militarem & egregia facta: pòst, magno impetu concitatis equis, vno agmine cõfertim in hostem inuolans, imparatum & opinione citiùs oppressum, facili manu fudit, cùm respirandi vix haberet otium. Desiderati sunt plurimi, cæsis alijs in conflictu, alijs fuga se præcipitantibus in Mosam. Elapsi, magna celeritate nuncium intulerunt in castra eorum qui Grauiam etiamnum obsidebant. Ibi tantus illico fuit exortus terror, vt rebus & impedimentis omnibus relictis profugerent.

Galliæ Rex, quem mirus incessit ardor gerendi belli aduersus Geldrum, ob literas illas petulantiæ contumeliæq; plenas, ingentem contraxit exercitum. Inter cæteros & patrui ab instituto dehortari: sed, quoniam cum Britone fuit transactum, adeò quidem vt is extor-

tam

tam quoq; pecuniam Conneſtablio reſtitueret, noluit ille rei gerendæ occaſionem prętermittere. Legatos verò ad Cæſarẽ præmiſit, qui belli futuri cauſſas exponerent. id enim ex officio & pacto faciundũ ei fuit. Per Brabantiam ire placuit. & ipſa quidẽ Domina facilè aſſenſit: verùm cætera turba omnis opponere ſe, parati ditionem ſuam tueri, nec tantam admittere multitudinem: quæ ſemel recepta, non minorem eſſet inductura calamitatem, quàm ſi agrum fuiſſet depopulatus hoſtis. Quinetiam ipſi Dominæ interminari, ſi Gallis in ea re gratificaretur, aduerſus Geldrum arma ſe non ſumpturos vnquam. Illa ſe diligenter excuſat: e ad Regem, culpã in ſuos transferens, ac ſimul offenſionẽ deprecans. Itaq; per Campaniam ſuſcepto itinere, ad ſyluam Arduennã pręmiſſi trja millia, qui viã alioqui inacceſſam aptarẽt. Porrò, ad Cæſarem miſſum erat exemplar literarum, quas Geldrus voluit in Galliam adferri, bellum indicturus. Harum immodeſtiam vt Cæſar intellexit, ad eum modum reſpõdit legatis, vt ſatis appareret, nihil ſe repugnare quò minùs bellum hoc perficeretur. Per Arduennã igitur facta via, Luzemburgicã ditionem ingreſſi, cùm eſſent vicini iam agro Leodienſi, qui tum erat loci Epiſcopus, Arnoldus è familia Comitũ ab Horn, incitatus à Præſule

Coloniẽſi, apud Regẽ interceſſit pro Iulię principe, cuius quidẽ ager belli furorem primus excepiſſet. Gallus interceſſionem non excludere, modò ille coràm ſuas ipſe rationes quibus excuſari vellet, iuſtas quidem illas & graues, explicaret. Adductus ad Regem, ſe neque filio ſuo auctorem denunciandi belli nec huius rei conſcium priùs fuiſſe quàm eſſent miſſę literæ. Et, quò plus haberetur fidei, ſe filium inhortaturum vt coràm diligenter ſe purget, ac ſimul veniam admiſſi oret. Quod ipſum ſi obtinere non poſſit, omnia ſua oppida patefacturum ſe Regi, vt bellum eò commodiùs perficiat. Placuit conditio, Burgundione potiſſimùm adhortante. Profectus igitur ad filium pater vnà cum Archiepiſcopo Colonienſi, incredibile eſt quantum laboris & moleſtiæ ſũpſerit in flectendo illius animo. Spirabat meram ferociam & Regis contemptum, cuius impetum & vires, Anglorum ope ſuſtinere ſe poſſe credebat. Vix tandem, multis & obiurgationibus & minis, &, quæ ſolent his intermiſceri, precibus, velut expugnatus patri ſe dãbat. Is præſcibere formulas excuſandi, nimirũ, quicquid huius factum eſſet, id auctore & inſtigante Anglo factum. Regis animus cõſpecto Duce, & accepta illius oratione, qua neſcio propenſione ſingulari viſus eſt commoueri. Nam

& condo-

& condonauit factum magna facilitate,& impensiùs illum amare cœpit, quam si non irritassset.

Scoti, vt acceperunt in Anglia subnasci discordiam, & tempore collectis viribus augeri, quò veteres iniurias vlciscerentur: clam Rege suo,quem à re militari iudicabant alienum, ad quadraginta millia contraxerunt.Quin& hostem id celare putabant calliditate quadam: sed frustra fuit.factus enim ille certior,defensionem parare. Collata signa: nullo vnquã tempore maioribus inter ipsos pugnatum est viribus. Exercitum Scoti in duas alas partiti, non æquo robore in prælium venerũt, quòd essent longiùs inuicem dissipati. Victores nihilominùs extiterunt.

Post Gallorum abitionem, Geldrus, otij & quietis impatiens, milite cõscripto, in Prusiam ibat. Euenit vt per Germaniam iter faciens, caperetur. Prusiæ verò magnates,armorum vi rursus illum eximere, profugiente eo qui ceperat, ne in hostium aduentantium potestatem redigeretur. Ille verò, quanquam amicorum præsidio factus erat liber, & belli iure deperditum statum, eadem ratione recuperasset: tamen hosti datam fidem seruare volens, vt ad præscriptum certo tempore locum venit, de libertate cum illo pactus est.

Lenclastrius in officio & expectatione retinebat Berriæ Ducem, magis interim affectus in Hispanum, vt diximus. Nam inter cætera metuebat & hoc, ne, si Berrius vitam finiret, filia sua tenuis videri posset præ cæteris illius liberis, è priori coniuge natis, omnia dubio procul occupaturis. Atqui Galliæ Rex, vt accepit ab Hispano futurum obstaculum, mirabiliter fuit offensus, & cum eo procerum turba, quibus pulchrè constabat quantorum beneficiorum nomine Galliarum Reges, multis retrò seculis, deuinctam sibi haberent Hispaniam. Ope enim Caroli quinti, Henricus parens huius, in regni possessionem missus, illam ad filium Ioannem à morte sua transmisit, verùm ita vt aduersus Anglos & his coniunctos Lusitanos, ægrè illam tueri iste, nisi Gallorum auxilio subnixus, potuisset. Hæc igitur ingratitudo cùm vehementer angeret plurimorum animos, ad Hispanum missus legatus est cum eiusmodi mandatis: etiam atq; etiam videret quid ageret, quorum sibi adiungeret amicitiam. vix vnquam de coniugijs pactum fieri, quin & confœderationes intercedant. Extare formulas coniunctionis atque fœderis inter Henricum patrem, illiusq; posteros, & Galliæ Reges. Ne quid in eas committeret: alioqui Regem non iniuria discessurum ab amicitia,

quam

quam omnibus modis retinere ſtudeat & colere, quantum fieri poſſit. Hiſpanus, nomine ſuo de quibuſdam rebus cum Lenclaſtrio reſpondit actitatum eſſe: verùm id nullo futurum Galliæ detrimento. Se, vt in amicitiæ rationes atq; fœdera peccaſſe videri poſſit, nunquam admiſſurum. Vt in hanc ſententiam locutus, à ſe legatum dimiſit, illico pòſt de connubio tranſegit, adeoq; Conſtantia filiam ſuam Catharinam, perficiendi negotij cauſſa, in Hiſpanias abduxit, & Regis filio Henrico eam deſpondit. Quo facto, cùm diligenter inquiſiſſet de paternis oſſibus commonſtrato demũ loco, effoſſa illa tranſtulit Hiſpalim, ac denuo ſepeliri mandauit. 1389.

Studio & induſtria bonorum virorum agitatum eſt de inducijs inter Galliæ Regem, Anglum, & vtriusq: ſocios, puta, Hiſpaniam, Luſitaniam & Scotiã. Porrò, quòd feliciter in Anglum non ita prideu pugnaſſent Scoti, difficiles admodum huc deſcenderunt: ſed inclinante ad tranquillitatem ipſorum Rege, mutarunt ſententiam & ipſi. Tranſactum eſt igitur de inducijs ad annos tres, ita quidem vt qui contrà quouis etiam modo faceret, perfidus atq, ſceleratus haberetur.

Suprà meminimus Hyberniæ Ducis, qui pulſus Anglia, magnis promiſſis è Germania

vocatus atq; perductus nuper in Galliam fuit. vbi cùm esset aliquandiu versatus, perpetuam inuenire sedem & obtinere non potuit. Nam princeps à Coucy, vir summæ apud Gallum auctoritatis, grauissimis de caussis hunc oderat. Hybernus enim istius filiam vxorem ductam, alterius deinde cuiusdam puellæ captus amore, deseruit, & hanc sibi iunxit, Vrbano coniugium habente ratum, vt qui gratificaretur modis omnibus Anglo. Cõcitatus hoc flagitio repudiatæ filiæ pater, is quem diximus, non conquieuit donec è Gallijs hominem nõ vno scelere impurum, deturbasset. hic mihi vide humanæ vitæ euripos, vide principum affectus, vide flagitiosorum hominũ fortunas.

Non deerant qui Gallum inhortarentur vt regni prouincias lõginquiores inuiseret. Gratum id fore populo, quem non alia ratione meliùs sibi conciliare posset. Ille per Campaniam, Burgundiam, aliasq; ditiones iter ingressus, Auenionem peruenit, & inde, compellato priùs Pontifice, Monspessulum. Quæ ciuitas, etsi propter negotiationes opulentissima sit, tamen crebris vexata tributis & exactionibus, ægrè potuit respirare. Etenim quamdiu Carolus quintus erat in viuis, Andegauiæ princeps ea loca omnia regebat, non citrà magnã locupletationem suarum fortunarum. Et, cùm amplio-

ampliora secutus, Neapolim proficiscereturr, voluntate procerum administrationi successit Berrię princeps. Vt autem annum vicesimumprimum Rex attigit, adempta patruis omni functione, rerum summam ad se transtulit. In Prouinciam igitur & finitima loca postquam venit, grauissimas audire querelas de patruo suo, qui supra modum expilatis miserorum bonis, ad summam propè desperationem eos adegit. Erat videre quotidie supplices libellos plurimorum, de fraude, iniuria, vi, proscriptionibus atq; rapinis conquerentium. Regi vehementer doluit populi miseria, & ideo, exempli statuendi caussa, quendam Berriæ principis, patrui sui, quæstorẽ, ijs locis primùm grauiter ab omnibus accusatum propter expilationes, viuum exuri præcepit, quantumuis intercedẽte per literas & deprecante Berrio. Cæterùm, Rex istam profectionem instituens, noluit adesse in comitatu suo patruos, hoc nomine plurimùm offensos, maximè verò quòd in precio viderent apud Regem quosdam tenuis conditionis homines.

Sub hoc tempus è vita discessit Vrbanus. 1389.
qua de re Clemens Auenione decimo die certior factus, Galliæq; Regi caussam suam diligenter commendans, orabat vt apud Cæsarem, item Hungariæ Regem & reliquos prin-

cipes, pro se auctoritatem suam interponeret, quò tandem omni discordia sublata, ecclesiæ tranquillitas confirmari posset. Sperabat ille quidē, aduersario vita defuncto, rei summā ad se deuolutā: sed opinione falsus est, Cardinalibus Bonifacium Neapolitanum creantibus.

Africani & Barbari, subinde in Genuenses & horum subiectas imperio ciuitates alias, faciebant excursiones. Quod eò poterant faciliùs, quoniam ad fines, quà venitur Genua in ipsorum agros, vrbem tenebant longè munitissimam: vocant Africam. Ex ea facillimum habent cursum atq; nauigationem in hostē, &, si res vrgeat, in eandem, velut in portum tutissimum, se recipiunt. Precibus igitur sociorum & lacrymis impulsi Genuenses, cogitare defensionem. Et, quoniam inter Reges aliquot nuper transactū erat de inducijs, ad Galliæ Regem, qui militem & suppetias orarent, legati sunt missi. Hic verò tam inclinare totus in hoc bellum, vt etiam finitimos ad auxilium sollicitaret. Collectum igitur è Gallia, Britonia, Artesia, Flandria & Anglia non modicum exercitum in Liguriam misit duce Ludouico
1390. Borbonio, &, quem huic adiunxit, principe à Coucy, rei militaris & scientiæ omnis bellicæ peritissimo. Genuæ conscensis nauibus, tandem, aduersis fluctibus & tempestate superata, in

ta, in hostium fines appulerunt. Et his quidem, propterea quòd accessione Gallorum & exterarum nationum firmatis Genuensium viribus, vrbem suam peti viderent, & obsidione cinctum iri, deliberantibus, quidã ætate grandi, vir nobili genere natus, in hunc modum consuluit, nõ esse conserendas cùm hoste manus ob ingentem illorum turbam: sed permittendum vt positis ibi castris considerent. Vrbem satis munitam esse, quæ vim & diuturnã patiatur obsidionem. Hostem feruore solis & æstu torreri, dũ ipsi tectis & vmbris ab aëris intemperie defensi, bene intus habeant. futurum vt annona omni consumpta paulatim, vexati caloribus & mille aliis incommodis pertæsi, rebus infectis inde commigrent. Placuit senis consilium, obsessaque vrbe, tam mari quàm terra, complures erat videre quotidie velitationes leuioresque conflictus. Cæterùm legato misso, volentibus cognoscere Barbaris qua de caussa bello peterentur, Galli responderunt, ideo potissimùm, quòd maiores ipsorum indigna morte Seruatorem orbis necassent: deinde, quòd baptismum excluderent, quòd in Deum essent impij, quòd de virgine matre irreuerenter sentirent. his adeò de caussis inferri bellum in ipsos, velut communes christiani nominis hostes.

Illis responsum hoc ridiculum videri: tantum aberat vt de religione quęrendum putarent. Sicilienses, aliæq; vicinæ regiones, frumentum, vinum aliaq; multa copiosè in obsidentium castra aduehere. Sed propter insitum vini calorem ijs locis, tum ob cœli feruentissimum æstum, fieri non potuit quin plurimi in periculosissimas ægritudines inciderent. Inter hæc mala Dux Borbonius, importunè admodum, de grauitate sua nihil remittere, sublimis, acer, fastuosus, & velut inaccessus: adeò quidem vt ipsius culpa, cùm intractabilem se prębęret, omissa fuerint pleraq; egregia facinora. Post obsidionem bimestrem, cùm frustra laborem omnem suscepissent, propter impendentem hyemem, & victus attenuationem, & metum futuræ penuriæ, & excubiarũ molestias, (Barbari enim illos noctu subinde adoriri imparatos) & pestilentiæ velut imminentis suspicionem, pleriq; volebant exercitum solui. Quin & illud verebantur, ne Genuenses cum hoste transigerent: iamq; per omnia castra spargebantur eiusmodi voces. Iraq; soluta obsidione, quod Genuensibus plurimùm displicebat, Galli inde abitionem parabant. Qua re ferociores facti Barbari concipere spes amplas, & magna sibi deinceps polliceri: quóq; maioribus aliquando viribus hostem reijcerent, fœdera

cum

cum vicinis regibus firmarunt.

Hiſpaniarum Rex Ioannes, biennio pòſt quàm ipſius filius Lenclaſtrij filiam duxit, è vita migrauit. Huic ſucceſſit Henricus filius. Porrò cùm de matrimonio tranſigeretur, & hoc interuenit pactum, vt Hiſpanus in ſingulos annos penderet Lenclaſtrio illiusq; vxori centum aureorum millia, datis hypothecæ loco, ne fraus intercederet, quatuor illius regni Comitatibus.

Galeatius, Mediolanenſium Dux, patruum ſuum Barnabam, ex inſidijs captum, è medio ſuſtulit. huius Barnabæ filius, Comitis Armignaci ſororem duxit coniugẽ. Galeatij filiam Valentinã Ludouicus, Caroli ſexti frater, Dux Aurelianenſis, vxorem habebat. Cæterùm, Comes Armignaci ſubinde & continenter à ſorore ſua rogatus, exercitu in Gallijs contracto ex prædonibus, ac in Italiam adducto, cin- 1391.
xit Alexandriam, ditionis Mediolanenſis oppidum. Galeatius, qui tum Papiæ commorabatur, circiter quingentos equites in præſidiũ illuc miſit. Nec enim eatum fuit hoſtiũ multitudo, vt omnem vrbem obſiderent. Eorum, qui mittebantur, equitum præfectus, diſciplinæ militaris peritiſſimus, cùm aliquandiu ſubſtitiſſet Alexandriæ, certo quodam die, comitatus trecentis equis, vt hoſtem ex inſidijs ca-

peret, progressus est. futurum enim sciebat vt illi velitatione aliqua in oppidanos inuehérentur. Itaque discedens mandauit, vt inter pugnandum cederent vrgendi hosti, donec ad insidiarum locum deduxissent. Non aberrauit opinione. Etenim dum ex more confligerent, oppidani retrocedere: &, simulatque ventum est ad insidias, illi præter expectationem illico circumdati, fortiter quidem pugnare, sed defatigati labore, & solis æstu languidi, recentis hostis impetum atque robur ferre non poterant. Et ipse adeò Comes, vt respiraret, è prælio discedens, cũ ex amni, quem inuenit non procul inde, cupidè potasset & abundè, morbo repentè collecto, & loquendi facultatem amisit, & ab aliquot horis morte vitam commutauit. Milites, hac ratione deiecti, fugã ex Italia spectabant: sed interceptis ibi plurimis, & oppressis, reliqui, cùm ad Galliæ fines veniissent, accessu prohibiti sunt, ex mandato Regis.

Britoniæ Dux, qui Galliæ Regem nuper Lutetiæ compellauerat, & fidem ex more promiserat, mutare ingenij sui naturam impotens, cùm non semel esset Gallo reconciliatus, non poterat tamen non odisse illum, & amare Anglum. Quo tempore Lutetiæ transigebatur cum eo, polliceri, Clementinum se fore deinceps: verùm, vt in ditionem suam redijt, nihil

minùs

minùs præstare. Quinetiam Regis officiarios ad se missos, non admittere ad colloquium. & ita omnino se comparabat nõ obscurè, vt bellum videretur expetere. Pleriq; Regẽ ad arma hortari, propter intolerabilẽ hominis fastum. Sed patrui, imprimis verò Burgundus, (vt cuius vxor Britonis esset cognata) id operam dabant vt collocutioni certus dies assignaretur. Turoni simul ventum est: ibi recitata quædam in quibus ille viderẽtur dignitatem regiam cõtemnere. Brito singulis respondere diligenter & satis acriter, haud obliquè perstringens in Regis familia quosdam obscuræ conditionis homines, à quorum auctoritate & cõsilio Rex pendebat. Altercationibus multùm agitata res, videbatur nisi armis finiri non posse. Verùm inuẽta est ratio qua fœdus & amicitia firmarentur. Galliæ Rex filiam suam Britonis filio vxorem dabat: præterea, Ioannis à Bloys, qui Connestablij gener erat, filius, Britonis filiam vxorem duxit. Nimirum in eiusmodi comicos exitus, principum simultates ferè desinunt.

Gyus, Comes à Bloys, amplissimã quidem hæreditatem obtinebat in Gallijs alijsque locis: verùm à morte sui filij Ludouici, qui pueribus annis obiit, non vnum aliquem certum habebat hæredem, sed varios diuersis locis,

hæredem futurum grauaret. Ab illius morte non deerant qui Regem inhortarentur vt, quandoquidem ille non relictis liberis decessisset,& tantam præterea pecuniam ex mutuo deberet, ditionem illam omnem ad se transferret. Variè agitata re, tandem interceſſione Ducis Berriæ, Comitatum Rex Vicecomiti cessit,his legibus,vt sexaginta millia sibi, deinde viginti millia francorum penderet ijs quorum in hac causſa ſtudium & labor enituisset: postremò, vt ex arbitrio bonorum virorum, amicè paciſceretur & æquabiliter cum duobus,qui supererant,filijs illegitimis.

Postquam ex Barbaria redijſſent Galli rebus infectis,commemoratione plurimorum, quæ vidiſſent, facta, Regem inceſſit in ea loca penetrandi, Barbarosq; ſubigendi mira cupiditas: quam & alij crebris inſtigationibus augebant,vt quæ tanto principe digna esſet. Verùm ecclesiæ tranquillitatem ſtabiliendam priùs quàm expeditionem hanc ſuſciperet,putabant. Id autem, niſi oppresſo, quem Romæ nuper elegerant, Pontifice, fieri non poſſe. Quod conſilium vt non diſplicuit, illico pòſt in omni Gallia denunciatum eſt, Regem ſub proximum ver ad militiam accingi. Porrò, cùm nihil esſet deliberatius hoc ipſo & certum magis, en tibi legatos Angliæ, ſignificantes

Regem ſuum ad pacem inclinare, & illã ſummè cupere. Nuncius hic Regem Galliæ mirabiliter recreauit, adeoque ſtatutum eſt, vt Ambiani conueniretur. Anglus eò miſit duos è patruis: & eum, qui pacem habebat exoſam, apud ſe manere voluit in oppido quodam ma-
1391. ritimo: Douram appellant. Gallus ipſe rebus agendis intererat, Angli repetere Aquitaniam omnem, à Ioanne Rege, belli iure ceſſam. Ad hoc, quater & decies centena francorum millia, quæ reſtabant etiamnum pendenda pro libertate eiuſdem Regis. Offerebant illis aliquam Aquitaniæ partem Galli, puta, illam ipſam qua potirentur, & Epiſcopatus nouem. Ad pecuniam reſoluendam, trium annorum ſpacium ſibi dari petebant, & Caletum æquari ſolo. Repudiatæ ſunt vtrinque conditiones. Nam Angli, quanquam ad pacem mirè inclinabant, tamen abſque voluntate Regis nihil tranſigebant: id quod abeuntibus iniunctum erat. Præterquam Caleti demolitionem, reliqua non admodum improbauit Anglus, referentibus legatis. Verùm Dux à Cloceſtre, nimirum is qui pacem perpetuò turbabat, durus & aſper, opponere ſe vehemẽter, affirmans nõ poſſe vllãs, quæ quidem Angliæ ſint vtiles & honeſtæ futuræ, cum Gallis iniri amicitiæ rationes. Et, quoniam ſuper his rebus, adeò non

leuibus

leuibus, ab vno Rege, vt maximè omnia probasset & rata habuisset, statui non poterat, nisi trium, quos vocant, Ordinum interueniente auctoritate, triennalibus illis inducijs, quarum suprà facta mentio, alter adiectus est annus, vt & cogitandi & agendi spatium suppeteret. Atqui discedenti Lenclastrio Rex Gallus animum suum patefaciens, ostendit quanto pacis desiderio teneretur, vt hac via potentiam & robur suum omne posset in Barbaros expedire, qui nuper & Armeniæ Regem eiecissent, & in Hungariam magna crudelitate penetrassent. Lenclastrius, cùm sua sponte satis incitatus, tum verò humanissima Regis oratione & sermone honesto commotus: adhæc, operam, fidem & industriam illi suam pollicitus, non se conquieturũ priùs affirmauit quàm ad eum, quem & Rex imprimis & boni omnes expeterent finem, negotio perducto.

Gallus, permutatione facta cum fratre Ludouico, Turonensem ab eo ditionem accepit, & vicissim Aurelianensem illi cessit, ampliorem multò: sed ea lege vt omnis ipsius posteritas inaugurationem à Gallorum Regibus peterent.

E familia Regis quidam genere nobilis, Petrus à Craone, gratia plurimùm valebat apud Aurelianensem: qui præter coniugem suam

deperibat quandam eleganti forma puellam. & id quidem non ignotum erat ei quem diximus, præ cæteris hero multùm familiari. Contigit vxorẽ resciscere de amoribus mariti sui. Puellam igitur ad se vocatam acriter obiurgat: quæ proximo colloquio cùm principe, perditam se vocat & miseram, quòd vxorem nihil fugeret eorum quæ maximè vellet operta & tacita. Ille, quibus nescio blanditijs, è coniuge resciuit auctorem patefacti sui amoris. Nimirum is erat Craonius: quem hac ratione apud se vocatum in odium aula tandem eiecit. Hic igitur cùm in Gallia sedem quietã habere non posset, ad Britonem se contulit: qui irreconciliabili odio Connestablij flagrans, hoc egit vt profugus iste crederet, illius delationibus factum quòd Gallijs exularet. Initis igitur hic apud se, quibus iniuriam hanc vlciscereturr, rationibus, familiæ suæ quosdam diuersis temporibus Lutetiam præmisit, iniungens vt dissimulanter vrbem ingressi continerent se domo quam ibi possidebat. Ipse non multo pòst insequitur. Vt certo die per exploratores de Connestablio resciuit, noctu redeuntem illum à Rege, & paucis quibusdam comitatum adortus, grauissimè vulnerat, & deturbatum ex equo, cùm interemptum putaret, reliquit. Nuncius ad Regem illico delatus est. Il-

est. Ille, præter id quòd sic afflictum, nulla interposita mora, sub intempestam noctem inuisit, mandauit etiam præfecto scelerum vt quanta posset celeritate & astu, facinoris auctorem inuestigaret. Sed id frustrà fuit. Nam ille, post admissum facinus, ad Britonem illico profugit, viam, quæ diui Antonij Lutetiæ vocatur, ingressus, patentibus tum vrbis portis. Ad Britonem missus est à Rege, qui nefarium hominẽ & facinorosum sisti iuberet eo, quem Rex vellet, loco. Ille pertinaciter negare præsentiam. Regi minimè id fieri verisimile. Et, cùm propter sceleris magnitudinem (iudicabat enim hoc ad se pertinere propriè) tum verò quòd illum videret multis nominibus Galliæ molestum, copijs contractis, in Britoniam contendit. Patrui, odio Conneſtablij, Regem ab incepto dehortati, cùm nihil efficerent, arma sumpserunt & ipsi. Vt propè ventum est in agrum hostilem, Rex, & leuioribus quibusdam ægritudinibus antè, & nunc etiam intolerabili calore vexatus, ac nescio quibus præterea molestijs æger, inter equitandum subitò priuatus omni facultate & vi intelligendi, non secus ac si in confertissima hostium turba versaretur, exempto gladio, in nobiliũ & eorum qui circùm erant, cohortem sese præcipitat: fratrẽ germanum & multos alios ad magnum

loci ſpatium ita inſequitur, equis atq; ſellis deturbat. Tandem à tergo comprehenſus, detractis armis, in vicinum oppidum adductus eſt, & inde pòſt in Galliam Lutetiæ propinquiorem. Quo facto, cùm deliberaretur an Regis fratri adminiſtratio rerum eſſet committenda, placuit eam eſſe penes patruos, quòd ille per ætatem non ſatis prouideret. Rege ad hũc modum decumbente, patrui, facultatẽ & occaſionem adepti malè tractandi eos quorum conſilia Regem ad quæuis impellebant, Conneſtablium Gallijs eijciunt, alios vinculis & carcere cohibent. Conneſtablius quidem vi non fuit exturbatus, verùm, quòd acerbiſſima oratione eſſet exceptus à Burgundo, tempore ſibi de fuga proſpexit. Dolebat inimicis illum
1391. ſic euaſiſſe: qui, vt viderentur agere non iniquis rationibus, (nam & Borbonius & Aurelianenſis bene cupiebant homini) citarunt profugum in ſenatum Pariſienſem. Quò cùm non veniret die præſcripto, peculatus & proditionis damnatus eſt. Etenim, quo tempore grauiter ex vulnere laborabat, teſtamento facto, reperta ſunt in ipſius bonis, quæ mobilia vocant, circiter decies & ſepties centena francorum millia: quam pecuniæ molem pleriq; dicebant eum iniquiſſimis modis collegiſſe. Reliqui verò qui vinculis coercebantur, exuti

facul-

facultatibus & rebus omnibus, in magno capitis periculo versari. Inter hosvnus & item alter, quòd innocentiam suam ad hunc modum periclitari viderent, cogitatione rerum anteactarum, & vitæ splendoris in quo vixissent, impulsi, lacrymis & mœrore se penè exoculatunt ipsi.

QVARTI LIBRI FROSSARDICI HISTORIÆ OMNES COGNITIONE & lectu non indignæ.

TAM Angliæ quàm Galliæ Regis patrui, vt pax tandem coiret, plurimùm sudabant. Scriptis vtrinque res agebatur, vt per otium relegi singula diligenter & expendi possent. Anglis, præsertim verò Duci à Cloceſtre, videri, Gallos aliquot voces vsurpare callidè, quas occasione pòst data, in quam vellent partem interpretarentur. Iraque singula maiori studio discutere, &, vbicunq; dubia oriri vel ambigua locutio, percunctari. Plerique omnes, quorum fortunæ pacis tempore multùm erant accisæ & tenues,

affectare bellum: sed vterq; Rex ad concordiã propendere mirum in modum: in primis verò Gallus, propter eam, quæ suprà enumerata est, caussam. Adhæc, Armeniæ Rex profugus, facta commemoratione quàm impotenti cupiditate, quantisq; viribus Barbaræ nationes inhiarent non solùm Hungariæ, sed vniuerso propemodum orbi Christiano, plurimum ad hoc quod agebatur, momenti adferebat. Trãs-
1393. actum est super inducijs ad annos quatuor, & terra & mari: præterea, vt ditiones aliquot certæ restituerentur, hinc Anglis, illinc Gallis, ejecto milite omni prædone. Galliæ Rex, qui medici cuiusdam opera nuper & intelligendi & loquendi vim recepit, hoc tempore in morbum recidit.

Clementi Pontifici, qui aduersarium habuit Vrbanum, & ab hoc Bonifacium nuper electum, Auenione mortuo, Cardinales Benedictum surrogarunt, ea lege vt, si Galliæ Rex creationem non probaret, alius eligeretur. Vtriusq; Pontificis ad se missos legatos patienter ille quidem audire: sed, theologorum secutus consilium, nec huic nec illi se dare: quin potiùs cogitabat rationem qua posset ecclesiæ cõsuli, dissensionis materia omni sublata. Missis igitur ad Cæsarem (cuius in ea re prima debet esse auctoritas, fides atq; studium) legatis,

item

item ad Bohemum, Hungarum & Anglum, obtestari illos vt ne publicæ tranquillitati & bono deessent.

Anglus hoc tempore Lenclastrio & illius hæredibus, Ordinum assensu & voluntate, Aquitaniam omnem prorsus & liberè donauit. Instructis igitur & collectis rebus, vt Burdegalam venit, donationem sibi factam ostendit. Illi, non se quidem ipsius præsentiam & aduentum iniquè ferre: sed, vt imperium accipiant, & dominum agnoscant, id se nõ posse statuere. Pacisceretur & ageret cum reliquis ciuitatibus: quæ si ratum habeant Angliæ Regis factum, nec se defuturos officio. Responsum est à Baionensibus ad eundem planè modũ. Porrò, dum singulorum animi perquirerentur, nobilium & optimatum, qui certo conuenerant loco, hæc erat sententia, vt dicerent, donationem istam, propterea quòd Aquitani sic essent adiuncti & velut insiti Anglis, vt nullo pacto separari possent, aut in alterius dominium transferri, vanam & inutilem esse. Tandem placuit mitti legatos qui coram ipso Rege causſam agerent. Postquam eò ventum est, illi constanter tueri ius suum, puta, ditionem illam, neq; donationis, neq; connubij, neque transactionis, neq; omnino cuiusuis rei causſa posse alienari. Angliæ Reges hoc ipsum ex

more, dum Imperio consecrantur, multis retrò seculis, fide & iureiurando præstito, solitos polliceri, & ipsum adeò Regem præsentem idem fecisse. (ac simul eius rei literas proferebant) Omnium maximè interesse regni, vt ne violetur ista, prudentum auctoritate recepta, & temporis longinquitate firmata consuetudo. Lenclastrium hoc quidem tempore cum Anglis firmam & certam amicitiam colere: sed fieri posse tamen, vt nõ semper eadẽ sit ratio. futurũ vt cum Gallis, cum Britonẽ, cũ Burgundo, cũ alijs, vtut tẽpora ferent & rationes ipsius, fœdera, suscipiat, & de matrimonijs trãsigat: futurum vt Aquitania, quæ suo quodam peculiari iure sit assignata sceptro Angliæ, traducatur in dominatum alterius, neq; cum veteri & socio regno quicquam deinceps habeat coniunctionis. Ad eum modum locuti, bonam partem, vt idem sentirent, permouerunt. Sed opponere se vehementi spiritus & animi contentione Dux à Cloceſtre, non tam amore fratris, quàm quòd optaret illum hac ratione longiùs ab Anglia semotum, vt, quod vellet, commodiùs ipse perficeret. A multa disceptatione, placuit legatorum oratio: & simul Lenclastrio, ne cœptum vrgeret, aut donationi insisteret, denunciatum est. Dum hic in Aquitaniam abiret, Anglus exercitu conscripto

ad tri-

ad triginta millia ſagittariorum, & quatuor equitum millia, penetrauit in Hyberniam: pro cuius recuperatione maiores ipſius magna ſæpe bella geſſerunt. Nono, poſtquam eò venit, menſe, in deditionem illos accepit, captis quatuor illorum regulis: in quorum ingenijs erudiendis excolendisq. nullam prætermittebat operam: ſed ægrè poterat animus barbarus & fera natura ciuiliori vitæ aſſueſcere.

Poſtquam Anna Caroli Cæſaris filia, vitam finijt, Anglus, quòd liberos nullos haberet, de repetendo coniugio meditari. Galliæ verò, præ cæteris omnibus nationibus, optabat firmiſſima pace adiungi. Cœpit ambire filiam Regis Iſabellam, quæ Britonis filio nuper apud Turonum deſponſa fuerat. Diſplicebat ea res mirum in modum Cloceſtrio Duci, præter bellum nihil expetenti. E Gallis pleriq; exiſtimabant, niſi firmata pace, nihil in hoc eſſe ſtatuendum. 1394.

Henricus Hungariæ Rex, frater germanus Caroli Cæſaris, denunciato ſibi bello à potentiſſimo Turcarum principe, Baſam, auxilium & copias è Gallia petebat. Miſſi circiter duo nobilium iuuenum millia. Ioannes, Philippi Burgundionũ Ducis filius, annorum vigintiduorũ, & huic veluti moderator adiunctus, princeps a Coucy, vir bello ſtrenuus, exercitui omni

præerant. Postquam è Gallijs in Austriam, & inde Budam Hungariæ ventum est, de hoste, quanquam denunciauerat certo se die confligturum, nihil quicquam audiri. Visum est igitur non inconsultum, si Danubio traiecto, illum in suis finibus vltrò lacessèrent. Vt in agrũ Turcicum deuentum est, (ad centum millia virorũ surgebant copiæ, magna ex parte equestres) expugnatis aliquot oppidis, Nicopolim, ijs locis potentissimam vrbem obsidione cingunt. Quæ cùm esset diuturnior, & otij plus quàm militari virtuti cõueniat, haberet, princeps à Coucy, gloriæ cupidus & illustrandi nominis magis atq; magis, in comitatum suum ascitis mille circitèr equitibus hastatis, & sagittarijs, in vicinos agros aliquantò longiùs procurrit, vt si quam hostium cohortem obuiam haberet, fortunã periclitaretur. Id quod sectabatur, euenit. Hostis enim de excursionibus certior factus, ad viginti millia contractis copijs, rectà illum petebat. quem vt animaduerterunt Galli, consilio pro tempore non malo, syluam vicinam ingressi, centum plus minùs equites, qui hostẽ in præsidio loci commorantem lacessèrent & prouocarent, emittunt. Illi, cùm ante oculos omnem exercitum hostilem esse putarent, irruunt. Galli in fugam ex composito abeunt, donec ad syluam, è qua repen-

repentè se proferebant insidiæ; ventum esset. Ad hunc modum Turcæ: tam ab his qui insequebantur, quàm ab alijs qui fugam simulauerant, intercepti, ad quindecim millia cæsi sunt. Reliqui fuga salutem quærebant. Basam Rex, quanquam videri tardior, explorata habebat tamen omnia, certior factus per Galeatium Mediolani principem, quicum magnam habebat coniunctionem, non vitæ quidem, sed amicitiæ. Conscripsit igitur ingentem numerum, missis à Soldano Babyloniæ, à Medis & Rege Persarum, auxilijs.

Quantum ad Mediolani Ducem attinet, res ita habet: Tres fuerunt aliquando fratres, Maufretus, Galeatius, & Barnabas. Horum patruus, Archiepiscopatum Mediolanensem tenebat. Ludouicus Bauarus, Cæsar electus, cùm approbationem Pontificis obtinere non posset, Romam contendit: vbi creato sua auctoritate alio Pontifice, & Cardinalibus aliquot, Imperio consecratus, militi, vt Vrbem deprædaretur, permisit. Aduersus Ludouicum Cæsar creatus erat Carolus Bohemiæ Rex, Henrici à Luzemburgo filius. quem quidem Carolum in Italiam Aquisgrani primùm accepta consecratione, venientem, hic de quo diximus, Archiepiscopus Mediolani, benignissimè excepit, & officiorum omni genere prosecutus est,

mutuo etiam data pecunia, pura, centum aureorum millibus. Cæsar, vt vicissim animi gratitudinem declararet, constituit eum Vicecomitem Mediolani, & post eum, nepotes, ita quidem vt ditionem illam omnem tenerent, donec Cæsar eam, resoluta quam mutuo cepisset pecunia, reuocaret ad se. Post Episcopi mortem, natu grandior nepos, Maufretus, voluntate Cæsaris, muneri successit. Hunc ex inuidia fratres aliquantò tenuiores, è medio tulerunt, cogitatione suscepta occupandæ ditionis, ac deinde suas vires per connubia firmandi. Postquam ille sublatus, æquabili inter se partitione facta, potenter regnabāt. Galeatio, quòd ætate præcederet, decem, alteri verò nouem obuenerunt oppida. Mediolanum, alternis annis, interim huic, interim illi cedebat. Pecuniam & vectigalia subinde suis imperabant iniquissimis rationibus. Quæ quisq; loca tenebat, ea diligenter munire, omnium, præterquam Italorū, quibus diffidebant, nationum præsidiis. Populum vi & asperitate retinebant in timore maximo, de his qui se opponerēt atrocia statuentes & indigna exempla. Principū amicitias magna vi pecuniæ redimebant. Galleatius Comiti Sabaudiæ, cuius sororem duxit, aureorum centum millia dependit. Filium habebat eiusdem nominis,

qui

qui Regis Ioannis filiam vxorem habuit, depensis francorum sexcentis millibus, pro liberatione soceri sui Anglis obligati. Iunioris Galeatij filia Valentina, Caroli sexti fratri germano, Ludouico, Duci Aurelianensi, nupsit: verùm non priùs, quàm ille futuro genero decies centena francorum millia numerasset: ingentem sanè vim auri: cuius aliqua parte, Comitatus Blesensis deinde emptus est, vt antè diximus. Inter fratres ipsos nō malè, quamdiu pariter vixerunt, conueniebat. Sed à morte patris, Galeatius patruum suum Barnabam, ex insidijs captum, necauit. Altera huius Barnabæ filia nupsit Stephano Bauariæ Duci, filiāq; sustulit Isabellam, Caroli Galliarum Regis vxorem, vt suprà meminimus. Ille verò non contentus indigna morte peremisse patruum, nepotes etiam & cognatos omnes persequi, ditiones & quicquid erat bonorum, ad se transferens. Populum crebris & subinde nouis affligebat exactionibus. Adhæc, impiè & irreuerenter sentiebat de potentia Dei. Quocunque modo ditesceret, potentiamque suam augeret, nihil pensi habebat. Locupletiores ordinis ecclesiastici spoliare suis prouentibus, vix modica parte, quæ tuendæ vitæ satis esset, relicta. Sic erat institutus, & hanc opinionem, inter cætera morum & disciplinæ præcepta,

veluti per manus, à suis accepit maioribus, qui & Pontificis auctoritatem planè despectam habebant, &, cùm dissensionem ecclesiæ viderent, mirabiliter hoc ipso recreari. Porrò, Ducis Aurelianensis vxor, multùm ambitiosa mulier, nihil æquè optabat atq; maritum ad regij sceptri fastigium, qualibet etiam arte, peruenire. Pleriq; adeò de illa suspicari, quòd ipsius veneficijs mens esset excantata Regi. Suspicionis origo fuit eiusmodi: Filium sustulit è coniuge formosum & æqualē regio. Dum vterq; puer in cubiculo ex more colluderent, abiectum est pomum veneno tinctum in eam partem vbi Regius erat: sed puer, quod mirum videri possit, abstinuit: & alter postea, cùm non obseruaretur, arreptum illud vbi degustasset, paulò pòst expirauit. Huius rei fama statim peruasit omnē regiam, & loca vicina. Suspicionem augebat & illud, quòd Rex in ægritudine decumbens, præter ipsam vix vllum admitteret. His rebus inflammatis hominum animis, ob periculi præsentiam, in quod incidisset, in arcem quandam Lutetiæ vicinam, è qua non erat integrum illi discedere, abducta est. Quin & interitu filij maritum grauiter offendit. Galeatius pater, vt de filia comperit, vehementer concitatus, ad Gallum misit legatos: qui cùm minùs patienter essent auditi, ille sub idē tem-

pus

pus quo in Hungariam expeditio fieri cœpit, bellum denunciauit in Galliam. Et, vt hosti faceret ægrè, cum Rege Basam fœdere inito, de suis rationibus & Galliæ statu illum edocebat.

Albertus, Hannoniæ princeps, Gulielmum filium, ad expeditionem Turcicam volentem proficiſci, non desinebat hortari vt Phrisonibus bellum inferret potiùs, qui præter omne ius perpetuam rebellionem pararent. Ille patris auctoritatem secutus, è Gallia vicinisque locis, item ex Anglia petitum militem, apud Hollandos conscenso mari, in Phrisiam adduxit. Egressos è nauibus, & ab aliquot diebus aggeres atque fossas, quibus ea regio munitur, superare conantes, indomita gens, de hostis aduentu certior antè facta, nauiter repulit: sed à multo conflictu, equitum & sagittariorum virtute, qui se per viam occultiorem propiùs insinuauerant, velut ex inopinato sunt oppressi, cæsis plurimis. Ob impendentem hyemem nihil tunc actum est præterea. Sed biennio deinde pòst, rursus ibi moto bello, sublimes illi & feroces spiritus agnoscere dominum, & submittere se illius quem semper aspernati fuerãt imperio, coacti sunt.

Anglo mirè solicitante nuptias, & plurimis vtrobique missis legatis, placuit vt intra Galliæ fines & Caletum medio quodam oppido, con-

1396. uenirent vterque Rex. Id adeò ratum fuit, & Gallus ipse filiam illi suam præsens præsenti per manum tradidit. Sed priusquam res eò deduceretur, Anglo necesse fuit, patruum suum Cloceſtrium & muneribus & magnificis placare promissis. Nam is pacem oderat, vt si quis alius, ingenio tam prauo & superbo, vt Rex magnopere timeret, per hunc aduersus se concitatum iri populum. itaque deliniendus erat.

Ab his nuptiis, Galliæ Rex illico cœpit cogitare de bello in agrum Mediolanensem inferendo: iamque pactus erat Anglus, in eam rem suppeditaturum se ad sex millia sagittariorum: sed interuenit aliud, quòd nouam deliberationem, & grauem quidem illam, requirebat.

Hungari, & his adiuncti Galli, magnis viribus obsidebant Nicopolim, bona spe concepta, breui se dominos vrbis futuros. Interim rex Basam, ex omni sua & vicinorum principum ditione coëgit circiter ducenta millia. Velitum præmisit octo ferè millia, reliquo exercitu in duas partes diuiso. Nostri, vt procurrentes illos animaduerterunt, statim ad arma, festinatione summa. Porrò, qui explorandi causa missi fuerant, cùm dicerent, modicam esse hostilem turbam, (nec enim præter velites quen-

quam

quam viderant) Galli repentè magnis animis ad pugnam properare. Sic instructis, Hungariæ Rex denunciauit ne quid præcipitanter agerent. vereri se vt exploratores omnem exercitum probè contemplati sint. Alios iam quosdam à se missos, locorum & regionis maximè gnaros, qui intra pauciſſimas horas, dubio procul certiora sint allaturi. Consilium hoc multis visum vtile, & sequendum per omnia. Sed Connestablius, quòd prior ipse sententiam rogatus non esset, bene sapienterque à Rege dictum, interpretari superbè & malignè, puta, Hungarum in animo statutum habere, vt Gallis in acie dispositis, ipse victoriæ laudem ferat. In hanc sententiam ineptè quidem ille plurima, non quòd ita sentiret, aut Hungari consilium iudicio reprehenderet, sed quòd inuideret principi à Coucy, nuper parua manu fusis hostilibus copiis atq; profligatis, auctiori facto. Se verò, quò non alius in Gallia, post Regem, amplior sit atque sublimior, vlli postpositum iri, nimirum id iniquissimè ferre: & suam potiùs auctoritatem in rebus gerendis primam esse debere, & præ cæteris valere plurimùm, existimabat. Itaque reiecta, quam cæteri probabant, Hungari sententia, minimè cunctandum ratus, non expectato sociorum auxilio, in hostem progressus est. quo facto reli-

quos etiam quantumuis inuitos adegit, nisi desertores haberi vellent, iungere copias. Vide quorsum inducant inuidia & animi superbia. Iam hostes imminebant, & Galli sic erant vndequaque intercepti, circumfusa illorum turba, vt quà dilaberentur, non viderent. Et quanquam erant pauciſſimi ad illum numerum, tamen in his anguſtijs poſiti, ſtrenuè ſupra modum ſeſe dare. ſed oppreſſi multitudine, calamitoſum exitum vt euitarent, fieri non potuit. Proceres ferè omnes, ob armorum ornatum atq; ſplendorem capti ſunt, Barbaris magnum ab eis emolumentum expectantibus. A victoria, Rex Baſam, cùm ex ipſius mandato, cæſorum numero perluſtrato, è ſuis multò plures interemptos audiſſet, ira vehementiori percitus, crudeliſſimæ morti ſubiecit circiter trecentos nobiles, tam Gallos quàm Hungaros atque Germanos. Hungariæ Rex, vt vidit Gallos non expectata occaſione temerè pugnare: multùm indoluit: cumque paſſim cerneret omnes in fugam præcipites, impulſus conſilio ſuorum fugit & ipſe, tranſmiſſo Danubio. Nimirum faſtus & æmulatio noſtrorum hominum, eo die victoriam hoſti peperit. Et hic quidem vt de ſtatu captiuorum intellexit, eorum puta quos præ cæteris eminere iudicabat, in vitam & capita illorum nihil ſtatuit, miſſo

in Galliam

in Galliam legato qui cladem acceptam denunciaret. Burgundiæ Dux Philippus, cui filij calamitas intimè dolebat, egit apud Gallum, vt tyranno Barbaro quædam eximia dona, quò clementiùs haberet captiuam turbam, mitterentur. Omnium impatientissimè tulit hoc infortunium princeps à Coucy: qui, cùm in rationibus bellicis mirè semper fortunatus fuisset, dolore concepto, quod à potentissimo rege summa rerum sibi cõmissa, propter inuidiam aduersarij, locum suum & munus tueri non potuisset, inque capitis periculum aliena temeritate adductus esset apud nationem Barbaram, cæsis magno numero socijs, vitam ibi finijt. Idem fuit exitus illius qui stultitia sua tot hominum millia, tot insignes viros, in perniciem & extremam miseriam pertraxit. Burgundus, 1397.
quò filium & captos cum eo socios, Barbarorum manibus eriperet, egit per Venetos mercatores, qui negotiorum caussa nullam non orbis partem accedunt, vt alijs quibusdam à Galliæ Rege missis legatis adiuncti, cum hoste transigerent. Pactio fuit eiusmodi, vt circiter vigintiquinque nobiles captiui pro libertate sua penderent ducenta aureorum millia. Fidem suam interponebant mercatores. Ab eo tempore Rex Basam familiariùs habere Gallos, & conuersus ad Burgundi filium: Satis, inquit,

animaduerto, magnis & illustribus te procreatum esse parentibus, & in summa nominis expectatione viuere: cumque sis in hoc ætatis flore, non parum dolere tibi possit quòd in istud malum incideris: ad cuius infamiam & tristem recordationem abolendam, fieri potest vt aliquando rursus in me arma capias. Et quãquam belli iure mihi sit integrum, obstringere te sociosq; tuos, vt hoc vobis non liceat: nunquam tamen id fecero: quin potiùs permitto, non tibi solùm, sed quibusuis aliis, vt domum reuersi, quolibet tempore, collectis viribus, denuò mihi bellum inferatis. Eo namq; sum animo & mentis robore, tum ea fortuna, vt aduersa arma non exhorrescam. Hoc adeò licebit, tuis meo nomine liberè dicas. Galli postea cum Venetis appulerunt Rhodum, & inde magnis itineribus, non sine molestia & difficultate, Venetiam. Hic illis commorantibus, Hungariæ Rex, misso legato nunciauit, gaudere se plurimùm, quòd hostium potestatẽ euasissent. Non dubiũ esse quin pro liberatione sui, maximam vim auri dependerint. Se modis omnibus optare, eam esse fortunam suam, & ita secum agi, vt nummorum præsidio liberaliter eos iuuare possit. Nunc autem ex aduerso prælio, nuper commisso, magnam se fecisse iacturam, annuis prouentibus non mediocriter attenuatis. Cæterùm

rerùm à Republica Veneta deberi ſibi quotannis aureorum ſeptem millia. Negotium ſe dediſſe iam ſuis, vt ex eiuſmodi cenſibus diuenditis collecta pecunia, in ipſorum adeò neceſſitatem & vſus impendatur. Galli beneficium hoc minimè recuſare: ſed Veneti diſſimulanter ad omnia & callidè reſpondere: nec deerant qui ſuſpicarentur, inter ipſos & Hungari legatos rem ex compoſito geri. Burgundus amicè imperata ſuis pecunia, non citra munificentiam Regis, fidem ſuam apud mercatores liberauit. Filius ipſius in Galliam reuerſus, de ſtatu rerum omnium quas comperiſſet toto expeditionis tempore, multa cum Rege colloqui. Tandem & illud adiecit, non ignotum eſſe Barbaris, quemadmodum inteſtina Pontificum diſſenſione, tranquillitas non ſolùm eccleſiæ, verùm & orbis Chriſtiani perturbaretur. nihilq; adeò mirum illis videri, quàm principes & reges hãc tantam vnius & alterius effrenem ambitionem atque licentiam perferre. Nemo credat quantùm hæ voces animũ Regis accenderint. Nam ſi quando aliàs, ab hoc tempore nimirum de firmanda concordia, magis atque magis cogitare cœpit.

Dux à Cloceſtre, quòd ingenio planè intractabili & ſeditioſo eſſet, indignari ſecum & fremere, plurimorum annorũ inducias eſſe cõſti-

tutas inter vtrumque Regem, ita per connubium inuicem coniunctos, vt de concilianda pace vix vllus dubitaret. Spargebat hinc inde voces multùm virulentas & seditionis plenas, ipsíque Regi periculosas quem deturbare loco, & imperio exuere iam cogitabat. Apud Londinenses plurimùm valebat auctoritate & gratia. his auctor fuit ne superioribus aliquot annis propter belli molem imperata tributa, nũc, omni tempestate sublata, & cum hoste inito fœdere, penderent. Iniquissimam esse omnem hanc exigendi rationem. Populus in cõcione rem proposuit: ac deinde post aliquod tempus, in cœtu omnium ordinum, Lenclastrius illis voluntatem Regis declarauit, ad eum modum vt sine turba tum discederent. Aliquantò pòst, Sancti Pauli Comes, à Galliæ Rege missus, nuper nuptæ Reginæ visendæ causa, in Angliam accessit. qui postquam de flagitiosis Cloceſtrij Ducis rationibus audisset, Regem inhortari, vt tempore medicinam adhiberet. Ab huius abitione, passim natus est rumor, velle Regem Gallis restituere Caletum, & super ea re transegisse cum eo quem Gallus misisset, legato. Non aliud vehementiùs potuisset omnem Angliam aduersus Regem concitasse. Et suadebat seditiosus ille populo, vt eo nomine cum rege expostularent, audituri quid sentiret.

sentiret. Rex ita respondit vt, qui sano essent iudicio, nec cupidè huc illuc impellerentur, facilè colligerent, ex odio & animi malitia rumorem hunc emanasse.

In his quotidianis delationibus, Rex, vt accepit patruum affectare sceptrum, & porrò cogitare quomodo ad fastigium illud cuaderet, non sine deploratione præsentis Reipublicæ status consuluit Lenclastrium & alios, quorum ingenijs non diffidebat, quid facto putarent opus. Illi, quantum licebat, consolari & erigere animum Regis, fidem & studium quisque suum polliciti. Sed eò turbarum ventum est, vt qui Regi essent familiares, cùm fastum & impotentiam hominis factiosi minimè tolerarent, (oderat enim Regios omnes) absque dissimulatione dicerent, se in eo rerum statu, quandoquidem aduersa omnia metuere cogerentur, diutiùs ibi subsistere non posse. Videre tum erat plerosque viros non ignobiles, qui relicta aula, se conferebant in sua prædia. Nec enim obscurè colligere licebat quorsum essent exitura omnia.

Breuiter, his vocibus & indiciis adeò claris incitatus Rex, post multam cogitationem, calliditate quadam adhibita, produxit patruum, vt oblectandi animi caussa simul ad venationem iret. Vt in planiciem & campos deuentum

est, ibi magister equitum, ex insidiis repentè prosiliẽs, captum illum in arcem Caleti, quàm potuit tacitè perduxit. Vbi cùm aliquandiu seruatus esset, dubius atq; suspensus quid de se statueretur, certo die, cùm in aulam sumẽdi prandij caussa ingrederetur, iussu Regis à quatuor robusto corpore viris, linteo, quod diuersi trahebant vt vehementiùs arctarent, strangulatus est, ac deinde vestibus detractis impositus lecto, quasi repentino morbo perculsus, loquendi simul & sentiendi vim omnem amisisset. Biduo pòst, vt constaret sibi cõmentum, de morte ipsius editum est: quam nec in Galliis, nec in Anglia quisquam magnopere lugebat. Sic enim erat illius meritum, vt propter animum turbis concitandis natum pessimè iam olim audiret. Sed Londinenses tamen immoderatè ferre illius ruinam, & patrui, maximè verò Lencastrius, qui sortem hanc germani sui fratris cupidè quidẽ vlturus erat: sed, quòd Regis potentiam nouo connubio videret auctam, nihil audebat. Ab illius nece, de magnis quibusdam viris, ex mãdato Regis, quòd in eodem fuissent crimine & conspiratione, Londini sumptum est supplicium. Beruici Comitem, iis locis præpotentem, idem manebat exitus: verùm, intercedentibus amicis, flexo & mitigato Regis animo, deportatus est in insulam. Cloceſtre

filium

filium reliquit minorem, ideoq; Rex omnem hæreditatem ad se recepit, & matrem huius, nouæ Reginæ adiunxit. Angliæ hic mos est, vt Reges nobilium pupillorum bona tueantur, donec vicesimumprimum annum attigerint. Rex, vt qui compertum haberet, quàm grauiter offendisset patruos, interempto fratre, cum suspecta iam haberet omnia, voluit duo sagittariorum millia, qui sui corporis rationem & curam haberent, perpetuò secum esse.

Lenclastri filius, multùm popularis, vulgo dictus Comes Derbius, in familiari & priuato colloquio cum magistro equitum, in Regem fortè quædam liberiùs effudit. Hic, vt gratum Regi faceret, in cœtu procerum patefecit omnem illam collocutionem, proditionis crimen alteri intentans, & simul monomachiam deferens. Ille vicissim proditionis notam regerere, & acceptare prouocationem pugnæ. Rex, cuius in aspectu dicebantur hæc omnia, mirabiliter incensus, derelicto consessu, recipere se intus. Bona pars incusare illum & reprehendere, quòd rē ad manus venire permitteret, (nam illi magnum sumptum ad se comparandum faciebant) existimantes, ipsius esse proprium munus, in eiusmodi simultatibus, quæ maximas deinde turbas queant excitare, suam auctoritatem interponere. Quas voces vt Rex

cognouit, iniecta quoque mentione, quàm indignè hoc ferrent omnes ob eximium amorem in eum qui prouocatus esset: vt populum placaret atque nobiles, qui magistrum equitum habebant exosum, ita constituit, vt Lenclastrij filius ad annos decem, alter verò exul esset perpetuò. Comiti discessuro, quatuor annos Rex ipse remisit sua sponte. Et hic quidem, patris consilium secutus, ad Gallię Regem se contulit, à quo perquam humaniter acceptus est. Londinenses magno luctu & lacrymis abitionem illius prosequi: & iam inde ab eo tempore spectabant ibi omnia ad cruentum & calamitosum exitum.

Postquam à Turcarum potestate redempti Galliæ nobiles in patriam reuertissent, oratione Burgundionum Ducis filij, inflammatus Rex, vt ecclesiæ concordia stabiliri posset, illico scripsit ad Cæsarem, vehementer orans vt hic suum munus faceret. Vtriusque voluntate dictus est dies quo conueniretur apud Remos. Excogitatæ sunt aliæ caussæ, propter quas eò veniisse dicerentur, vt ne vera comitiorum ratio, quam tacitam esse volebant aliquandiu, proderetur. Ibi post multam deliberationem placuit, Episcopum Cameracensem ad Bonifacium Romæ commorantem proficiscì, quem hortaretur vt confirmandæ in ecclesia tranquillitatis

quillitatis gratia, munus & honorem Pontificium abdicaret, non quidem perpetuò, sed tantisper donec Regum & doctorum hominum sententia, quid sequendum esset, statueretur. Placidè respondit ille, se Cardinalium in ea re consilium adhibiturum. Interim populus Romanus, qui legationis causſam accepit, videns id luculento suo damno futurum, hortari illum vt ne in vllius regis aut principis gratiam eò se demitteret, sed ius suum potiùs defenderet. Proxima igitur cum legato collocutione, se quidem, inquit, non grauatè, quod vterque Rex peterent, facturum, modò idem faceret aduersarius. Regum hic erat animus, vt depositа vel in hunc vel in illum inclinatione & studio, rem componerent. Legatus, Confluentiæ Cæsarem offendit: vbi cùm exposuisset mandata, in Gallias rediit. Theologi consulti, iudicabant idem esse denunciandum Benedicto quod Bonifacio. Missus igitur Auenionem à Rege idem Episcopus, quæ principum mens atque voluntas esset, Pontifici ostendit. Ille nihil horum se facturum respondit. Consultis tamen Cardinalibus, variabant sententiæ, ita vt quisque cupiditatem & affectum attulisset. Cumque certi nihil propter studiorum diuersitatem statuerent, discessum est. Legatus ad Pontificem conuersus, vrgere, quod referret,

certum aliquid. Ibi tum ille satis proteruè, se legitimè ad culmen illud sacrum & ritè promotum esse: quod minimè sit, quoad viuat, deserturus. nec vllum esse mortalem adeò sibi carum, in cuius gratiam iure suo velit cedere: tantum abesse vt potentiam & vim vllius hîc reformidet. Cùm aliud obtineri non posset, legatus inde profectus, in itinere diuertit ad magistrum equitum, vnà missum à Rege cum copijs: qui, simulatque Pontificis obstinatam mentem audiuit, Auenionem properans, omnem vicinum agrum depopulari, & militem huc illuc partiri, ne quis omnino commeatus adferretur. Vrbem obsidione cinxit, crudelia minitans oppidanis, ni deditionem facerent. Qui, cùm & in Pontifice nihil præsidij positum viderent, & Regis potentiam non ignorarent, inito cum quibusdam Gallis Cardinalibus consilio, patefecerunt vrbem. Benedictus obsideri se passus est in curia, suppetias ab Arragoniæ Rege cognato suo sperans: verùm is prudentior erat quàm qui tantum Regem offendere vellet in gratiam illius à quo, rebus afflictis, parum esset habiturus præsidij. E Cardinalibus plurimi hortari vt se gereret summissiùs: at ille, tumoris atque superbiæ plenus, in sententia perstabat immotus, ac velut securus, aut minimè sollicitus, quid tandem

tandem de se statueretur. Præterquam lignis, abundabat rebus omnibus. hæc cum necessitas, cùm à Cardinalibus diu multumque rogatus esset vt deditionem loci faceret, impulit. Magister equitum, accepta fide, ne priùs è curia discederet, quàm in quietem atque concordiam esset reducta ecclesia, illum obstrinxit: ac simul custodes adhibuit, & fideiussores, ne fucum faceret, exegit.

Gallus ad Cæsarem re omni perscripta, sollicitabat Anglum, vt ad tempus, donec apponeretur remedium, factionem à se reiiceret. Facilè quidem ille, vt socero gratificaretur, impelli potuisset: verùm, vt ad Ordines relatum est, non solùm nihil impetrauit, sed grauiùs etiam omnes in se concitauit, indignissimè ferentes, illum sic addictum esse Gallis, vt in ipsorum gratiam quiduis etiam facturus videretur. Se nimirum, etiamsi maximè voluissent deponere studium huius aut illius, tamen, quòd videant Gallum id tantopere affectare, minimè facturos quod peteret: neq; velle admittere vt ille religionis atque fidei formulas in Anglia præscribat.

Mortem ducis à Lenclastre, qui sub hoc tempus è viuorum contubernio migrauit, viri prudentissimi, Rex Anglus in Galliam satis hilariter, velut rem exoptatam, nunciabat. Filium

autem illius, qui tunc apud Gallum subsistebat, vt antè diximus, non modò non reuocare ad successionem, sed hæreditatem etiam omnem ad se transferre, iudicans eam ad se pertinere totum illud tempus, quo filio ex necessitate foris erat commorandum. Nec isto contentus, è bonis Lenclastrij quædam distribuere in homines, præterquam sibi, nulli caros. Comitem Derbium Gallus, ob generosam indolem & animum honestum, amore non vulgari complectebatur. Et, quoniam prædiues etiam erat, agitatum est de connubio inter ipsum & Berriæ Ducis filiam, viduam. Quod vbi resciuit Anglus, misso repentè legato, qui rem cœptam impediret, nunciauit socero suo & patruis, hunc, qui cum de nuptijs agerent, proditorem esse nefandum, & id genus plurima. Derbius, rerum omnium ignarus, vt quid egisset legatus, cognosceret, (nam suspicari malè, quòd se insalutato abiisset) repetere colloquium & mẽtionem matrimonij. Per hanc occasionem, cùm amici non putarent animum & cogitationem illius in dubio retinendam, quid de se narratum esset, intellexit. Ea res quantum illi attulerit molestiæ, & acris sollicitudinis, è suo quiuis ingenio facilè reputauerit. Hanc ipsius indignissimam sortem & accusationem, omnis penè Anglica nobilitas, & præter hanc,

populus

populus Londinensis, implacatissimè ferebant, quòd ex malitia profectam & odio, compertum haberent. Anglus tum rursus arma parabat in Hyberniam, adiunctis præter equites, decem sagittariorum millibus. Quo tempore duos magni nominis principes viros, qui militiam detrectabant, exulare iussit. Nam isti, quòd parum amicè & reuerenter essent quædam de Rege locuti, cùm id illi non ignotum esse per amicos accepissent, vim & occasionem periculi declinabant. Et, vt paucis dicam, plurimæ simul caussæ in vnum tempus concurrere, quæ populi odium in Regem mirificè exagitabant. Et hac ratione freti quidam impuri, cùm viderent illum & militiæ occupatum, & irreconciliabili plurimorum odio pressum, deprædari colonos, exuere fortunis huc illuc commeantes mercatores, ac per omnem agrum finitimum grassari, ita quidem vt non pauci, quò rapacitatem sceleratorum effugerent, Londinum & in loca munitiora se conferrent.

In extremum odium adducto Rege, Cantorbiensis Archiepiscopus ordinum voluntate missus est ad Comitem Derbium, vt iniecta spe certissima capessendi regni, in Angliam illum reuocaret. Legationem autem hanc adeò suscepit tacitè, & simul obibat, vt & abitio-

nem illius nemo resciſceret præter eos quorum intererat,&, cùm in Galliam veniſſet, nemo cauſſam aduentus diuinare poſſet. Derbius, rem omnem prudenter diſſimulans, à Galliæ Rege petita diſcedendi copia, quaſi in Britoniam eſſet oblectandi ſui gratia profecturus, poſt aliquot dierum itinera, in Angliam peruenit. Ob Archiepiſcopi præſentiam patebant omnes viæ. Cùm eſſent Londino iam viciniores, in vrbem miſſo nuncio, qui ſalua omnia diceret, oppidani ſumma repentè lætitia perfuſi, & magno numero portis egreſſi, venientem Comitem exceperunt, iam inde paciſcentes cum eo de regni adminiſtratione, Poſt hæc placuit, vt inſtructi ad certum aliquem numerum, Regem comprehenſum in cuſtodiam abducerent. Id adeò factum eſt. Regij nonnulli, de Londinenſium aduentu certiores facti, dominum illico mutarunt. Anglus, principiò quidem vim atque defenſionem parabat: ſed ex conſilio ſuorum, in arcem quandam profugit, Ad quam vbi Derbius peruenit, comitatus circiter ducentis, reliquo ſubſequente exercitu, cùm priuatim ſibi loquendum ad Regem diceret, intromiſſus eſt, & cum eo non plures duodecim. Vt Regem vidit, citra vllam honoris delationem, Onus, inquit, eſt vt hodie Londinum venias, flagi-

tante

tante populo. Quid agat miser? Destitutus præsidio suorum, & hostiles copias ante oculos conspiciens, vt populi furorem effugeret, dedere se in fidem Comitis. Dum abducerentur Londinum, hoc vnum impensè deprecari, ne per vrbem iter esset. Impetrauit, multùm indignante populo. Cùm eò ventum, in carcerem deductus est. Reginæ dati sunt noui quæstores, officiarij & pedissequæ, Gallis omnibus loco summotis, & in patriam redire iussis. Ad hunc modum peractis rebus, non multo pòst, Derbius ab exilio reuocauit Comitem à Beruico, & præter hunc alios quosdam relegatos. Deinde, ex captiui Regis familia quatuor potiores, quorum consiliis inductum se ille fateri quiduis perpetrasse, capito puniuit ad arcem, vt Anglus omnino videret. Reliqua nobilium turba, qui cum illo carcere continebantur, deplorare infortunia sua. quin & ipse Rex, cogitatione rerum omnium, copiosam lacrymarum vim profundens, & alta suspiria penitus educens, horam natalem execrari. Socij malorum suadebant vt ad mitigandum aduersarij animum, quò suam ipsorumque vitam seruaret, regni moderationem & potestatem omnem abdicaret. Petijt igitur Comitem ad colloquium. cui vt sententiam suã aperuit, ille, propter admissa scelera, duriter

incusare hominem,& simul generis turpitudinem obijcere. Nam bona pars illum è sacrificio
1399. natum affirmabant. Post aliquot inde dies,in conspectu omnis populi, ritibus ex more seruatis & adhibitis, regni gubernaculum ad Comitem transtulit, in ordinem se redigens ipse, & vitæ dubius,cùm annos viginti duos regnasset.Hic rerum Anglicarum status adeò commouit Gallum, vt in morbum relaberetur. Ad Reginam illius filiam mittebantur qui de ipsius fortuna cognoscerent. In agrum Burdegalensem quoque missi legati : quam ditionem omnem Galli,postquam Richardus, quem ijs locis mirè colebant,in hanc calamitatem incidisset, conabantur ad se reducere. Sed ciuitatum primores,vt ad populum retulerunt,nihil obtinere poterant. Extimescebant enim iamolim crebras illas exactiones. Angliæ nobiles aliquot minimè obscuri, aduersus nouum Regem Henricum tacitè conspirauerant. Inter hos erat quidam è familia Spensiorum. Detecta fraude,animaduersum est in omnes.

Galliæ Rex conscripto exercitu statuit impugnare Anglos. Euenit autem sub hoc tempus vt Richardus Londini vitam finiret. Scribit auctor,de mortis genere sibi non constare, nisi quòd Henricus nuper factus Rex, non semel à populo fuerit interpellatus, vt illum è

medio

medio tolleret: alioqui non defuturam discordiarum materiam atque bellorum. Sed addit, Regem, quòd fidem illi dedisset futuræ incolumitatis, non potuisse ad hoc impelli. Cùm igitur ad tristem exitum res inter Gallos & Anglos viderentur spectare, bonorum hominum intercessione transactum est de inducijs. Vt autem huc inclinarent Galli, in caussa fuit Regis aduersa valetudo. Benedictus Pontifex, quòd principum voluntati morem non gessisset, toties rogatus, honore & dignitate motus est.

Finis eorum quæ sunt apud Frossardum in toto opere memorabilia & cognitione digna.

ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS, IOANNI FRIDERICO, SAXONIÆ DVCI Electori; & Philippo, Landgratio Hessiæ: Ioannes Sleidanus S. D.

DE laudibus historiæ multi copiosè dixerunt & eleganter, illustrissimi Principes: ac & nulli dixissent, omnium tamen sensibus & oculis expositum est, quantam illa rebus humanis utilitatem adferat. Itaq; in re satis per se commendata & aperta, non utar pluribus verbis, deque his commentariis & eorum autore speciatim loquar. Is fuit nobili genere natus; & , ubi per annos aliquot cum Carolo Burgundiæ Duce fuisset, accessit ad Ludouicum Vndecimum, Galliæ Regem, qui illius opera summis in negotiis utebatur. Historiæ prima laus est, & vnica propè, si

pè si verè conscripta sit. Hanc ille in magno scriptorum numero, iure sibi potest arrogare. Quàm verò sit in scribendo rationem secutus, clarè testatur eius præfatio. Cùm Carolus octauus, Ludouici Regis filius, Galliæ præesset: in lucem hæc emisit: quo tempore, si quid alienum à vero dixisset, facilè poterat à multis, qui spectatores fuerant eorum de quibus agit, insimulari mendacij. Quin vera sit igitur eius narratio, dubitari non debet. Loquitur autem de rebus maximis: & quòd in præfatione scribit, se nouisse plerosque omneis Europæ Reges, atq; consilia cum ipsis communicasse: quotus quisq; est omniũ historicorum, qui hoc sibi vendicare possit? Nihil hîc est vanum, nihil vulgare, nihil ex auditione aliqua leui perceptum: sed spectator & actor ipse fuit: & adeò quidem diligenter omnia notauit, vt videatur nihil aliud spectasse, quàm vt posteris prodesset. Atq; ex eo facilè intelligi potest quanta fuerit in ipso naturæ felicitas, & ingenij bonitas, & rerum experientia, qui, cùm nullam eruditionis partem attigisset, tam aptè & concinnè, támque sententiosè scripsit. Vtriusque autem vitam, mores ac ingenium eleganter depingit, ita vt Ludouicus Rex videatur esse callidi, nec omnium innocentissimi: Carolus autem,

industrij & laborioſi, & acrib & aperti principis exemplar. Quod in vtroq; reprehendendum, aut etiam prædicãdum fuit, nihil in eo diſſimulat: longè diuerſus à pleriſque, noſtræ præſertim ætatis hominibus, qui dum in ſimilibus argumentis verſantur, nimia vel laudatione vel vituperatione modum omnem excedunt, ſic vt Panegyricum aut Verrinam aliquam actionem videantur velle conſcribere: quo nihil eſſe poteſt magis indecorum. Eſt enim intollerabilis in omni hiſtoria, falſitas & mendacium. Qui ſunt Regibus familiares, pulcherrimas habent ſcribendi occaſiones: verùm ex ijs plerique non adficiuntur ea cura, & rebus alijs, vnde maius emolumentum ſperant, intenti ſunt. Quò fit vt hoc munus ferè ſibi ſumant homines priuati, & à Principum negotijs alieniſſimi: quemadmodum & ſuperiori ætate, & noſtra memoria videmus in eo genere occupatos fuiſſe monachos: ita quidem vt à multis iam temporibus nulla propè ſit conſcripta hiſtoria, cui fides haberi poſſit. Omnes enim, vel depravatis iudicijs eorum qui ſcripſerunt, vel incertitudine narrationes facta ſunt mendoſiores. Antiquitus proprium hoc erat munus maximorum virorum, qui vel ipſi præfuerant rebus, vel cum ijs qui geſſerunt familiariter &

domeſticè

domesticè vixerant. Tales fuerunt olim Thucydides, Cæsar, Polybius, Salustius, Tacitus, & alij quidam. Oportet sanè historicum, non minùs quàm oratorem, esse virum bonum, qui falsi nihil admisceat, in quo nullum impotentis affectus appareat vestigium, qui cupiat lectorem fieri prudentiorem ex cognitione rerum quas tractat, & meliorem. Qui hoc præstare non potest, ad eam prouinciam se fateatur esse minùs idoneum. Pertinet enim ad bonos mores, ac Reipublicæ interest, ne quid omnino, nisi quod sit compertum & exploratum, in lucem exeat. Est igitur summa res difficultatis, hodie conscribere veram & puram narrationem. Nam quæ id omnium optimè efficere possunt, Regum & principum familiares, ij vel planè cessant, vel gratia & fauori plus quàm æquum est, tribuunt. Reliqui omnes, quin multa parum fideliter & integrè recitent, dubitari nõ debet. Nimiùm profectò longè recessimus à veterum fide ac diligentia. Et sicut illorum industriam in plerisque rebus omnibus assequi vel æquare non possumus: ita quoque in hac eruditionis parte cum ipsis collati, multis passibus à tergo relinquimur. Si quis autem est omnium, vel nostra, vel etiã paulò superioris ætatis, qui prudentia & veritate proximè ad illos accedat:

in meo quidem iudicio est hic autor, quòniam grauissimas deliberationes, habitas in ipsis regum penetralibus, antequam in actum venirent, ponit ob oculos, & diligenter explicat, quod vix pauci fecerunt, & pauciores multò praestare possunt, & vt possint, vix tamen audent, ne quid offendant. Quod cùm ita sit, & quia simulacrum quoddam in his libris continetur atque pictura horum temporum, in quibus versamur: idcirco putaui me facturum esse rem nec ingratam: nec inutilem Germaniæ, si scriptorem optimum, qui per Galliam & probitatis & fidei amplissimum à morte testimonium habet, latinitate donarem. Nullum enim extare puto scriptum, eius quidem generis, magis aptum nostris temporibus, & quod formandæ prudentiæ ciuili, ac ipsis qui Principum negotiis & Reipublicæ praesunt, plus conferre possit. Idem opinor omnes esse iudicaturos, qui diligenter totum euoluerint. Si post illum alij similem diligentiam praestitissent, eáque fide & religione seriem historiæ deduxissent ad hoc vsque tempus: an dubitet aliquis, nostra cum veteribus posse conferri? Excitauit Deus hit nostris temporibus maximas rerum mutationes: inter quas primum obtinet locum, causa religionis, quæ ab humili & contempta origine,

origine, paucis annis, contra omnium hominum expectationem, ita creuit, vt sine admiratione summa nemo possit ea de re cogitare. Et quemadmodum maxima nostræ ætatis vituperatione futurum sit, si non hæc omnia transmittantur ad posteritatem: ita quoque præclaram & insignem consequuturi sumus laudem, si rem omnem ab ipso statim primordio, diligenter & bona fide literarum monumentis inseremus. Quod vt fiat, in vobis, illustrissimi Principes, positum est in primis, qui in ista caussa nullum aut laborem, aut periculum hactenus defugistis: & palàm sæpenumero estis contestati, malle vos omnia vobis eripi, quàm huius patrocinium atque tutelam deponere. Ad vos igitur propriè pertinet, prouidere ac operam dare, vt quid priuatim & publicè vobiscum, & cum vestri ordinis hominibus à multis nunc annis actum sit, omnes intelligant, & iudicium inenarrabile potentiámque Dei reuerenter agnóscant. Oportuit enim eum qui verè & integrè tractare hæc omnia velit, ex vestris bibliothecis instructum prodire, & à vobis sociisque vestris materiam scribendi désumere. Sunt non pauci magna virtute & eruditione viri, qui hoc à vobis præstari cupiunt, & vt rem in primis

certum aliquid. Ibi tum ille satis proteruè, se legitimè ad culmen illud sacrum & ritè promotum esse: quod minimè sit, quoad viuat, deserturus. nec vllum esse mortalem adeò sibi carum, in cuius gratiam iure suo velit cedere: tantum abesse vt potentiam & vim vllius hîc reformidet. Cùm aliud obtineri non posset, legatus inde profectus, in itinere diuertit ad magistrum equitum, vnà missum à Rege cum copijs: qui, simulatque Pontificis obstinatam mentem audiuit, Auenionem properans, omnem vicinum agrum depopulari, & militem huc illuc partiri, ne quis omnino commeatus adferretur. Vrbem obsidione cinxit, crudelia minitans oppidanis, ni deditionem facerent. Qui, cùm & in Pontifice nihil præsidij positum viderent, & Regis potentiam non ignorarent, inito cum quibusdam Gallis Cardinalibus consilio, patefecerunt vrbem. Benedictus obsideri se passus est in curia, suppetias ab Arragoniæ Rege cognato suo sperans: verùm is prudentior erat quàm qui tantum Regem offendere vellet in gratiam illius à quo, rebus afflictis, parum esset habiturus præsidij. E Cardinalibus plurimi hortari vt se gereret summissiùs: at ille, tumoris atque superbiæ plenus, in sententia perstabat immotus, ac velut securus, aut minimè sollicitus, quid

tandem

tandem de se statueretur. Præterquam lignis, abundabat rebus omnibus. hæc eum necessitas, cùm à Cardinalibus diu multumque rogatus esset vt deditionem loci faceret, impulit. Magister equitum, accepta fide, ne priùs è curia discederet, quàm in quietem atque concordiam esset reducta ecclesia, illum obstrinxit: ac simul custodes adhibuit, & fideiussores, ne fucum faceret, exegit.

Gallus ad Cæsarem re omni perscripta, sollicitabat Anglum, vt ad tempus, donec apponeretur remedium, factionem à se reiiceret. Facilè quidem ille, vt socero gratificaretur, impelli potuisset: verùm, vt ad Ordines relatum est, non solùm nihil impetrauit, sed grauiùs etiam omnes in se concitauit, indignissimè ferentes, illum sic addictum esse Gallis, vt in ipsorum gratiam quiduis etiam facturus videretur. Se nimirum, etiamsi maximè voluissent deponere studium huius aut illius, tamen, quòd videant Gallum id tantopere affectare, minimè facturos quod peteret: neq; velle admittere vt ille religionis atque fidei formulas in Anglia præscribat.

Mortem ducis à Lænclastre, qui sub hoc tempus è viuorum contubernio migrauit, viri prudentissimi, Rex Anglus in Galliam satis hilariter, velut rem exoptatam, nunciabat. Filium

autem illius, qui tunc apud Gallum subsistebat, vt antè diximus, non modò non reuocare ad successionem, sed hæreditatem etiam omnem ad se transferre, iudicans eam ad se pertinere totum illud tempus, quo filio ex necessitate foris erat commorandum. Nec isto contentus, è bonis Lenclastrij quædam distribuere in homines, præterquam sibi, nulli caros. Comitem Derbium Gallus, ob generosam indolem & animum honestum, amore non vulgari complectebatur. Et, quoniam prædiues etiam erat, agitatum est de connubio inter ipsum & Berriæ Ducis filiam, viduam. Quod vbi resciuit Anglus, misso repentè legato, qui rem cœptam impediret, nunciauit socero suo & patruis, hunc, qui cum de nuptijs agerent, proditorem esse nefandum, & id genus plurima. Derbius, rerum omnium ignarus, vt quid egisset legatus, cognosceret, (nam suspicari malè, quòd se insalutato abiisset) repetere colloquium & mẽtionem matrimonij. Per hanc occasionem, cùm amici non putarent animum & cogitationem illius in dubio retinendam, quid de se narratum esset, intellexit. Ea res quantum illi attulerit molestiæ, & acris sollicitudinis, è suo quiuis ingenio facilè reputauerit. Hanc ipsius indignissimam sortem & accusationem, omnis penè Anglica nobilitas, & præter hanc,

populus

populus Londinenſis, implacatiſſimè ferebant, quòd ex malitia profectam & odio, compertum haberent. Anglus tum rurſus arma parabat in Hyberniam, adiunctis præter equites, decem ſagittariorum millibus. Quo tempore duos magni nominis principes viros, qui militiam detrectabant, exulare iuſſit. Nam iſti, quòd parum amicè & reuerenter eſſent quædam de Rege locuti, cùm id illi non ignotum eſſe per amicos accepiſſent, vim & occaſionem periculi declinabant. Et, vt paucis dicam, plurimæ ſimul cauſſæ in vnum tempus concurrere, quæ populi odium in Regem mirificè exagitabant. Et hac ratione freti quidam impuri, cùm viderent illum & militiæ occupatum, & irreconciliabili plurimorum odio preſſum, deprædari colonos, exuere fortunis huc illuc commeantes mercatores, ac per omnem agrum finitimum graſſari, ita quidem vt non pauci, quò rapacitatem ſceleratorum effugerent, Londinum & in loca munitiora ſe conferrent.

In extremum odium adducto Rege, Cantorbienſis Archiepiſcopus ordinum voluntate miſſus eſt ad Comitem Derbium, vt iniecta ſpe certiſſima capeſſendi regni, in Angliam illum reuocaret. Legationem autem hanc adeò ſuſcepit tacitè, & ſimul obibat, vt & abitio-

nem illius nemo resciscceret præter eos quorum intererat, &, cùm in Galliam veniſſet, nemo cauſſam aduentus diuinare poſſet. Derbius, rem omnem prudenter diſſimulans, à Galliæ Rege petita diſcedendi copia, quaſi in Britoniam eſſet oblectandi ſui gratia profecturus, poſt aliquot dierum itinera, in Angliam peruenit. Ob Archiepiſcopi præſentiam patebant omnes viæ. Cùm eſſent Londino iam viciniores, in vrbem miſſo nuncio, qui ſalua omnia diceret, oppidani ſumma repentè lætitia perfuſi, & magno numero portis egreſſi, venientem Comitem exceperunt, iam inde paciſcentes cum eo de regni adminiſtratione. Poſt hæc placuit, vt inſtructi ad certum aliquem numerum, Regem comprehenſum in cuſtodiam abducerent. Id adeò factum eſt. Regij nonnulli, de Londinenſium aduentu certiores facti, dominum illico mutarunt. Anglus, principiò quidem vim atque defenſionem parabat: ſed ex conſilio ſuorum, in arcem quandam profugit. Ad quam vbi Derbius peruenit, comitatus circiter ducentis, reliquo ſubſequente exercitu, cùm priuatim ſibi loquendum ad Regem diceret, intromiſſus eſt, & cum eo non plures duodecim. Vt Regem vidit, citra vllam honoris delationem, Orus, inquit, eſt vt hodie Londinum venias, flagi-

tium

tante populo. Quid agat miſer? Deſtitutus præſidio ſuorum, & hoſtiles copias ante oculos conſpiciens, vt populi furorem effugeret, dedere ſe in fidem Comitis. Dum abduceretur Londinum, hoc vnum impensè deprecari, ne per vrbem iter eſſet. Impetrauit, multùm indignante populo. Cùm eò ventum, in carcerem deductus eſt. Reginæ dati ſunt noui quæſtores, officiarij & pediſſequæ, Gallis omnibus loco ſummotis, & in patriam redire iuſſis. Ad hunc modum peractis rebus, non multo pòſt, Derbius ab exilio reuocauit Comitem à Beruico, & præter hunc alios quoſdam relegatos. Deinde, ex captiui Regis familia quatuor potiores, quorum conſiliis inductum ſe ille fateri quiduis perpetraſſe, capito puniuit ad arcem, vt Anglus omnino videret, Reliqua nobilium turba, qui cum illo carcere continebantur, deplorare infortunia ſua. quin & ipſe Rex, cogitatione rerum omnium, copioſam lacrymarum vim profundens, & alta ſuſpiria penitus educens, horam natalem execrari. Socij malorum ſuadebant vt ad roborandum aduerſarij animum, quò ſuam ipſorumque vitam ſeruaret, regni moderationem & poteſtatem omnem abdicaret. Petiit igitur Comitem ad colloquium. cui vt ſententiam ſuã aperuit, ille, propter admiſſa ſcelera, durius

incusare hominem,& simul generis turpitudinem obijcere. Nam bona pars illum è sacrificonatum affirmabant. Post aliquot inde dies,in conspectu omnis populi, ritibus ex more seruatis & adhibitis, regni gubernaculum ad Comitem transtulit, in ordinem se redigens ipse, & vitæ dubius,cùm annos viginti duos regnasset.Hic rerum Anglicarum status adeò commouit Gallum, vt in morbum relaberetur. Ad Reginam illius filiam mittebantur qui de ipsius fortuna cognoscerent. In agrum Burdegalensem quoque missi legati : quam ditionem omnem Galli,postquam Richardus, quem ijs locis mirè colebant,in hanc calamitatem incidisset, conabantur ad se reducere. Sed ciuitatum primores,vt ad populum retulerunt,nihil obtinere poterant. Extimescebant enim iamolim crebras illas exactiones. Angliæ nobiles aliquot minimè obscuri, aduersus nouum Regem Henricum tacitè conspirauerant. Inter hos erat quidam è familia Spensiorum. Detecta fraude,animaduersum est in omnes. 1399.

Galliæ Rex conscripto exercitu statuit impugnare Anglos. Euenit autem sub hoc tempus vt Richardus Londini vitam finiret. Scribit auctor,de mortis genere sibi non constare, nisi quòd Henricus nuper factus Rex, non semel à populo fuerit interpellatus, vt illum è medio

medio tolleret: alioqui non defuturam discordiarum materiam atque bellorum. Sed addit, Regem, quòd fidem illi dedisset futuræ incolumitatis, non potuisse ad hoc impelli. Cùm igitur ad tristem exitum res inter Gallos & Anglos viderentur spectare, bonorum hominum intercessione transactum est de inducijs. Vt autem huc inclinarent Galli, in caussa fuit Regis aduersa valetudo. Benedictus Pontifex, quòd principum voluntati morem non gessisset, toties rogatus, honore & dignitate motus est.

Finis eorum quæ sunt apud Frossardum in toto opere memorabilia & cognitione digna.

ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS, IOANNI FRIDERICO, SAXONIÆ DVCI Electori; & Philippo, Landgratio Hessiæ: Ioannes Sleidanus S. D.

DE laudibus historiæ multi copiosè dixerunt & eleganter, illustrissimi Principes: ac & nulli dixissent, omnium tamen sensibus & oculis expositum est, quantam illa rebus humanis utilitatem adferat. Itaq; in re satis per se commendata & aperta, non utar pluribus verbis, deque his commentariis & eorum autore speciatim loquar. Is fuit nobili genere natus; & , ubi per annos aliquot cum Carolo Burgundiæ Duce fuisset, accessit ad Ludouicum undecimum, Galliæ Regem, qui illius opera summis in negotiis utebatur. Historiæ prima laus est, & unica propè, si

pè si verè conscripta sit. Hanc ille in magno scriptorum numero, iure sibi potest arrogare. Quàm verò sit in scribendo rationem secutus, clarè testatur eius præfatio. Cùm Carolus octauus, Ludouici Regis filius, Galliæ præesset: in lucem hæc emisit: quo tempore, si quid alienum à vero dixisset, facilè poterat à multis, qui spectatores fuerant eorum de quibus agit, insimulari mendacij. Quin vera sit igitur eius narratio, dubitari non debet. Loquitur autem de rebus maximis: & quòd in præfatione scribit, se nouisse plerosque omneis Europæ Reges, atq; consilia cum ipsis communicasse: quotus quisq; est omniũ historicorum, qui hoc sibi vendicare possit? Nihil hîc est vanum, nihil vulgare, nihil ex auditione aliqua leui perceptum: sed spectator & actor ipse fuit: & adeò quidem diligenter omnia notauit, vt videatur nihil aliud spectasse, quàm vt posteris prodesset. Atq; ex eo facilè intelligi potest quanta fuerit in ipso naturæ felicitas, & ingenij bonitas, & rerum experientia, qui; cùm nullam eruditionis partem attigisset, tam aptè & concinnè, támque sententiosè scripsit. Virtusque autem vitam, mores ac ingenium eleganter depingit; ita vt Ludouicus Rex videatur esse callidi; nec omnium innocentissimi: Carolus autem;

industrij & laborioſi, & acris & aperti principis exemplar. Quod in vtroq; reprehendendum, aut etiam prædicãdum fuit, nihil in eo diſſimulat: longè diuerſus à pleriſque, noſtræ præſertim ætatis hominibus, qui dum in ſimilibus argumentis verſantur, nimia vel laudatione vel vituperatione modum omnem excedunt, ſic vt Panegyricum aut Verrinam aliquam actionem videantur velle conſcribere: quo nihil eſſe poteſt magis indecorum. Eſt enim intollerabilis in omni hiſtoria falſitas & mendacium. Qui ſunt Regibus familiares, pulcherrimas habent ſcribendi occaſiones: verùm ex ijs plerique non adficiuntur ea cura, & rebus alijs, vnde maius emolumentum ſperant, intenti ſunt. Quò fit vt hoc munus ferè ſibi ſumant homines priuati, & à Principum negotijs alieniſſimi: quemadmodum & ſuperiori ætate, & noſtra memoria videmus in eo genere occupatos fuiſſe monachos: ita quidem vt à multis iam temporibus nulla propè ſit conſcripta hiſtoria, cui fides haberi poſſit. Omnes enim, vel depraua-tis iudicijs eorum qui ſcripſerunt, vel incertitudine narrationes facta ſunt mendoſiores. Antiquitus proprium hoc erat munus maximorum virorum, qui vel ipſi præfuerant rebus, vel cum ijs qui geſſerunt familiariter & domeſticè

domesticè vixerant. Tales fuerunt olim Thucydides, Cæsar, Polybius, Salustius, Tacitus, & alij quidam. Oportet sanè historicum, non minùs quàm oratorem, esse virum bonum, qui falsi nihil admisceat, in quo nullum impotentis affectus appareat vestigium, qui cupiat lectorem fieri prudentiorem ex cognitione rerum quas tractat, & meliorem. Qui hoc præstare non potest, ad eam prouinciam se fateatur esse minùs idoneum. Pertinet enim ad bonos mores, ac Reipublicæ interest, ne quid omnino, nisi quod sit compertum & exploratum, in lucem exeat. Est igitur summa res difficultatis, hodie conscribere veram & puram narrationem. Nam quid omnium optimè efficere possunt, Regum & principum familiares, ij vel planè cessant, vel gratia & fauori plus quàm æquum est, tribuunt. Reliqui omnes, quin multa parum fideliter & integrè recitent, dubitari nõ debet. Nimiùm profectò longè recessimus à veterum fide ac diligentia. Et sicut illorum industriam in plerisque rebus omnibus assequi vel æquare non possumus: ita quoque in hac eruditionis parte cum ipsis collati, multis passibus à tergo relinquimur. Si quis autem est omnium, vel nostra, vel etiã paulò superioris ætatis, qui prudentia & veritate proximè ad illos accedat:

is meo quidem iudicio est hic autor, quòniam grauissimas deliberationes, habitas in ipsis regum penetralibus, antequam in actum venirent, ponit ob oculos, & diligenter explicat. quod vix pauci fecerunt, & pauciores multò præstare possunt, & vt possint, vix tamen audent, ne quid offendant. Quod cùm ita sit, & quia simulacrum quoddam in his libris continetur atque pictura horum temporum, in quibus versamur: idcirco putaui me facturum esse rem nec ingratam: nec inutilem Germaniæ, si scriptorem optimum, qui per Galliam & probitatis & fidei amplissimum à morte testimonium habet, latinitate donarem. Nullum enim extare puto scriptum, eius quidem generis, magis aptum nostris temporibus, & quod formandæ prudentiæ ciuili, ac ipsis qui Principum negotiis & Reipublicæ præsunt, plus conferre possit. Idem opinor omneis esse iudicaturos, qui diligenter totum euoluerint. Si post illum alij similem diligentiam præstitissent, eáque fide & religione seriem historiæ deduxissent ad hoc vsque tempus: an dubitet aliquis, nostra cum veteribus posse conferri? Excitauit Deus hit nostris temporibus maximas rerum mutationes: inter quas primum obtinet locum, causa religionis, quæ ab humili & contempta origine,

origine, paucis annis, contra omnium hominum expectationem, ita creuit, vt sine admiratione summa nemo possit ea de re cogitare. Et quemadmodum maxima nostræ ætatis vituperatione futurum sit, si non hæc omnia transmittantur ad posteritatem: ita quoque præclaram & insignem consequuturi sumus laudem, si rem omnem ab ipso statim primordio, diligenter & bona fide literarum monumentis inseremus. Quod vt fiat, in vobis, illustrissimi Principes, positum est in primis, qui in ista caussa nullum aut laborem, aut periculum hactenus defugistis: & palàm sæpenumero estis contestati, malle vos omnia vobis eripi, quàm huius patrocinium atque tutelam deponere. Ad vos igitur propriè pertinet, prouidere ac operam dare, vt quid priuatim & publicè vobiscum, & cum vestri ordinis hominibus à multis nunc annis actum sit, omnes intelligant, & iudicium inenarrabile potentiámque Dei reuerenter agnóscant. Oportuit enim eum qui verè & integrè tractare hæc omnia velit, ex vestris bibliothecis instructum prodire, & à vobis sociisque vestris materiam scribendi desumere. Sunt non pauci magna virtute & eruditione viri, qui hoc à vobis præstari cupiunt, & vt rem in primis

Vtilem, & posteritati quoque necessariam, valdè requirunt. In his etiam est Iacobus Sturmius, patricius Argentinensis, qui & vobis, ob excellentem ac sæpe cognitam virtutem, est pergratus, & toti Germaniæ, propter singularem ipsius ac perpetuam fidem studiumq; erga Rempubl. debet esse longè cariss imus. Quoniam verò ipsi, pro vestra prudentia, huius rei dignitatem satis intelligitis: multi in bonam spem veniunt, non defuturos esse vos publicis vtilitatibus. Atque vt magis appareat quàm sit res illustris, verè & prudenter scripta historia: volui hos commentarios, Gallicè perscriptos ab autore, Latino sermone nostris hominibus exhibere, & sub splendore vestri nominis emittere: qui, quoniam insignem obtinetis locum inter alios Germaniæ Principes, ac plurimis pro vestro munere estis occupati negotijs: non pauca, meo quidem iudicio, reperietis in hoc libro, vestris actionibus & institutis accommodata. Deum precor vt ad nominis sui gloriam, & ad patriæ salutem, consilia vestra gubernet. Argentinæ, Calendis Ianuarijs anni 1545.

AVTO-

AVTORIS, AD ARCHIEPISCOPVM VRBIS VIENNÆ IN GALLIIS,

Præfatio.

SÆPENVMERO *à me petiisti, vt ea quæ mihi comperta essent de rebus gestis Ludouici vndecimi, Principis nostri, vir clarissime, tibi conscriberem. Feci quod mandasti, & quàm verissimè omnia, quæ mihi quidem in mentem venerunt, notaui. Quæ fuerit eius vita iuuenilibus annis, præter ea quæ mihi aliquando recitauit ipse, nihil habeo. Sed posteaquam cœpi cum eo domesticè viuere: ex meis collegis nemo crebriùs & familia-*

familiarius apud eũ versatus est. Nam aut ex intimis cubicularijs eram, aut alioquin occupabar in maximis illius grauissimisq; negotijs. Habebat suas virtutes, habebat quoq; vitia, sicut omnes alij principes, quos ego quidẽ nouerim: (sunt enim homines, ac in solum Deum cadit omnis perfectio) veruntamen, quando quod prauum est atq; vitiosum, fugiũt, & virtuti sese tradũt, magnam sane merentur laudem: eò quòd indulgentius & molliùs educantur, & naturâ ferè propendent ad vehementiores affectus, quos nemo coërcet, & postquam excreuerint, illorum, & auribus, & ingenio moribúsque plerique seruiunt. Quantum ad me pertinet, verè omnia perscribam. nec enim mentiri libet. Atq; ita fortasse fiet, vt aliqua loca incidant quæ parum ad ipsius laudem spectare videbuntur. Sed spero futurum, vt qui lecturi sunt, cogitent secum atque perpendant eas, de quibus antea diximus, rationes, ac veniam

mihi

mihi dent, vbi rem ipsam spectasse, & veritati omnia, nihil autem affectui priuato me tribuisse animaduertent. Hoc tamen ausim de illo confirmare, nullum me nouisse principem in quo minus esset vitiorum, si quis generatim omnia complectatur & inspiciat. Vidi enim plerosque Reges ac Principes, non Galliæ tantùm, sed & Britanniæ, & Flandriæ, & Germaniæ, & Angliæ, & Hispaniæ, & Lusitaniæ, & Italiæ: nec solùm vidi, verùm etiã res maximas egi, & cõsilia cum ipsis communicaui: sic vt ex meis æqualibus & coætanis, nemo per Gallias ampliorem habuerit eorum notitiam. Alios autem non vidi quidem ipse: verùm, quo essent ingenio præditi, ex legatis quos mittebant, & literis, non obscurè cognoui. Sed dum illius virtutes prædico, nolim aliorum Principum honori & gloriæ per me quicquam esse detractum: & quicquid à me notari potuit, simpliciter & bona fide tibi mitto. Nam arbitror ideo

te requirere hãc meam operam vt, quicquid Gallicè scripsi, tu inter alia referas in opus Latinum, quod constituisti aliquando perficere. Quod cùm exibit, & Ludouici Regis maxima virtus, & ingenij tui præstantia fiet illustrior. Quicquid à me peccatum, aut minùs bene perscriptum, aut etiam prætermissum erit: facilè suppleuerit & Bocagius, & quidã alij, qui pleniùs omnia sunt, & ornatiùs multò dicturi. Si quis autẽ ad intimam illius & familiarissimã consuetudinem, ac meritorum magnitudinem respiciat: nemo est omnium qui maiorem quàm Bocagius & ego, cognitionem habeat. Et quum ipsius morte magnum mihi sit inflictum vulnus: non debet cuiquam videri mirum, si, quantis ab eo, dum viueret, affectus fuerim beneficiis, memoria optimè complectar. Usitatum est enim vt ab interitu summorum Principum, magnæ fiant rerum conuersiones: dum alii crescunt & locupletantur, alii verò detrimen-

detrimentum accipiunt, & in varias acerbitates incidunt. Honores enim & opes, & quicquid est eius generis, ab alieno pendent arbitratu. Atq; vt certò perscribã de tempore quo familiariter cum eo vixi: opus est vt eius quoq; temporis memoriam, quo nondum in ipsius familia eram, priùs percurram & repetam. Ordine deinde totã narrationem, ad extremum vsque vitæ illius diem, persequar.

PHILIPPI COMINÆI COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.

1464. QVVM in ea essem ætate, quę laborem equestrē ferre poterat: dedi me in familiam Caroli, cui pater erat Philippus Burgūdiæ dux, ad quem quum esset Insulis oppido Flandriæ, paucis pòst diebus venerunt Ludouici vndecimi, Galliarum Regis, legati; Cancellarius, Moruillerius, & Archiepiscopus Narbonensis, qui conuocato concilio, palàm suæ legationis causam ad hunc modum exponebant: Carolum, quo tempore fuit in Hollandia, cepisse nauigium quoddam Gallicum, armatum, & in eo Rubemprium, virum nobilem, ac in carcerem coniecisse illum, oblata criminatione, quasi eò sui capiendi causa venisset. Hoc autem eò esse grauius & indignius, quòd

quòd eius rei fama passim, maximè verò Brugis, oppido Flandriæ celeberrimo, esset disseminata iussu Caroli, per Oliuarium quendam Marchianum, virum equestris ordinis. Regem igitur, quoniam hoc ipso magnam sibi factam esse putet iniuriam, postulare, Oliuarium ad se mitti Lutetiam, exempli statuendi causa. Philippus ad ea respondit, Oliuarium ducere originem è superiori Burgundia, & esse vnum è suis præfectis domesticis, nec vlla ratione subiectum esse Regis imperio: se tamen diligenter inquisiturum, &, si quod deprehendat eius factum, quo regis honor violatus esse videri possit, seuerè & grauiter animaduersurum. Rubemprium verò, non leuibus de causis fuisse captum, præcipuè verò, quòd apud Hagam, Hollandię vicum, vbi tum Carolus filius erat, hæsisset instructus & armatus. Se quidem nullo vnquam tempore suspicionibus indulsisse: quòd si filius in suspicionem propendeat, in eo ipsum repræsentare naturam & ingeniũ matris, quæ fuerit admodùm suspiciosa mulier: verumtamen idem se fuisse facturum in eo rerum statu, quod filius fecit: habiturum se nihilominùs quæstionem, &, si quo tempore constet de illius innocentia, fore, vt liber factus, ad Regem, sicuti petijssent, remittatur. Cancellarius deinde multùm acerbè in-

uectus in Franciſcum, Britanniæ minoris Ducem, affirmabat Carolum iniiſſe fœdus cum illo, quo tempore Turoni apud Regem fuiſſet, eamq; rem atrociter admodum & odioſè exaggerabat. Carolus, qui indigniſſimè ferret iniuriam hanc fieri ſocio & amico, voluit non ſemel ad ea reſpondere. Sed Cancellarius dicentem interpellans: Non, inquit, huc veni, vt tecum agerem, eſt mihi ſolùm res cum tuo parente. Tum ille patrem obteſtatur, vt ſibi dicendi poteſtatem faceret. Ad hæc ille: Equidem pro te ſum loquutus, ait, ita vt patrem decet: ſed tamẽ ſi cupis omnino reſpondere præcogites hodie, quid tibi dicendum ſit, & quæ putabis ad rem pertinere, cras in medium adferas. Superiori ſermoni Cancellarius hoc etiam addebat, nõ videre ſe, quamobrem fœdus illud inierit Carolus, niſi quòd Rex annuam penſionem, & Normanniæ præfecturam ipſi ademiſſet. Poſtridiè coacto iterum concilio, Carolus, genu ad terram inflexo & ſubiecto puluino, conuerſus ad parentem, initio demõſtrat, iuſtis de cauſis captum fuiſſe Rubenprium: deinde, non diffitetur, habere ſe quidem fœdus cum Britanno: ſed id non ſpectare ad detrimentum aliquod Regis, immò futurum ei vtile temporibus neceſſariis. Penſionis autem annuæ, quam ſibi rex ademiſſet, ſe nihil

vnquam

vnquam accepisse, præter trientem, ad nouem circiter Francorum millia, non se petiisse illam à Rege, nec etiam Normanniæ ambiisse præfecturam: facilè carere se posse omnium aliorum munificentia, quamdiu patrem habeat amicum & beneuolum. Erat haud dubiè dicturus multò asperiùs, nisi patrem, ad quem sermonẽ instituerat, fuisset reueritus, qui prudenter admodùm & demissè tandem petebat, ne Rex, vel de se, vel de filio suo temerè aliquid siniſtri crederet. Posteaquàm deinde vinum fuit allatum, quod apud Principes fieri solet, legati parant abitionẽ, in eoque temporis puncto, Carolus, qui aliquantò remotior erat à parente, conuersus ad Archiepiscopum Narbonensem: Commendabis, inquit, me Regi, meisque verbis dices, quemadmodum per Cancellarium suum pro dignitate me tractarit, sed antequàm exierit annus, pœnitebit eum huius facti. Ille in Galliam reuersus, exponit mandata. Rex eo sermone multùm offensus, graue suscepit odium. Ad hanc offensionem illud etiam accessit, quòd Rex non ita pridem receperat Ambianum, Abbeuillam, Sanctoquintinum, & alia quædam oppida Picardiæ, ad Somiam flumen, quæ Carolus septimus Galliæ Rex, pater Ludouici dederat Philippo duci, quo tempore cum eo transegit apud Attrebates, &

dederat tum ipsi, tum ipsius liberis masculis, ea conditione, vt cuiuis Galliæ Regi liberum esset ea redimere quadringentis aureorum millibus. Quum autem Philippus esset ætate grauis, procurabant eius negotia nobiles è familia Croiorum, qui per Hannoniam & Flandriam magnas retinent possessiones. In eos culpam transferebat Carolus, quòd pater, accepta pecunia, reddidisset eas vrbes, & quoniam in finibus positæ sunt, impatientissimè ferebat. Paulò pòst abitionem legatorum, venit Insulas Ioannes Borboniæ Dux, vt Philippum auunculum, officij & honoris gratia, sicuti præ se ferebat, inuiseret. Inter omnes enim principum tribus valdè amabat Burgundicam, & erat è sorore nepos Philippi, quæ quum esset vidua, commorabatur vnà cum liberis apud fratrem. Sed vera, cur aduenisset, hæc erat causa, vt eum incitaret, quò in sua ditione conscriberet exercitum, affirmans futurum, vt reliqui Galliæ Principes idem facerent, eo videlicet consilio, vt Regem, qui multa insolenter ageret & iniquè, cogant saniorem Reipub. formam instituere: & quia bellum hoc videbatur susci pi pro Republica totius Galliæ, vocatum deinde cognomento fuit, Bonum publicum. Philippus non difficulter quidem assensit, verùm non detegebatur ei to-

ri tota res, neq; fore putabat, vt ad arma veniretur. Collectæ sunt igitur copiæ, & Sanctopauli Comes, Cameracum, vbi tum Philippus erat vnà cum filio, accessit: cumq; venisset etiam eò Burgundiæ Marescallus Nouocastrensis, Carolus indicto concilio pronunciat familiam illam Croiorum, sibi suoq; patri summè aduersariam & inimicam esse. Et quanquàm ex ijs quidam habebat vxorem Sanctopauli Comitis filiam, proscripti tamen fuerunt omnes ab eo, & facultatibus exuti, & è vestigio, nulla interiecta mora, salutem sibi fuga petere cogebantur. Ægrè quidem ista tulit Philippus, è cuius etiam cubicularijs quidam, eò quòd esset eius familiæ, quum salutandi Principis non haberet spatium, subitò & tacitè profugit, sed grauior ætas in causa fuit, vt patientiùs omnia ferret. Carolus deinde placato patre, copias, quibus Comitem Sanctopauli præfecerat, educit, nempe circiter trecentos equites cataphractos, & quatuor sagittariorũ millia, & inter hos, complures Artheſię & Hannoniæ & Flandrię viros nobiles: deinde, Raueſtenus, frater ducis Cliuensis, habebat nõ pauciores copias, & inter alios belli duces, erant duo quidã, summæ apud Carolũ authoritatis, Haubordinus & Contæus, quorũ ille versatus erat in ijs bellis, quæ Angli confœderati Burgun-

dionibus gesserũt in Galliis, quo tẽpore Henricus quintus rerum apud Gallos potiebatur: alter eiusdem erat cum Haubordino ætatis. Totus exercitus erat circiter mille quadringẽtorum equitum cataphractorum, sed quoniam insolentes erant belli, diuturnitate ocij, vt qui post Atrebatensem illam pacificationem. per totos triginta, nisi fallor, annos, nullũ gesserant externum bellum: malè erant instructi, & parum exercitati pleriq; omnes. Sagittarij surgebant ad nouem millia, & habito delectu, quanta fuit anteà difficultas in conducendo, tanta tunc extitit in dimittendo, seruatis tantùm lectissimis quibusq;. Cæterùm, ob diuturnitatem pacis, & Principis Philippi bonitatem, florentissimæ erant omnes illæ prouinciæ, cumulatæ omnis generis opibus, ita quidem vt cuiuis populo præferri possent. Ea re ferociores facti, nullius Principis potentia labefactari se posse putabant: sed qui fuerunt antè à plurimis annis omnium gentium fortunatissimi, nunc ita sunt afflicti, vt ærumnosiorem hodie populum non norim, & est credibile, iam ipsos dare pœnas eorum, quæ rebus prosperis elati admiserunt. Nam & cultu corporis & vestitu, & quotidiano victu, & balneis, & epulis, & omnino rebus omnibus modũ excedebant, obliti pudoris & honestatis. Instructo exercitu

progre-

progreditur Carolus: erant autem equites omnes, præter eos, qui deducendis tormẽtis, quorum maximam vim habebat, aliisq; operibus destinati erãt. Profectus igitur Nouiodunum, castellũ Nelam iis in locis obsidet, ac licet militum præsidiis firmatum esset, paucis tamen diebus deditione capit. Obequitabat non procul à Carolo Ioachimus Galliæ Mareschallus, à Perona digressus, verùm quòd exiguas habebat cohortes, non poterat impedire illum quò minùs ad Lutetiam propiùs accederet, quam tamen ipse prior ingressus est. Toto itinere quà transibat Carolus, iubet à vi & maleficio abstineri, neque passus est vllum detrimentum alicui inferri. Ciuitates etiam illæ, quæ sunt ad Somiam flumen, & aliæ quæcunque, modicis cohortibus nos recipiebant, & accepta pecunia suppeditabant quæ vsui esse poterant, & videbantur belli euentum expectare. Ventum est tandem Sanctodionysium, quod oppidum duobus milliaribus abest à Lutetia, quò & reliqui Galliæ principes confœderati, sese venturos esse promiserant. Pro Duce Britanniæ aderat Procancellarius, qui chartas aliquot habebat puras, sui Principis sigillo consignatas, cuiusmodi solent aliquando dari discedentibus legatis, in iisque pro ratione temporis & negociorum, subinde scribebat quic-

quid visum esset. Valebat quidem ingenio: sed certè propter excitatam non semel aduersus eum indignationem & fremitum in castris, opus etiam ipsi erat magna dexteritate & industria. Carolus Lutetiam vsque progressus, leuioribus prælijs lacessebat oppidanos, qui præter Ioachimum, & eas, quibus ille præerat, cohortes, nullum habebant præsidium. Itaque tanta fuit ibi consternatio multitudinis, vt subinde clamarent, hostem iam superasse mœnia. Haubordinus, eò quòd habitasset aliquando, & ingenium loci non ignoraret, suadebat oppugnandam esse, & quanquam equitatus idem sentiebat, vt qui contemnerent hostem, excursionibus factis in ipsas vsque portas: Carolus tamen Sanctodionysium reuersus, postridie conuocato concilio, deliberat, an esset obuiam iturus Biturigum Duci, fratri Regis, & Britanno, quos Procancellarius in propinquo esse dicebat cum exercitu, conatus fidem eius rei facere, demonstratis literis, quas ipsemet finxerat in ijs, quas diximus, chartis, quum nihil tamen haberet certi. A multa deliberatione placuit, traijciendum esse flumen Sequanam, tametsi complures dicerent, quoniam socij & confœderati ad diem non venissent, posse Carolum honestè redire domum, qui traiecto Somia & Matrona

trona fluuijs, officio satisfecerit, nec opus habeat longiùs progredi. Quod ipsum eò vehementiùs aliqui contendebant, quò maius videbant esse periculum, ideo quòd à tergo nulla haberent loca munita, in quæ, temporibus coacti, sese reciperent. Et quanquam magnus erat fremitus omnium aduersus Comitem Sanctopauli, & Britanniæ Procancellarium, qui progressionem suadebant: Carolus tamen transmisso flumine, castra ponit ad pontem Sanctoclaudianum, qui vicus infra Lutetiam est ad duo miliaria. Postridie quàm eò venit, certior fit literis fœminæ cuiusdam nobilis, Regem ex Borbonia magnis itineribus ipsum petere. Quum enim excitatos in se Rex videret Galliæ Principes, cogitabat huic rei præuertere, & prior ipsos adoriri, sed in primis Borbonium, quòd & hunc sibi crederet infestiorem, & ditionem eius putaret magis opportunam esse iniurijs. Impetu igitur in eum facto, multa iam ademerat, occupaturus etiam reliqua, nisi vicini Burgundiones, atque etiam Aquitani aliquot Proceres subsidio venissent. Quum igitur ibi non posset, quod cupiebat perficere, tempore exclusus, eò quòd Carolus immineret Lutetiæ, & veritus ne reciperetur, præsertim aduentante fratre cum Britanno, maximè verò, quòd

præ se ferrent, bellum esse necessariò pro Repub. susceptũ: & quia in Lutetiam illis receptis, videbat reliquas vrbes, facili momento, vt idé facerent, posse impelli: his de causis magna celeritate eò proficisci constituit, & prohibere, ne duo illi exercitus coniungerentur: nihil autem minùs decreuerat, quàm prælio concertare, sicut ipse mihi non semel retulit, delapsus in mentionem eius belli. Carolus igitur cognito Regis aduentu, statuit obuiam ei properare, & tũc demùm recitatis literis, quas acceperat, tacito nomine authoris, demonstrat se velle tentare fortunam, & ad virtutem cohortatus militem, quum aliquantulùm esset progressus, castra posuit ad Longumeum, qui vicus abest à Lutetia, quatuor milliaribus, via Aureliana. Primum agmen ducebat Sanctopauli Comes, qui prope Monthericum duobus milliaribus longiùs à Carolo consedit, multis huc illuc emissis exploratoribus, qui de Rege aliquid cognoscerent, & quam viam esset ingressus, nunciarent. Quum deinde prælio delectus esset idoneus locus apud Longumeum, ita conuenit, vt si Rex eò accederet, Sanctopauli Comes, reductis copijs, cum Carolo sese coniungeret. Cenomanorum autem Comes, cum octingentis cataphractis ibat in exercitum Britannicum aduentantem, in quo

multi

multi erant egregij & honesti viri, quos Ludouicus, tametsi bonam operam nauassent ipsius parenti, simul atq; principatum obtinuit, dimiserat. Cenomanus autem viribus inferior non ausus ad hostem propiùs accedere, sed interuallo aliquo præcedens, Regem petebat: Britannus verò & Biturix cupiebant sese coniungere Carolo: qui quum esset Longumei, cognouit ex captiuo, Regem adiuncto sibi Cenomano, & collectis vndiq; copijs, habere ad duo millia cataphractorũ. Re deliberata cum Cenomano & Normanniæ præfecto & Amirallio, Rex omnino constituit, euitato prælio, Lutetiam sese conferre, tametsi diuersum aliqui suaderent. Quia suspectum habebat Normanniæ præfectum, familiariter eum rogat, num fidem Principibus dedisset? Ad quod vbi ille iocosè respondit, ac facetè suo more placatus Rex primam aciem ei attribuit, & viæ duces adiungit, eò quòd ab hoste vellet deflectere. Tum præfectus ille, vt erat liberali ingenio, cuidam è suis familiaribus, Hodie, inquit, ita propè sistam vtrumq; exercitum & arctè, vt cum, qui velit dirimere prælium, oporteat insigniter esse rei militaris peritum, atq; hunc eius sermonem Rex aliquãdo mihi recitauit. Progressus igitur ille cum suis copijs, venit Monthericum. Eam rem Sanctopauli Comes, qui

ibi consedit, vt suprà diximus, Carolo celeriter renunciat, orans, vt quandoquidem sibi non
1465. sit integrum retrocedere, subitò mittat auxilia, ne si discedat, fugientis videatur præbere speciem, quod toti exercitui futurum sit valde periculosum. Carolus igitur mittit alias cohortes, eisq; Antonium, è familia Burgundica nothum, præficit: quumq; secum aliquamdiu deliberasset, progreditur & ipse, ac in castra venit. Iam aliquot hostium signa venerant, positis castris secundum fossam quandam spatiosam, quæ inter vtrosq; erat media. Procancellarius autem Britanniæ, & alius cum eo vir nobilis, metu periculi, eò quòd Principes, de quorum aduentu maximam spem iniecerant, non adessent, profugiunt, & ad ea loca, vbi credebant se posse reperire Britannos, contendunt. Habita verò deliberatione, placuit Carolo, vt pedites pugnarēt omnes: commutato deinde consilio, cataphracti omnes conscendunt equos, verumtamen ex nobilitate complures, eius mandato, relictis equis, coniungunt se sagittarijs peditibus, quod & honorificum erat, & reliquis addebat animum, eumq; morem acceperant Burgundiones ab Anglis, quando fœdere ipsis coniuncti, bellum gesserunt in Gallijs, per totos triginta duos annos, nullis interpositis inducijs. Prin-

cipiò,

cipiò, quum se nobis ostenderet hostis è vicina sylua, erant circiter quadringenti cataphracti. Quòd si tum fuissemus eos adorti, multorum iudicio facilè profligassemus. Nam qui subsequebantur, non poterant, nisi cum modicis cohortibus progredi, tametsi paulatim augescebant. Ibi tum Contæus ad Carolum: Si velis, inquit, victoria potiri, opus est vt acceleres: quod si maturiùs fecisses, iam videres debellatum hostem: quicquid intercedit temporis, hoc omne victoriam moratur. Fuerunt initio pauci, quum nobis primùm apparerent, & ne nunc quidem satis multi sunt, vt resistant, & vides vt augeantur. Hîc cœptum est agi tumultuosiùs, nullo seruato ordine, & perturbatis consilijs, dum suam quisque sententiam dicit, iamq; ad exitum Montherici committebatur vtrinq; leuius prælium à sagittarijs, & quanquam nos sine ordine pugnabamus, multitudine tamẽ eramus & numero superiores. In concilio decretum fuit, quoniam longius erat interuallum, vt nõ continua progressione, sed dato ad respirandum spatio, pedetentim iremus in hostem: excitato autem clamore, & cõcursatione illa facta, vt diximus, Carolus immemor eius quod anteà constituisset, subitò celeriterq; progreditur. Hostes erant ad castellum Montherici, à fronte muniti

ampla quadam fossa, & sepe syluestri: totus ager consitus erat frugibus & fabis, alijsq; leguminibus. Carolum antecedebant sagittarij, absq; ordine ferè. Meo quidem iudicio, quum est dimicandum, nullum genus militum præstat sagittarijs, verùm ita, si sint aliquot millia simul, & vel equos habeant tales, quorum iacturam leuiter ferant, vel prorsus non habeãt. Ex ipsis autem ij, qui prælijs nunquam interfuerunt, potiores sunt exercitatis: & ita quoq; sentiunt Angli, qui in eo genere quosuis antecellunt. Constitutum fuerat, vt dixi, dum iretur in hostem, bis quiescendum esse, quò pedites ad pugnam essent recentiores, eò quòd præter viæ spatium, segetes etiam impedirent iter: sed Carolus continenter accelerabat. Hostes obiectam sepem, duobus diuersis locis qua poterant, transeunt. Quumq; tam essent vicini facti, vt hastas aptarent ad concursum: noster equitatus perruptis & disiectis sagittarijs nostris, prouolat, sic vt spatium illis non darent telum vllum eijciendi, quum tamen in ijs omne robur & spes tota cõsisteret. Nam ex mille ducentis equitibus, vix quadringenti erant, sic vt oportet, armati, & ex his ipsis arbitror nõ fuisse quinquaginta, tractandis hastis idoneos: è famulis autem, ob diutinum otium nemo quisquam armatus erat. Duces enim Burgundiæ, ne

diæ, ne multitudini grauiora onera iniungerent, nullos alebãt equites extra belli tempus. Ad hunc modum, florem ipsum exercitus, & spem maximã, sagittarios perturbant & disijciunt ipsi. Et quanquam in eo summum erat periculum, Carolus tamen, qui ad dextram erat prope castellum, nemine ijs locis magnopere resistente, vincit. Eram tunc vnà cum eo, & quòd periculi magnitudinem per ætatem non intelligebam, animo fui maximè securo & otioso. Ad sinistrum latus erant, Rauestenus & Iacobus Sanctopauli comitis frater, & alij complures, qui quum essent numero inferiores, in fugam conijciuntur, & ex ipsis plerique omnes in propinquam syluam excurrunt: alij qui ad impedimenta & carros in fuga substiterant, sese recolligunt. Sanctopauli quoq; comes in syluam sese recepit. Carolus ex diuersa parte, cum paruo comitatu insequitur fugientem hostem, vltra Monthericum, & quum nemo quisquam resisteret, suam esse putat victoriam. Ibi nobilis quidam vir Luxemburgicus, ætate grauis, Antonius Britannus, equo celeriter aduectus, nunciat ei hostes denuo collectos redintegrare pugnam: si longiùs progrediatur insequendo, periculum ipsi imminere. Nihil autem commotus eo sermone, pergit: mox idem nunciatur à Contzo, & ita quidem acri-

ter, vt tandem ab incepto desisteret. Quòd si paulò fuisset prouectus longiùs, incidisset in eorum manus, vt quidam ai-j, qui proximè ipsum antecedebant. Reuersus itaq; per Monthericum, reperit cohortem peditum fugientium, quos insequutus, cum centum circiter equis, ictus est à quodam pedite, qui & solus in fuga restitit, & interemptus fuit, reliquis ferè omnibus elapsis per vicinos hortos. Quum propiùs ad castellum præteruecheremur, ecce conspicimus ibi sagittarios stipatores Regis ad portam, immotos: mirum hoc videbatur Carolo. nullum enim supereſſe putabat hostē qui resisteret. Deflectens igitur ad planiciem inuaditur à cataphractis aliquot, numero sedecim: & quoniam è suis plerique erant dispersi, in summo versabatur discrimine, adeò quidem, vt in gutture accepto vulnere, circumdatus & comprehensus, vrgeretur ab hoste, vt sese dederet, neque sineret interfici, vt qui agnosceretur. Ipse contrà moratur & sustinet impetum quantum potest, donec medici cuiusdam Parisiensis filius, Ioannes Cadetus, vasti corporis homo, per mediam turbam inuectus ingenti equo, disijcit turbam, & ipsum eripit. Hostes deinde ad oram eius fossæ, vbi constiterant ante prælium, sese recipiunt, eò quòd cohortes aliquot nostras in propinquo conspicerent.

rẽt. Carolus ex vulnere totus sanguinolentus, rectà contendit ad suos. Eramus autem in vniuersum circiter septuaginta. Sumpto deinde recenti equo, tursus euolat, vt suos recolligeret, quo quidem tempore, si vel centum modo equites aduersum nos exijssent, fugę nos mandassemus. Nostri enim milites vix tandẽ paulatim aduentabant cum modicis cohortibus, partim saucij, partim ex itinere & labore defatigati. nam & segetes grandiores impediebant euntes, & tanta erat vis pulueris, vt prospectus non pateret, & quocunq; respiceres, coopertum erat solum militibus & equis interemptis. Intereà prodit Sanctopauli Comes è propinqua sylua, cum quadraginta circiter cataphractis, & ad nos contendit. inter eundem plures vndique ad eum ex fuga confluunt. Nos, quibus videbatur esse periculosa mora, missis ad eum nuncijs, hortamur vt properet: ille verò nihil eo commotus, placidè progreditur, & hastas iubet à suis tolli, quæ passim iacebant humi, deinde se nobis adiungit, & iam eramus circiter octingenti cataphracti, pedites verò perpauci. quæ res in causa fuit, quò minùs integram obtineret victoriã Carolus. Ex hostium numero profugit Cenomanus & alij multi, cum octingentis cataphractis. erant qui dicerent eum communicasse

consilia cum nostris Principibus: sed opinor iniuriam ei factam esse. breuiter, ingens fuit vtrinq; fuga, sed hoc est in primis memorabile, quòd Principes ambo nõ excesserũt è campo. Quum igitur ad hunc modũ starent hinc illinc instructæ acies, diremptæ solùm fossa, & sepe sylueſtri: tormentis vtrinq; cadunt aliqui. pugnam nemo ampliùs affectabat, & eramus numero superiores, verumtamen Regis præsentia magnum suis attulit momentum, quãdo militem, & præsertim equites, ad virtutem cohortabatur. nam alioquĩ crediderim omnes fuisse præcipites in fugam abituros. Ex nostris aliqui cupiebant redintegrari prælĩu, in primis verò Haubordinus, eò quòd diceret se videre cohortem aliquam hostium fugientem. Quòd si centum modò sagittarios habuissemus instructos, qui tela conieciſſent trans illam sepem, exercitus noster omnis fuisset progressus. Interea dum sic deliberamus, & administratio belli consistit, Rex, interuentu noctis, Corbellium, quod est supra Lutetiam septem milliaribus oppidum, ad Sequanam, sese confert, quum nos crederemus eum in castris pernoctare. Fortè eo loci, vbi Rex fuerat, excitatus ignis, longè lateq; vagabatur per carros, & sepem illam de qua diximus. Ibi Sanctopauli Comes & Haubordinus iubent carros

omnes

omnes adduci in eam partem vbi tum eramus, & totum exercitũ eis circumcludi. Dum hæc geruntur, ex hostibus complures, qui nostros fugientes insequuti fuerant, redeunt, arbitrantes victoria se potitos esse: coacti transire per nostras munitiones, pleriq; omnes occumbunt, paucis admodùm elapsis. Ex aduersarijs cecidit statim inter alios, commisso prælio, Normanniæ Præfectus: à nostris desiderati sunt plurimi pedites, ab illis autem equites, vtrinq; cæsa sunt ad duo millia. Magnum quiddam est, meo quidem iudicio, restaurare copias à conflictu, & per horas aliquot, in acie vtrinq; consistere propiùs: & meritò Principes complectuntur eos, à quibus in tali rerum statu non fuerunt deserti: verùm, vt fieri solet, non admodùm erant memores officij. Quidam, eò quòd profugerant, loco fuerunt & dignitate submoti: alij contrà, qui multò longiùs abierant in fuga, honoribus aucti fuerunt & beneficijs. Ex nostris quidam authoritate omni excidit, iussus è conspectu Principis abire: mensem vnum pòst, illustriori loco fuit, quàm anteà. Quum totus exercitus esset receptus intra munitiones, vt suprà demonstrauimus, reficiebat se quisque, vtcunque poterat. Ex nostris quamplurimi erant saucij, plerique etiam animis demissi, quoniam verebantur, ne Parisi-

enſes cum equitibus cataphractis egreſſi, quibus præerat in vrbe is, cuius antea meminimus, Ioachimus, nos adorirentur, eumq; metum auxit, quod crederent Regem in propinquo verſari. Emittimus ergo de nocte quinquaginta cataphractos, qui de Rege aliquid explorarent. Carolus intereà ſumpto cibo, reficit ſe nonnihil, & acceptum vulnus in gutture, curat. quo loco cœnabat, ſubmouenda erant aliquot cadauera, poſitis deinde duobus faſciculis ſtraminis, aſſidet. Dum loco mouentur cadauera, vnus ex miſeris illis potum flagitat: iniicitur illi in os aliquid eius potionis, qua Carolus vtebatur: ſtatim incipit habere meliùs, quumq; agnoſceretur, curatus fuit, & valetudini reſtitutus. erat autem vnus è ſagittariis ſtipatoribus ipſius. Deliberatur poſteà, quid facto ſit opus. omnium primus ſententiam dicit Sanctopauli Comes, verſari nos in magno periculo, ſibi videri, prima luce mouēda eſſe caſtra, & petendam Burgundiam, exuſta parte aliqua impedimentorum, & abductis tantùm tormentis: fieri non poſſe, vt medij inter Regem atq; Lutetiam, diutiùs ibi ſine commeatu perduremus. Haubordinus deinde, & alij quidam poſt eum, licet ignorarent, quid eſſent allaturi, qui exploratum fuerant emiſſi, non diſſentiunt ab illo. Contæus autē omnium

um postremus, ait futurum, vt milites, re intellecta, propter timoris suspicionem perterriti, fugæ se mandent, & ab hoste intercipiantur: præstare multò, vt refectis nonnihil corporibus, hostem prima luce statim adoriamur: aut victoriam esse reportandam, aut fortiter ibi pugnando moriendum: hoc sibi videri nõ solùm honestius, verumetiam ad salutem vtilius atque tutius. Ea laudata sententia, Carolus iubet, vt quieti sese darent omnes per horas duas, & ad tubæ clangorem essent expediti. interea per homines idoneos militem cohortatur ad virtutem. Sub mediam noctem reuersi equites nostri exploratores, nunciant regem esse in propinquo. Statim emittuntur alij, qui certiùs aliquid cognoscerent. Post horam deinde vnam, arma capiunt omnes, & ad prælium sese instruunt, sed profectò plerique omnes fugam spectabant. Exploratores, quos secundo loco misimus, obuiam facti cuidam aurigæ, cognoscunt Regem demigrasse cum toto exercitu. qua re nobis nunciata, ipsi longiùs progrediuntur, quumq; verum esse, quod dixerat ille, comperissent, reuersi maximam in castris lætitiam excitant: neque tum deerant, qui quum paulò antè fuissent animis deiecti, dicerent persequendum esse fugientem hostem. Erat mihi tum equus &

vetulus admodum & fractus laboribus: is fortè ſitulam vini repertam hauſit, eaq; potione ſic fuit recreatus, vt alacriorem antea nunquam fuerim expertus. Quum illuxiſſet, conſcendimus equos. ibi monachus quidam Franciſcanus, à Carolo ſummiſſus, confirmabat adfuturum eo die Biturigem & Britannum, ex quorum caſtris ipſe iamiam veniſſet. ea res animum addebat noſtris, tametſi non omnes haberent fidem, & artem intelligerent. Verumtamen ſub meridianum tempus, redijt ad nos Britanniæ procancellarius, qui paulò ante prælium ſe ſubduxerat, quoque maiorem faceret fidem, duos è numero ſtipatorum ſui Principis adduxit, magna per exercitum excitata lætitia, quumq; ſuæ fugæ cauſam rogatus expoſuiſſet, valde laudabatur ab omnibus: quòd autem redijſſet, eo verò nomine pergratus erat. Carolus totum diem in campo commoratus, belli omnem laudem ad ſe pertinere putabat, lætus admodum. ſed iſta gloria magnò deinde conſtitit ei. Nam ab eo ferè tempore, aliorum repudiatis conſilijs, pro ſuo vnius arbitrio gerebat omnia, quæ res in cauſa fuit, vt tandem in vitæ diſcrimen adductus, & occiſus, grauiſſimum vulnus populo prouincijsq; ſuis inflixerit. Qui ordine præceſſerunt ipſum, pater, auus, atq; proauus, bono-

ratiſſimi

ratissimi fuerant potentissimiq; principes, adeò quidem, vt præter Galliarum Reges, pauci admodùm illis præferri possent. Modestia sanè decet omnes hominum ordines, in primis verò Principes viros, vt intelligant, & sint memores in omni actione, esse Deum à quo proficiscuntur & emanant omnia. Erant in eo duæ res maximè memorabiles, laborum patientia, & animi robur incredibile. Militaui sub eo per annos septem, nec vllum vidi tempus, quo vel lassitudinis, vel timoris daret significationem. Moliebatur in animo res maximas, & fortasse maiores etiam viribus humanis. Postridie, qui tertius erat dies à prælio, recipimus nos Monthericum. ex agris omnes confugerant vel in turrim templi, vel in castellum: sed Carolus & reuocari omnes, & à maleficio abstineri iubet, Sequutus deinde consilium Contæi, Stampium, quod est inter Lutetiam & Aureliam oppidum, loco multùm fertili, sese confert, vt & Britannico exercitui præueniret, & militē ex vulneribus, alijsq; incommodis malè affectum, recrearet: hæc enim diuersoriorum opportunitas, multos, qui periclitabantur alioqui, seruabat. Aduenientibus Biturigi & Britanno, obuiam proficiscitur cum primis ordinibus, & ipsos quidem Principes in oppidum recipit: equitatum autem omnem in

campo contineri mandat. Erant circiter sex equitum millia, tam cataphracti, quàm sagittarij, bene instructi, & inter eos multi honesti homines, quos Ludouicus, vt suprà diximus, dimiserat. Quanta esset Britanni potentia, facilè erat ex eo apparatu cognoscere. nam eius exercitus potissimam partẽ ipse vnus alebat. Interea Rex, Corbelio relicto, Normanniam petit, vt copias ibi cogeret, & ne quis per ipsius absentiam oriretur motus, circa Lutetiam, quibus locis maximè necessarium esse videbatur, equitum præsidia disponit. Quo die Principes conuenerant Stampij, multus fuit inter eos sermo de varijs rebus. Britanni, ex hostibus, qui profugerant, nonnullos ceperãt, & si paulò fuissent propinquiores, bonam exercitus partem profligassent. Ex captiuis acceperant Regem interijsse: sic enim illi putabãt, eò quòd commisso prælio, in fugam abierant. Exhilarati eo nuncio, magna sibi pleriq; promittebant à Biturige, ad quem, morte fratris, imperium deferri sciebant, &, vt accepi à quodam fide digno, qui ei concilio interfuit, deliberauerant de nobis opprimendis: verùm non admodùm diu ea lætitia fruebantur. Atq; hîc videre licet, qui sit rerum status, & quæ perturbationes oriantur, quum aliqua fit imperij commutatio. A cœna, quum multi passim deambu-

ambularent, Biturix & Carolus, ex feneſtra cui innitebantur, ſeriò de ſuis rebus colloquuntur. Erat inter Britannos homo plebeius, cui pro ludo fuit, in aerem eiaculari ignem artificiosè compoſitum, Galli vocant fuſas, quæ quum è ſublimi deciderunt, huc illuc diſcurrunt, & flammeum quiddam emittunt. Ex ijs quum eieciſſet aliquot, vna fortè impegit in feneſtram, ad quam illi colloquebantur. Attoniti ambo, & ſubitò erecti, reſpiciunt alter in alterum, admirabundi, collecta ſuſpicione, de induſtria factum eſſe, lædendi cauſa. Contæus, quum ſecretò quiddam dixiſſet Carolo, deſcendit, & in armis eſſe iubet illico cataphractos omnes & ſagittarios. vt idem faceret, Biturigem hortatur Carolus. Inquiritur poſteà de authore. is qui coniecerat ignem, proiectus ad pedes Principum, fatetur à ſe factum eſſe, & veniam deprecatus, quò ſuſpicionem omnem tolleret, rurſus eiaculatur. ad hunc modum riſu ſoluta turba, deponuntur arma. Poſtridie, conuocato concilio deliberant Principes, quid agendum ſit, & quoniam diuerſarũ gentiũ erant, nec vni alicui parebant, quod in eiuſmodi rebus neceſſarium eſt, variabant ſententiæ. Sed notatum fuit in primis & exceptũ, quòd Biturix, qui per ætatem nullum habebat rerũ vſum, neq; talibus aſſueuerat ſpectaculis,

videbatur ita loqui, quasi iam tæderet ipsum belli, deplorans miseriam eorum quos in exercitu Caroli viderat saucios, & corporibus malè affectos. Nam eò tandem delapsus est, vt diceret, præstare, bellum non fuisse inchoatum, quàm sui causa tantas existere calamitates. Eum sermonem grauiter tulit Carolus, verumtamen re deliberata, placuit traducendum esse exercitum Lutetiam, & tentandum, an oppidani vnà cum ipsis vellent animum adijcere ad procurationem Reipublicæ, pro qua bellum se suscepisse dicebant. quòd si ea ciuitas permoueri posset, de reliquis, quin idem essent facturæ, nihil dubitabant. Carolus priuatim ad suos loquutus, de Biturigis oratione, ecquid vobis, inquit, videtur? ille, quòd saucios viderit nonnullos, qui ad ipsum tamen nihil pertinent, animo est demisso & languido: quid faciat si quod detrimentum ipsius milites acciperent? sanè leui aliquo momento queat impelli, vt nobis desertis, cum hoste paciscatur. Propter diuturnum enim bellum, quod inter ipsius & meum parentem intercessit, & propter veteres inimicitias, facile sit, vt coniunctis ambo viribus, nos oppugnent. nouæ sunt igitur tentandæ amicitiæ. Fuit hæc sola ferè & potissima causa, cur ad Eduardum Angliæ Regem misso statim legato mentionē aliquam

inijce-

inijceret connubij cum illius sorore: quum enim sciret hoc vehementer ei placere, videbat facilè ipsum ad amicitiam posse adduci. & quanquam id temporis non agebat seriò, duxit tamen eam posteà vxorem. quod eò libentiùs refero, vt ostendam, eiusmodi multa sæpiùs euenire ex opinione aliqua leuiter susceptа, maximè verò inter Principes, qui propter delatorum multitudinem, suspicionibus ferè indulgent. Commorati per dies aliquot Stampij, Sanctomaturinum & Moretum proficiscimur, quod est prope Sequanam oppidulum, ad sedecim supra Lutetiam milliaria. Carolus in planiciem progressus, castra ponit iuxta flumen. Iusserat autem, vt vncum aliquem vnusquisq; secum deferret, religandis equis idoneum: carris etiam deuexerat naues aliquot, & vasa dissoluta, vt ex ijs effecto ponte, Sequanam coniungeret. Quum ad fluuium peruenit, exoneratis & depositis sarcinis, occupatur insula. sagittarij Galli conabantur nos aditu prohibere, sed quum iniquo loco pugnarent, tormentis reiecti fuerunt. Sub vesperum iubet pontem fieri: ipse tensis tabernaculis, cum quinquaginta cataphractis ibi pernoctat. Postero die, circa meridianum tempus, perfecto ponte, exercitum omnem & tormẽta traducit: idem postridie faciunt Biturix &

Britannus cum suis copiis, collaudato opere. De nocte apparent nobis plurimi ignes è longinquo. Pleriq; Regem esse putabant: sed aliquot horis postea cognouimus Ioannem Calabriæ Ducem, Renati Siciliæ Regis filium, castra ibi posuisse. Ducebat ille insignem equitatum ex vtraque Burgundia, pedites verò non ita multos, & inter hos, circiter quingentos Heluetios, qui primi omnium suæ gentis nostris temporibus in Galliam venerunt, & sua virtute reliquis nomen & authoritatem magnam conciliarunt. Hæ copiæ, quum prima luce castra mouissent, eo die pontem transeūt. Burgundionibus præerat Mareschallus Nouocastrensis. erant cum eo frater Montagutius, & Marchio Rethelensis. & ingens nobiliū turba, quorum nōnulli militauerant Borbonio, quum bellum ei Rex inferret. Hi omnes periculi vitandi caussa coniunxerant se cum Duce Calabriæ, quem propter fortitudinem & rei militaris scientiam Carolus in magno habuit honore. Exercitu omni traducto, qui sanè longè maximus erat. Lutetiam cum vniuersis copiis contendunt. Primam aciem ducebat Sanctopauli Comes, & cum eo Britanni aliquot & Bituriges: in reliquo agmine erant ipsi Principes. Carolus & Calabriæ dux, vt homines militares decet, in hoc toti erant, vt rebus o-

bus omnibus diligenter prouiderent, nec obscurè præ se ferebant, cupere se aliquid magni perficere. Biturix & Britannus vehebantur paruis equis, leuiter admodùm armati. Vbi Carentonium venissent, qui vicus ad Matronam positus, Lutetia distat duobus miliaribus, occupatur ibi pons, frustra resistentibus sagittarijs Gallis. Eum vbi transijssent, Conflantium progressi quod est in propinquo, Carolus occupata planicie, copias suas omnes & tormenta carris, alijsq; munitionibus cingit, adiuncto sibi Calabriæ Principe. Biturix & Britannus, cum magna sui exercitus parte, Sanctomaurum, qui vicus modico distat interuallo, sese conferunt: reliquum agmen Sanctodionysium abire iubetur. Postridie, quàm eò venerant, faciunt excursionẽ ad vrbem, nõ absq; magna trepidatione vulgi. Erãt inter alios ordines multi nõ alieni à Principibus, & eorũ institutũ iudicabant esse vtile ac salutare Galliç: è ciuib. etiã multi addicti erãt Burgundionibus, eorũq; negotia procurabant, spe consequendi publica munera, quæ Lutetiæ sunt & plurima, & admodùm quæstuosa, dũ quisq;, nõ quantũ æquitas permittit, sed quantũ omnino potest, extorquet. Nostri, quũ hoc nõ ignoratẽt, amplis pollicitationib. eos sollicitant. Tertio pòst die cogitur in vrbe Senat°, & acceptis Principũ

postularis, quũ Reipubl. salutem se procurare ostentabant, placuit legationem esse mittendam. Ea decernitur Gulielmo Carterio, Parisiensi Episcopo, homini singulari virtute. Principes omnes Sanctomauri conuenerant: præsidebat ei cõsilio Biturix: reliqui astabant, hinc Britannus & Calaber, illinc verò Carolus, præterquam capite, totus armatus, & tectus eleganti pallio. Venerat enim Conflantio, & quoniam hostes in propinquo tenebant Vincennium arcem, nõ poterat nisi magno comitatu eò proficisci. Summa petitionis hæc erat, vt vrbem patefaciant, quò cum reliquis ordinibus communicato consilio, rationes ineant bene constituendi regni, quod insolenter admodùm, & iniquè per Regem administrari dicebant, multis in eum effusis criminationibus. Ad quæ, quũ legati amicè respondissent, sumpto ad deliberandum die, domũ reuertuntur, priuatim autẽ Principes vnumquenq; sollicitabant, & opinor sic inter eos tũc fuisse decretum, vt ipsi quidẽ vnà cum suis necessarijs ingrederentur, exercitus aũt modicis cohortibus per interualla transiret, quo facto, perfecissent, quod instituerant. multis enim de causis facilè traduxissent ad se populum, ac deinde, quod ea ciuitas feciſſet, aliæ quoq; per Galliã vrbes sine contentione erant futuræ. Priusquam legati

retulis-

retuliſſent ad Senatũ, Rex Lutetiã venit cũ maximis copiis. nã ad duo cataphractorũ millia, & è Normannia nobilitatẽ inſignem, & ſagittarios complures, ſtipatores ſuos, aliosq; multos, præſidio ibi collocat. Ita & conſilium noſtrum intercidit, & populi fuit immutata voluntas. nemo iam audebat ampliùs de pactione nobiſcum facienda loqui: nonnulli etiam, quod in colloquutionẽ veniſſent, pœnas perſoluerunt, exuti ijs, quibus erant propoſiti, muneribus, & aliò relegati. quæ ſanè moderatio laudanda mihi videtur in Rege, quòd atrociori vindictæ genere non ſit vſus. Nam ſi, quod moliebantur Principes, id effeciſſent, perierat: & non ſemel ipſe mihi retulit, quòd ſi fuiſſet ab ea vrbe intercluſus, rectà ſe vel ad Heluetios, vel ad Mediolani Ducem Franciſcum, de quo magnam habebat amicitiæ opinionem, profecturum fuiſſe. Is enim, Galeacio filio duce, auxilio priùs miſerat quingentos cataphractos, & peditum ad tria millia, qui in Aruerniam vſque progreſſi, bellum inferebant Borbonio, facturi maiora, niſi allatus de morte Franciſci nuncius, domum ipſos reuocaſſet. Idem etiam, vbi de fortuna Regis & Principum audiuit conſpiratione, per legatos admonuit eum, vt tota mente & anima hanc illorum ſocietatem diſtraheret. Rex Lutetiam ingreſſus, bello nos

vndique lacessit, maximè verò pabulatores nostros, qui longiùs prodire cogebantur, & ad sui tuitionem opus habebant maiori comitatu. Sanè magna est eius vrbis opportunitas, & ingens vicinæ regionis copia, quæ duos tam potentes aleret exercitus. Nobis enim nihil vnquām deerat, & in vrbe nulla fuit annonæ caritas. Non intermittebatur dies, quo non leuius aliquod prælium fieret: hostes equitatu præstabant, nos autem peditatu. Britanni circum Sanctodionysium populabantur agros. Ex Aquitania quoque nonnulli Principes auxilio nobis veniebant, cum sex millibus equitum, sed Carolus metuens, ne, si propiùs accederent, inedia consumeremur, missa pecunia, vt alimoniam compararent, renūciat, ne progrederentur longiùs. Præter quotidiana illa prælia nihil magnopere agebatur. nolebat enim Rex totis viribus dimicare, neque suis permittebat, vt magno numero prodirent, eò quòd suas Galliæque fortunas nequaquam vellet in dubium deuocare: sed hoc solùm spectabat, vt pace quocumq; modo facta, fœdus illud Principum dirimeret. Certo tamen die, prima luce, sagittarij, ad quatuor millia, è regione Conflantij, iuxta Sequanam castra ponunt ab his, nobiles Normanni, & cataphracti aliquot modico distabant interuallo: pedites etiam non longè aberant

erant in pulcherrima planicie, & Sequana tantùm eramus diuisi. Statim incipiunt accumulare aggeres, & è terra materiaq; castellum efficiunt, quàm longè nostra patebant castra, interlabente, vt diximus, fluuio, dispositis deinde tormentis, Carentonio eijciunt cohortes aliquot Calabriæ ducis, ita quidem, vt hæ cogerentur se nobis adiungere, desideratis nonnullis & militibus & equis. Deinde, in nostras etiam munitiones emissis tormentis, extulerunt aliquot, & cùm in cœnaculum Caroli bis eiaculati essent, inter prandendum, ex famulis quendam, qui cibum deferebat, in gradibus occidunt. A prandio Carolus descendit in inferius tabulatum. Veniebant ad eum quotidie Principes, concilij causſa, quo dimisso, prandebant simul. Re deliberata, placuit, vt nostra tormenta statim opponerentur hosti. Perforatis igitur muris, qui sunt prope Conflantium, iuxta flumen, collocantur ibi, quorum maximus erat vsus, & alia deinde alijs locis, quàm fieri potuit commodissimè. Aggeres illorum longè se diffundebant versus vrbem, exhaustam verò terram eijciebant in eam partem, quæ ad nos pertinebat, vt ab ictu telorum tuti essent. in fossis enim continebant se, nec caput modò proferre audebant. Tormentorum tanta vis fuit & impetus, vt maiorem

non viderim. Nam è Lutetia suppetebant eis omnia copiosè. Quatuor ita sunt consumpti dies: ab vtraque parte maior fuit metus, quàm iactura. nemo enim, qui in aliquo esset numero aut honore, interiit. Principes vbi vident hostem nō commoueri loco, iudicabant hoc pertinere ad suum non dedecus modò, sed & periculum, eò quòd oppidani firmiori essent animo futuri, quum superiori quodam die, per inducias, maximo numero, spectandi gratia prodiissent. Mandant igitur è nauibus pontem fieri, traducendis copiis, in eum vsum maiores etiam naues aliquot fuerunt adductæ, quibus transmitteretur flumen, & in hostem impetus fieret. Qui ad hoc opus efficiendum delectus fuit, eius hæc erat sententia, illos aggeres, & terram eiectam ab hoste, nobis vsui fore, quòd, traiecto flumine, illi essent loco futuri inferiores, nec auderent metu tormentorum è fossis prodire. Qua re cognita, maior nobis incessit cupiditas trāseundi. Perfecto ponte, & in vsum accommodato, accurrit ab hostibus fœcialis, affirmans hoc ipso violari inducias, quæ & in biduum pactæ fuerant, & eo die sub vesperum cedebant: venerat autem, vt quid ageretur à nobis, cognosceret. Pons ea magnitudine erat, vt tres simul equites hastati facilè transirent, sex præterea naues onerariæ aderant, quæ singulæ

gulæ transportabant mille milites, & alia minora nauigia magno numero, vt ipsorum adminiculo tormenta eò leniùs proueherentur. Ex omni igitur exercitu deliguntur, qui transeant: iis præficitur Sanctopauli Comes, & Haubordinus. Post mediam noctem, sumptis armis, antequam illucesceret, instructi erant omnes. Eram ea nocte in excubitorum numero, nam immunitatem nemo quisquam habebat. Hîc subitò exaudimus clamorem sublatum ab hostibus. quum enim castris incensis & abductis tormentis abirent, acclamatione facta, nobis illud significabant. Nostri ad eam rem delecti, iam cœperant transire flumen: animaduerso autem illorum discessu, lęti ad nos redeunt. Fuerant autem illi à Rege in hoc solùm emissi, vt nos ex lõginquo lacesserent, non etiam vt prælio concertarent. In hoc enim totus incumbebat, vt quocunque modo paciscereturr, & nos dissiparet, ideoque subinde fiebant induciæ, per quas alij ad alios commeabant, dirempti fossa, quam transire vetitum erat, interea proponebantur aliquæ rationes pacis, & vtrinque multi ad defectionem sollicitabantur. Ab illis mittebatur internuncius Cenomanus: à nobis, Sanctopauli Comes: & quãquam nihil magnopere perficerent, integræ tamen erant induciæ, nec vllus intercedebat dies, quo

non ex ipsis aliqui ad nos, & ex nostris in illorum castra perfugerent. Eiusmodi sanè colloquutiones non vacant periculo, & ei præsertim, cuius infirmiores videtur esse partes, magnum sæpe detrimentum adferūt. Sic enim inter homines comparatum est, vt & augescere cupiāt, & sua tueri, eoq; facilè fit, vt sese potentioribus adiungant, & quum in Principem liberalem incidunt, idoneumque comparandis hominum gratijs, leui momento traducuntur aliò. Pacis igitur tractatio prudentibus atq; fidis hominibus est committenda, eos à legatione reuersos separatim audiat Princeps, ac solus, ne, si minùs iucunda renuncient, pauorem ea res atque metum inferat multitudini. Sunt enim omnes cupidi rerum nouarum: & nō desunt, qui quum familiariter norint legatos, audent sibi pollicēri, fore, vt omnia resciscant: verùm si iudicio sint præditi illi, cauebunt modis omnibus, ne quid efferant, quod vel alienationem animis, vel trepidationem excitare possit. Hoc ideo mihi dicendum fuit, quòd Principes à suis non rarò circumueniri sciam in eiusmodi actionibus, illos præsertim, qui præ fastu & arrogantia, quæ sit aliorum sententia, non auscultant. nam qui se demittunt, ac libenter aliorum iudicia cognoscūt, ij minùs falluntur. Omnium aūt Principum, quos ego quidem noui, Ludouicus Rex optimè

optimè tenebat rationem ex rebus aduersis eluctãdi: cultu corporis erat admodum simplici, & sermone demisso: quos vel metueret, vel à quibus aliquid speraret, eos omni ratione studebat ad se traducere, & si fortè repulsam ferret, nihilominùs & donis & magnis pollicitationibus instabat. Quos rebus secundis eiecerat, eos in necessitate positus, magno sibi reconciliabat, eorũq; vtebatur opera, neq; propter veteres inimicitias oderat. Homines mediocris cõditionis: naturaliter amabat: potentioribus aũt, & ijs qui facilè ipsius ope carerẽt, minimè fauebat: diligẽter de singulis reb⁹ percõtabatur, & cupidè audiebat oẽs, eaq; ratione hoc effecit, vt qui per Europã essent in authoritate & aliquo numero viri, oẽs cognosceret. Hac industria & virtute, se suasq; facultates oẽs seruauit, q̃ sanè in dubiũ & prẽsens periculũ deuocatę fuerãt, hoc Principũ exorto bello, & plurimis in eũ excitatis aduersarijs: largitionib⁹ aũt & liberalitate admodũ proficiebat, & vt reb. aduersis multũ erat prouidus, ita quoq; secũdis, & in otio captabat offensiones, ac simultates, neq; diutur nã vllã pacẽ ferre poterat, & leuiter de hominib. iudicabat aliquando, etiãsi coràm adessent. Veruntamen quia timidior erat à natura, ne quid de ijs, quos metuebat, diceret, diligẽter cauebat cumq; per intemperantiam linguæ, detrimen-

tum aliquod accepisset, agnouit culpam, & cõuersus ad eum quem offenderat, non me latet inquit, obfuisse mihi linguam, sed & profuit aliquando: nunc autem, vt, quòd illa peccauit, emendem, æquum est: ac simul, quum ad eum modum familiariter ageret, donum aliquod dabat non contemnendum. Est profectò magnum Dei beneficium, agnoscere quod vitiosum est, ac mentem ad meliora conuertere. Mea quidem hęc est sententia, vt arbitrer, eam solicitudinem atque molestiam, in qua iuuenilibus annis fuit, quo tempore, deserto patre, vixit apud Philippum Burgundiæ Ducem, per annos sex, plurimùm ei profuisse. Nam in eo rerum statu cogebatur accommodare se, & seruire plurimorum affectibus, & prouidere, ne, quorum opera carere non poterat, eos offenderet. & hoc quidem boni attulit ei fortunæ inclementia. Post mortem patris, delato ad ipsum principatu, studebat vlcisci, quas putabat sibi factas esse iniurias: verùm pœnituit eum accepto detrimento, & quos priùs à se alienauerat, cum iis ipsis in gratiam deinde rediit. Quòd si fuisset educatus, ita vt hodie plerique nobiles per Galliam, arbitror eum ex illis tempestatum fluctibus non fuisse emersurum: sic enim hodie complures instituuntur, quasi ad ludum essent facti & iocum: in vestitu & omni

sermone

sermone nihil moderatè faciunt, aut prudenter: literarum nullam cognitionem habent: viris bonis atq; peritis non patet vllus ad eos aditus: de negocijs aut suis, aut populi non cognoscunt ipsi, verùm in familiares omnia reiiciunt, qui per hanc illorum ignauiam atq; socordiam, suas facultates insigniter amplificant, & hoc ferè solum agunt. Siquis est aliquando, qui fortè, tanquam ex veterno expergefactus, animum rebus gerendis adiiciat, hoc serò admodum fit, amissis propemodum occasionibus. Indubitatum enim est, eos, qui in vlla re vnquam excelluerunt, maturè puerilibus annis ad eam rem accessisse. Totum hoc consistit, primùm in beneficio Dei, proximè, in educatione. Suprà diximus de discessu hostium, qui è regione nostrarum munitionum ad Sequanam confederant. Inducię ferè fiebant in vnum diem & alterum: iis finitis, res agebatur excursionibus vtrinque & leuioribus prælijs: è Lutetia quidem non prodibãt magnis cohortibus, nisi quòd speculatores nostros equites subinde reiiciebant. Suspicionem habebat Rex de plerisque nulla magnopere de causa. noluit igitur confertis copiis pugnari, & suos à prælio continuit. Retulit aliquando mihi, se nocte quadam reperisse arcem, quæ est ad portam Antonij, patefactam, ea parte quæ ad campum

pertinet, ea res suspicionem augebat. Qui erant Lutetiæ belli duces, constituerant nos adoriri tripartitò: sed detecta res fuit per adolescentem, qui ex aduersa fluminis ripa, clamore nobis enunciabat istud, emissus ab ijs, qui principum rebus fauebant, è quibus etiam nonnullos, fidei faciendæ causa, nominabat. Prima luce veniunt duæ hostium cohortes diuersis itineribus ad pontem Carentonij, quo loco tormenta nostra erant dispositа. Fit tumultus totis castris, dum creditur hoc illud esse, quod anteà significatum fuerat. Confestim arma capiunt Carolus & Calabriæ Dux, & temporis ferè momento instructus erat omnis exercitus. pedites eramus omnes, ac ducenti. solùm equites obequitabant, vt quid hostis moliretur, obseruarent. Eo primùm die res videbatur ad prælium spectare. Biturix & Britannus, quos anteà non videram armatos, illico se nobis adiungunt. Quum ad pontem propiùs accederet hostis, quamplurima in eos emisimus tormenta. Parisienses autem ex mœnibus ad nostras vsque munitiones suis machinis penetrabant. Cœlum erat obscurius, & nostri equites, qui propiùs ad vrbem accesserant, credebant se videre ingentem numerum hastarum, arbitrati Regem ibi copias omneis atque vires habere coactas. reuersi igitur, celeriter hoc perferunt ad Princi-

ad Principes, & confirmant prælio decertandum esse. Ex hostibus autem, qui præmissi fuerant equites, speculandi causa, quum viderent nostros retrocedere, consectati eos, augebant nobis illam, de qua diximus, opinionem. In eo rerum statu, Calabriæ Dux, consociatis armis, militem ad virtutem hortatur, oblatam esse dicens illam toties optatam dimicandi occasionem. Nostri equites, quòd viderent hostem, qui priùs insequebatur, Lutetiam reuerti, & simul illum, quem putabant esse cònfertum exercitum, conspicerent non moueri loco: dubitare secum incipiunt, & progressi longiùs, cœlo iam sereniori, cognoscunt eum locum, in quo putabant hostem consistere, consitum esse prælatis carduis, qui ex longinquo præbebant hastarum speciem. Prouecti igitur ad vrbem vsque, Principes de eo certiores faciunt, excusabat autem eos & cœli obscuritas, & allatus nocte superiori nuncius.

PHILIPPI COMINÆI COMMENTARIORVM LIBER SECVNDVS.

PACIS conciliandæ rationes, inter Regem præcipuè & Carolum, qui duo longè primi erant, minimè intermittebantur. Habebãt autem postulata Principum magnam difficultatem. Biturix enim Normanniam à Rege fratre petebat, vti portionem iure hæreditario sibi debitam: Carolus autem Ambianum, Abbeuillam, Sanctoquintinum, Peronam, & alia quæ sunt ad Somiam oppida, quæ Rex ante menses quatuor à Philippo Principe recuperauerat quadringentis aureorum millibus, volebat sibi restitui: affirmans, quamdiu ipse supereſſet, non esse Regi licitum, illa sibi adimere: simul commemorat, quãtum Burgundicæ familiæ Rex debeat, in qua multis annis, quum à patre secessionem feciſſet, liberaliter & honorificè tractatus, ac deinde mortuo patre, Rhemos & Lutetiam esset, ipsorum sumptu deductus, & regno inauguratus. Post crebras vtrinque missiones, Rex aduerso flumine, nauigio subuectus, venit ad eam partem, quæ

ad nos

ad nos pertinebat. ad oram fluminis comitabatur eum magnus equitatus: in naue pauci admodum erāt. Priùs quàm exponeretur, conuersus ad Carolum, qui ad ripam expectabat: An fidem mihi das, inquit, sororie? (nam in matrimonio aliquando Carolus habuit eius sororem) illo affirmante, egressus, vbi salutasset amāter: Agnosco, ait, te verè nobilem, & è Franciæ Regum stirpe procreatum esse: rogatus à Carolo, quid ita? Nuper, ait, quo tempore legationem misi ad parentem tuum, cognatum meum, atque te, quum ineptus ille Moruillerius tam illiberaliter te tractaret, denunciabas mihi per Archiepiscopum Narbonensem, futurum, vt intra annum me pœniteret eius facti: seruasti nimirum promissa, & citiùs quidem opinione. Ridens & hilariter ista loquebatur, quòd illum eiusmodi sermone sciret oblectari. Pergens deinde, Cum id genus hominibus, ait, qui non discedunt à promissis, volo mihi commercium intercedere. Post hæc, sui purgandi caussa, negabat se Cancellario quicquam eorum, quæ liberiùs & ineptè dixerat, mandasse. Medius obambulabat inter Carolum & Sanctopauli Comitem, ex propinquo diligenter obseruabant à Carolo dispositi equites. Postulata erant eius generis, vt paulò suprà demonstrauimus, & quum anteà prætexerent bello

commodum Reip. de priuatis rationibus iam singuli cogitabant. Vt fratri Normanniam daret, non potuit omnino Rex adduci, reliqua facilè permisit, & vt Carolo gratificaretur, deferebat Comiti Sanctopauli Connestabliatū, quod est totius Galliæ maximum munus, & honor amplissimus: atque ita quidem tūc nulla re alia perfecta, discedit ur. Consumptis ad hunc modum aliquot diebus, etsi non tam crebrò commeabant vtrinque, pacis conficiendæ causa, vt priùs, Rex tamen & Carolus, etiam ardente bello, per internuncios, homines obscuros, de pace agebant. Id reliqui Principes ægrè tulerunt, & collecta suspicione, tædebat eos belli, & longioris moræ, & nisi magno casu quidam interueniisset, de quo posteà sum dicturus, non absque ludibrio domum reuertissent. Vidi quo tempore in eodem cœnaculo, quum adessent omnes, alij cum alijs separatim consultarent. Id molestè admodum tulit Carolus, quoniam se præsente bis iam acciderat, & alioquin sic erat, vt ferre non posset collocutionem vllam in aspectu suo fieri, cui non & ipse adhiberetur. Hunc suum dolorem ad Contæum, magna virtute virum, non dissimulat: is hortatur, vt moderatè ferat: nec vllam præbeat offensionis causlam: illos ad gratiam & amicitiam Regis habere faciliorem receptum, varijs de

caus-

uſis: quemadmodum ſit omnium longè pri-
mus & potentiſſimus: ita etiam æquum eſſe, vt
t prudentiſſimus caueat modis omnibus, ne
quod oriatur diſſidium, ſed ægritudinem illam
animi diſſimulet, & amanter cum ſocijs agat:
non eſſe nihil, quòd offendantur illi: diſplicere
multis, etiam aliquot ipſius neceſſarijs, tam
humilis conditionis homines agere de pacifi-
catione, & tractare negocia tam ardua, quòd
eò ſit periculoſius, quò magis Rex in largitio-
nes propendeat, quibus expugnare queat et-
iam conſtantioris hominis animum. Sequu-
tus hoc conſilium, fingit vultum, & incipit age-
re familiariùs, & ſua cum ipſis conſilia ſubinde
communicat: prudenter quidem, & tempore
valde neceſſario, mea ſententia, nam alioquin
ad defectionem omnia ſpectabant. Multùm
herclè poſitum eſt ſæpe in vnius hominis vir-
tute, modò fidem & authoritatem obtineat,
ſed ferè fit, vt principes, niſi neceſſitate coacti,
non agnoſcant, alij quid alijs præſtent: magna
enim ex parte, præſertim iuuenilibus annis,
complectuntur eos, qui ſunt ipſorum affecti-
bus magis accommodati, & cupiditatum mini-
ſtri. verùm qui ſapiunt, etiamſi iudicio lapſi fue-
rint aliquando, ſanare tamen ſtudent errorem,
& ex virtute ſuos æſtimant. Id omnium optimè
ſciebat Ludouicus, & tũ quoq; tẽporis, Carolus

& Eduardus Angliæ Rex, quos omneis eò loci adductos esse vidi, vt iis, quos aliquando despexerant, vehementer opus haberent, eosque desiderarent. Suprà demonstrauimus, & quid periculi sit in illis conuentibus, qui fiunt per inducias, & quemadmodum Principes prouidere debeant, vt idoneis hominibus negocia sua committant, illi præsertim, qui viribus & causa sunt inferiores. Nunc autem, cur ei loco sim diutiùs immoratus, exponam. Intereà dum de pace agitur, & vtrinque mittuntur nuncij, inita fuerunt à quibusdam clandestina consilia, de Biturige in Normanniam recipiendo, & eò tandem deducta res fuit, vt eius ditionis Præfecti vxor, vidua, & simul nobiles aliquot, Borbonio, tam arcis, quàm vrbis Rothomagi possessionem traderent, quò Biturigi bona fide restitueret. In eam rem facilè populus assensit, vt qui Principi alicui suo patêre malint, quàm regis imperio subiecti esse: pro magnitudine enim prouinciæ & facultatibus, honestiùs id esse ducunt, vt qui nongenta francorum millia pendant quotannis. Recepta ad hunc modum arce, eius fidem dant Borbonio nomine Biturigis: prætor autem vrbis, qui cum Rege fuerat educatus, & Gulielmus Picardus, ad quem eius prouinciæ quæstura deinde est delata, & is, qui hodie est eius regionis præfectus, adduci non potuerunt,

potuerunt, vt iurarēt, tametsi omne negocium ipsius præfecti mater confecisset. Ea re cognita, Rex, quum aliud non posset, decreuit omnino paciſci. Quumq; diem colloquutioni Carolo constituisset, egressus è Lutetia cum centum circitèr equitibus, magna ex parte Scotis, Conflantium venit. Ibi reperto Carolo, deambulās exponit, quid accidisset Rothomagi, fortuna & casu factam nunc esse pacem dicebat: se quidem sua sponte non fuisse daturum fratri Normanniam: nunc verò, posteaquam Normanni ipsi statum imperij mutassent, & res noua esset oblata, se non repugnare, & placere pacis conditiones illas, de quibus anteà non semel agitatum fuisset. Eo sermone Carolus admodum fuit recreatus, propter annonæ & pecuniæ inopiam, quæ tanta erat, vt si in Normannia casus hic non incidisset, nulla re perfecta discedendum nobis fuisset, quanquàm paucis interiectis diebus, auxilio venerunt, missi à Philippo centum & viginti cataphracti, mille & quingenti sagittarij, telorum & arcuum maxima vis: ad hæc, centum & viginti aureorum millia, summo certè nostro cum gaudio. nam metus erat, ne socij, nobis desertis, cum Rege paciscerentur. Inter deambulandum sic erant ambó intenti sermoni, vt quò deflecterent, non animaduerterent. Nam ingressi viam, quæ Lute-

tiam ducit, veniunt in castellum illud ab aduersarijs extructum è regione nostrarum munitionum, vt suprà diximus, quo quidem ex loco tutus erat in vrbem receptus. Erant apud Carolum perpauci quidam ipsius familiares. ilicò perculsi nouitate rei, obstupescunt omnes: ipse vtcunq; poterat, dissimulat. Is nuncius in castra perlatus, magnam excitauit trepidationē. Collecti subitò duces, ac militum præfecti, vehementer incusant hanc illius audaciā, & eorum, qui cum ipso essent, incogitantiam valde vituperant, facta mentione eius tēporis, quo ipsius auus, Ioannes Burgundiæ Dux, quando in colloquutionem venit cum Ludouici patre, miserabiliter trucidatus fuit. Reuocatis igitur omnibus copijs intra munitiones, Burgundiæ Mareschallus, etiāsi iuuenis hic, & stolidus, inquit, Princeps, in præcipitium aliquò discessit: nobis tamen prouidendum est, ne Philippi Principis, à quo sumus emissi, fortunas in discrimen adducamus, optimum mihi videtur, vt instructi quemlibet euentum expectemus: coniunctis viribus, omnem impetum sustinebimus, & vel in Hannoniam, vel Picardiam, vel Burgūdiam, vi armorum atq; ferro penetrabimus. Post hęc, Sanctopauli Comes, equo circumuectus, respicit, num quos videat via Parisiensi. tandem ecce conspicatur ad 50 equites, qui missi à rege, Carolum

rolum reducebāt incolumem. Is quum appropinquaret castris, dimisso comitatu Gallorum, sermonem ad Mareschallum, quem ob excellentem virtutē reuerebatur, conuertit. qui grauiter eum obiurgans, Tuus, inquit, parens me tibi attribuit, alioqui non sum tibi deuinctus. Ille verò leniter: Noli, ait, increpare me, culpam agnosco, sed non priùs deprehēdi, quàm essem castello propinquus. Atqui, me, inquit ille, absente & inscio, feciſti. Carolus demisso capite, & voce cōpressa, vbi in castra venit, magnam intulit lætitiā. Regis fidem prædicabant omnes: veruntamen ab eo tempore nunquā in eius potestatē ille redijt. Postero die Carolus delectum habet totius exercitus, præterquam eorum, quibus Burgundiæ Mareschallus præerat. hic enim infestior erat regi propter ademptū sibi quoddam oppidum in Lotharingiæ finibus. Constitutum erat, vt principes omnes, regis beneficiarij & clientes, ad certum diem adessent Vincennij, prope Lutetiam, & ne qua doli suspicio resideret, permittebat rex Carolo, vti militum suorū præsidio muniret eam arcē, donec peracti essent conuentus. Postquam eò ventum est, Biturix, ea ditione, quā hactenus possederat relicta, fidē Regi dat pro Normannia. Carolus autem pro illis Picardiæ oppidis, quæ sunt ad Somiam flumen. Sanctopauli Comes delatum sibi

transibat, honorificè fuit exceptus, mandato Regis. Quum peruenisset Ambianum, prouinciam illam omnem, quam hac pacificatione recuperauerat, in sua verba per iusiurandum adigit. Illinc proficiscitur aduersum Leodios, qui per ipsius absentiam, aliquot mensibus bello vexauerant Philippum principem, incursionibus factis in Brabantos, & Namurcos: hyemis autem interuentu exclusus, & impeditus, nulla re maiori perfecta, vicos & ædificia multa vastat incendiis. Facta deinde pace, quam illi constituta pœna iurabant minimè se violaturos esse, ad Brabantos reuertitur. Inter Normannum autem & Britannum, vbi Rothomagum venerunt, natæ sunt dissensiones: eas alebant ipsorum familiares, qui quum aliquando in re lauta fuissent apud Carolum septimum, non mediocriter doluerunt ex ista commutatione fortunæ. Britannus autem, quòd omnem ferè belli sumptum sustinuisset, æquum esse putabat, aliquam administrationis partem ad se pertinere. Simultas eò vsque creuit, vt Britannus in montem, qui proximus vrbi imminet, sese recipere cogeretur, quumque ne ibi quidem satis esset in tuto, domum reuertitur. Qua re intellecta, quum alioqui Rex calleret artè dirimendi amicitias, vtilem sibi futurum esse vidēs eam factionem, cum exercitu propiùs ad Norman-

niam accedit. Qui erant ijs locis præfecti, complures in deditionem vltrò veniebant, vt ad eius gratiam receptum haberent. Et vt Britannum à fratre diuelleret, auxiliaq; detraheret, in colloquutionem cum eo venit, eò quòd inferioris Normanniæ loca quædam ille tenebat, de quibus, quum ex vtriusq; arbitrio cõstitutum esset, Britannus domum redit: ipse verò exercitum in fratrem educit: qui repentino bello perterritus, amissis iam aliquot oppidis & castellis, in Flandriam statuit profugere. Carolus, qui tum erat in Leodiorũ finibus, implicatus bello, per hyemẽ, dissidium hoc grauissimè tulit. Cupiebat enim in primis, vt Normannia suum separatim haberet principem. sic enim tertia ferè parte videbat imminutam esse regis potẽtiam. Cõducit igitur copias, quæ præsidio essent Depæ, maritimo Normanniæ oppido, decem à Rothomago milliaribus. verùm antequã adducerentur, eius loci præfectus paciscitur, atq; ita Normanniam rex omnem recuperat, præter ea loca, de quibus inter ipsum & Britannum certis conditionibus anteà conuenerat. Normannus, vt suprà dixi, constituerat in Flandriam sese recipere, sed intereà sarta fuit inter eum & Britannum amicitia. videbant enim vterq;, quemadmodum hac simultate fortunas suas omnes & facultates in discrimen adduxissent. Est sanè

difficile

fficile admodum, vt qui sunt æquali potentia rincipes, diuturnam colant amicitiam, nisi aiori alicuius authoritate cohibeantur: eius ei multa ipse vidi & cognoui documenta. Sic nim est inter hom ines comparatum, vt facilè ıscipiant inimicitias, neq; respiciant ad eum, ui ferè comitari solet, tristẽ & luctuosum exi-ım. Mea sic est sententia, vt existimem, eum, ui solus in potestate habet decem hominum illia, magis esse metuendum, quàm decem onfœderatos, qui singuli senis millibus præ-ınt. Nam quia nullius hîc est præcipua vel sin-ularis authoritas, multa quotidie in disceptа-onem incidunt, & antequam aliquid consti-uatur, prætereunt ferè occasiones. Norman-us, amissa ditione sua, quum ipsius familiares ropè omnes regi sese dedidissent, ad Britãnum roficiscitur. Prouerbio dici solet de Britannis, uòd icti sapiant: illud hîc locum habet. Inter egem & Principes vltrò citroque crebri com-ıeabant nuncij, partim, vt de rebus, quæ gere-antur, cognoscerent, partim vt ad defectio-em aliquos sollicitarent: alij etiam, vt res tur-atas componerent, & hi quidem minùs pru-enter. nimis enim erant circumspecti, & d rem suam intenti Rex atque Carolus. Sed st quoddam genus hominum, qui sibi per-uadent ipsi, explicare se posse negocia, quæ

tamen cuiusmodi sint, magna sæpe ex parte ignorant, eò quòd ij, à quibus emittuntur, non semper se patefaciunt illis totos. Et sicut Principes prouidere debent diligenter, quibus hominibus rerum tractationem committant: ita quoque vicissim illi, qui mittuntur, debent explorare suas vires, neque munus vllum, cui se putent esse impares, subire. Nec enim paucos noui, magnos alioqui viros, qui similiū rerum tractationibus adhibiti, summam offenderunt difficultatem. Sunt omnino duo genera Principum: alij tam sunt acuti & suspicioſi, vt vix ægrè sustineri possint. ferè enim est, vt se circumueniri putent & ludificari. Alij, suspicionibus quidem non indulgent, verùm ingenio sunt ita stupido & ignauo, vt quid vtile sit, quid minùs, non intelligant: atque in his parum est constantis animi, facilè enim & ab amicitia discedunt, & ab odio transeunt ad amicitiam. Et quanquam illaudatum est vtrunque genus, vt in quo non possis acquiescere, cum priori tamen illo malim mihi rem esse, quia multæ sunt rationes tuendi se apud illos: cum altero nihil rectè perfeceris, eò quòd ipsi rerum omnium securi, in suos familiares omnia reijciunt. Rex impeditum videns Carolum bello contra Leodios, moliebatur semper aliquid aduersum Britannos, & ipsis quoque Leodijs auxiliorum aliquid

uid ſummittebat. Id animaduertens Carolus,
abat operam vt ſocios defenderet: ac nonnun-
uam de inducijs cum Rege paciſcebatur. Ad
oc ferè tempus captum fuit Dinantum, quod
ſt in Leodiorum finibus oppidum, ad Moſam,
alde munitum & locuples. Philippus Caroli
ater, etſi ætate confectus erat, voluit tamen ad
bſidionem eius vrbis deferri lectica. Propter
nſignem enim atrocitatem eius populi in Bur-
undiones, oderat eos infeſtiſſimè. Nam & per-
etuis incurſionibus vexauerant anteà Bouil-
os, qui ſunt ad alteram fluminis ripam, Bur- 1466.
undici imperij: & recens per octo menſes du-
ſſimè illos circumuallerat, ita quidem, vt mi-
eri, tormentis & alia vi maiori coacti, abderent
ſe in loca ſubterranea. cumq; ſint planè vici-
æ hæ duæ vrbes: dici tamen non poteſt, quàm
cerbè & hoſtiliter inter ſe diſſideant, atque id
ò mirabiliùs eſt, quòd matrimonia inuicem
oniungunt, quoniam ab aliis oppidis ſunt ali-
uantò remotiores. Anno ſuperiori, priuſquam
uerterentur quo tempore Lutetiam venit Ca-
olus, pacem fecerant cum Philippo, & pecuniæ
umma aliqua perſoluta, diſceſſerant à fœdere
eodiorum, & ſua ſeparatim negocia tracta-
ant, quod ipſum erat indubitatum interitus
oſorum veluti præludium quoddam. Quoties
nim illi, qui fœdere coniuncti ſunt, ſeceſſio-

nem faciunt,& se dissipari patiuntur, dubitari ampliùs non debet,quin paulatim omnes cladem aliquam accipiant, idque pertinet tam ad principes quàm ad ciuitates: & quoniam eius rei plurima existunt documenta, longiori sermone nihil est opus. Omniũ verò mortalium optimè calebat Ludouicus rex artem dirimendi societates atque fœdera,in eoque non parcebat vlli vel sumptui vel labori,modò perficeret quod vellet. neque verò Principes tantùm,verùmetiam familiares ipsorum sollicitabat. Nõ multò pòst pœnituit Dinantenses eius pactionis,ideoque de quatuor ciuibus, qui illius consilij Principes fuerant, graue sumpserunt supplicium, redintegrato bello, quod vicinis Namurcis inferebant. Circumsedit igitur eos Philippus,sed bellum gubernabat Carolus. Venerat eò Sanctopauli Comes, Galliæ Connestablius, vt eis opem ferret, non quidem iussus à Rege,verùm sua sponte,coacta militum manu in finibus Picardiæ. Octauo die postquam tormentis admodum fuissent oppugnati,fecerunt eruptionem,sed non absq; summo detrimento,ita quidem vt socijs ipsorum deesset spaciùm auxiliandi. Captum enim oppidum solo fuit æquatum,& qui à cæde supererant,circiter octingenti captiui,è regione, & in conspectu Bouillorum,in flumen præcipitati submergebantur.

Atrox

trox admodum fuit ista vindicta, sed credibile
st diuinitùs accidisse, propter ante actam ipso-
um crudelitatem in vicinos. Postero die Leo-
iorum maxima venit manus, vt illis esset sub-
dio, planè contra datam fidem. nam ex pacto
iscesserant ab ipsis. Confecto eo bello, Philip-
us ob grauem ætatem domum reuertitur,
Carolus cum exercitu in Leodios proficiscitur.
Occurrimus autem illis opinione citiùs, eò
uòd primum nostrum agmẽ aberrasset à via,
& tametsi diei tempore excludebamur, tamen
nstruimus aciem. In hoc ipso tempore legati
eniunt ad Carolum, oratum, vt ignoscat mul-
tudini. Ipsi verò Leodij præ se ferebant desi-
erium quoddam & ardorem pugnæ, neque
idebantur idem sentire quod legati, veruntа-
nen vltrò citroque missis nuncijs, Carolus his
onditionibus paciscitur, eosque recipit, vt an-
i superioris pactiones seruent, vt certam pe-
uniæ summam dependant, vt trecentos den
bsides ante horam octauam insequentis diei,
orum nomina fuerunt scripto comprehensa.
uit ea nocte valde à nobis trepidatum, quòd
eque munitiones vllas haberemus, & longio-
i interuallo essemus dirempti, loco valde ini-
uo, quúm & hostium copiæ essent pedestres
mnes, & loci naturã optimè tenerent. Ex ipsis
leriq; cupiebant nos adoriri, nec absq; causa,

meo quidem iudicio, sed qui fuerant pacificationis authores, obsistebant. Prima luce cogitur omnis noster exercitus, cataphractorum circiter tria millia, sagittariorum ad quatuordecim millia, & peditatus mediocris ex vicinia collectus. Expediti contendimus ad illos, accepturi promissos obsides, vel nisi darent, prælio dimicaturi. Postquàm eò ventum est, offendimus eos dispersos, absque ordine, vt fieri solet in populo, qui nullo continetur imperio. Iam multus erat dies, quum obsides nondum dedissent. Carolus perquirit sententias quid sit agendum. Burgundiæ Mareschallus primus omnium rogatus, ait, impetum in eos debere fieri, facilè citra periculum posse profligari, & ipsos adeò in culpa esse, qui datam fidem non seruassent. Proximus Contæus, ea comprobata sententia, magis etiam inuestigat: pulchriorem offerri non posse vllo tempore occasionem, & simul demonstrat, quemadmodum nullo ordine, & sine timore vagarentur: non esse igitur diutiùs morandum. Conneſtablius contrà suadebat, si illos adoriatur, fore, vt existimationis & honoris iacturam subeat, tantam hominum multitudinem, in re tam ardua, non posse tam facilè statuere: mittendum esse potiùs legatum, qui de voluntate ipsorum cognoscat. Carolus diu multumq; nunc in hanc nunc in illam

llam partem fluctuat: hinc ſtimulabat eum
us in illam gentem odium, quàm facilè poſ-
deleri totam videbat: illinc mouebat eum
dor & honeſtas. Tandem mittitur legatus: ei
itinere obſides fiunt obuij. Conneſtablij ſen-
ntiam valde improbabant milites propter e-
otam prædam. Leodium continuò mittun-
legati, vt pacificationem illi confirmarent.
lgus hominum, vt eſt leue & incõſtans, præ-
alia multa, quæ proteruè in legatos admiſe-
nt, hoc quoque dicebant, Carolum non fuiſ-
uſum concertare prælio. His rebus perfe-
s, in Flandriam redit, & ad hoc ferè tempus è
a diſceſſit ipſius pater Philippus. Agitabatur
nper aliquid inter Principes. Rex iratus erat
Carolo & Britanno, inter quos difficilis erat
mmeatus propter itinerum impedimenta, &
li quidem tempore, non niſi per mare &
ngliam patebat tranſitus, & à Caletis ad Ca-
um, niſi per ambages, & cum periculo veni-
non poterat. In his rerum difficultatibus,
m nunc bellum geritur, nunc induciæ fiunt,
nc alij in alios intenti ſunt, & ſuos quiſque
ios in pacificationibus comprehendunt: hoc
neficij Deus præſtitit Galliæ, vt factionibus
bellis ciuilibus Anglia diuexaretur. Nam a-
qui Gallia dubio procul in magno fuiſſet
crimine. Rex totus in hoc erat, vt Britãnum

debellaret, eò quòd ad iniuriam videretur esse opportunior, & quòd suis hostibus præberet hospitium, in primis autem fratri, multisque alijs, quorum in Gallia non leuis erat authoritas. Sollicitabat igitur omni ratione Carolum, egregijs propositis conditionibus vt fratrem atque Britannum desereret, atque vt faciliùs hoc impetraret, pollicetur se quoque Leodios, & alios ipsius aduersarios deserturum esse. Verùm Carolus ijs omnibus repudiatis, exercitum in Leodios iterum educit, qui pacem nuper factam violauerant, tametsi dedissent obsides, ea quidem conditione, vt si quid contra pactiones facerent, integrum esset ipsi supplicium de illis sumere. Dum Carolus apud Louanium copias cogit, Regis legati, Conneſtablius, qui iam totum sese dederat Galliæ, & Cardinalis Baluensis, cum eiusmodi mandatis eò veniunt. Leodios esse comprehensos in inducijs, quòd si bellum in eos moueatur, Regem ipsis non defuturum: veruntamen si patiatur, Britanno bellum ex Gallia inferri, discessurum esse Regem ab eorum defensione. Carolus ad hæc respondit, nõ se belli authorem esse, verùm Leodios, qui pactas inducias violassent: vt autem socios & cõfœderatos prodat nullã esse iustam causſam. Eo dato responso, discedentibus iam legatis, clara voce dicebat, orare se Regem, ne quid

ne quid in Britannia moueret. Tum Connetablius, qui paulò magis vrgebat: Tu verò, inquit, optione data, non eligis alterũ, sed vtrumque tibi sumis: bellum vis inferre quibusuis ero tuo arbitratu, nostris etiam amicis, & confœderatis: atque intereà iubes, vt ocioſi ſpectemus, nec hostem vlciſcamur: fieri ista non possunt, neque Rex admissurus est. Ad hæc Carolus, Hostes, inquit, coactis copijs exeunt, & opinor intra triduum mihi dimicandum esse, quòd si me vinci contingat, facietis quod erit ex vsu vestro: sed si prælio sim superior, non inestabitis Britanniam, atque ita legati discedunt. Carolus Louanio digressus cum insigni exercitu, obsidione cingit Centrones oppidum. Sed antequam eò veniret, conuocato concilio, deliberauerat, quid de obsidibus statuendum esset. Dicebant aliqui necandos esse, Conæus in primis, cuius sententia præter morem & ingenium ipsius, visa mihi fuit admodum atrox. Optimum igitur est, vt Principes multorum audiant sententias. Sæpe enim accidit, vt prudentes etiam viri labantur, & errent in dicendis sententijs, quando vel gratia, vel odio, vel æmulatione quadam impulsi, diuersum ab alijs dicunt. Deinde non semper sumus eodem animi vigore. nam quæ fiunt à prandio consultationes, inter decreta referri non debent.

Quòd si quis putet, eos, qui sic aberrant & labuntur, non esse Principum adhibendos consiliis: ille meminerit, neminem esse omnium hominum, qui non fallatur aliquando, atque ex affectibus aliquid agat. ideoque in magno deliberantium numero hoc boni est, quòd aliqui semper existunt, qui quod ab alijs peccatum est, emendant atque sanant. In hoc concilio quidam, præiudicio Contæi decepti, sequebantur eius sententiam, quòd magnæ esset authoritatis. Nam in omnibus ferè conuentibus non desunt, qui nihil quidem ipsi pronunciant, sed aliorum iudicia, etsi nihil intelligant, sequuntur, eoque ipso placere sæpe student & gratificari ei, quem vident in illustri loco positum esse. A Contæo rogatus Imbercortus Ambianus, vir nobilis, & singulari virtute, ait, in primis cauendum esse, ne Deus aliquo scelere offendatur: debere Carolum ita se comparare, vt hoc vno facto clarum faciat, & demonstret omnibus, quàm non sit aut crudelis, aut vindictæ cupidus. Sibi videri dimittendos esse obsides, qui suorum fidem sequuti, pro salute patriæ in discrimen venissent. Abeuntibus autem illis declarandum esse beneficium, quo sint affecti, & mandandum, vt modis omnibus hortentur suæ ciuitatis populum ad æquitatem & pacem colendam, quod etiamsi non impetrent, vt

tamen

amen ipsi memores accepti beneficij, non su-
nant arma, vel in Carolum, vel in Episcopum
ùum. Hæc sententia quum in concilio vicis-
èt, liberati obsides, fidem dabant, se satisfactu-
os esse mandatis. Tum & illud additum fuit,
uòd si qui deprehenderẽtur ex ipsis vllo tem-
ore, cum armis aduersus Carolum, magno id
orum capitis periculo futurum. Posteaquàm
Contæus tam atrociter dixisset in miseros ob-
ides, qui simplicitate persuasi, in eas angustias
euenerant: ex nostris quidam ad me tacitè:
Vides, inquit, Contæum, licet ætate sit grauis,
rma adhuc esse valetudine, sed ausim affir-
nare, quandoquidem adeò crudeliter senten-
am dixit, intra annum esse moriturum. Atq;
a quidem accidit, sed ante mortem Principi
io bonam operam nauauit, vt posteà sum di-
turus. Erant in eo oppido, quod obsidebatur,
eodienses ad tria millia: ijs præerat vir qui-
am nobilis, egregia virtute, is ipse, qui de pa-
e legatus ad nos venerat, quum obuios illos
aberemus, vt suprà diximus. Tertio obsidio-
is die, Leodienses ad triginta circiter millia,
edites omnes, præter quingentos equites,
um maxima vi tormentorum, auxilio illis
enerunt, paulò sub meridiem. Aberant à no-
is ad dimidium milliare, in quodam vico,
uem ab altera parte alluebant paludes: vnà

cum ipsis erat Franciscus Roietus, legatus Regis. Illico propiùs ad nostras munitiones excurrunt. in hoc enim errauerant nostri, quòd potiores equites longiùs emisissent, & de hostium aduentu primùm ex pabulatoribus nostris cognouimus. Carolus eo die, præter morem & consuetudinem optimè distribuit exercitum. Cohortes enim aliquot, & inter hos circiter sexcentos Anglos ad obsidionem reliquit: ad vtrumque latus vici disponit mille ducentos cataphractos: ipse paulò longiùs, è regione, cum octingentis cataphractis & sagittariis, & magno peditum numero consistit. Primam aciẽ ducebat Raueſtenus, pedites omnes. Hi quum venissent ad oram fossarum, quæ & latæ erant, & altæ, & aqua plenæ: telorũ multitudine hostem reiiciunt, occupatis fossis & tormentis: sed quum nulla iam nostris tela superessent, illi redintegrato animo, prælongis hastis impetum faciunt in nostros sagittarios, occisis in eo temporis vestigio circiter quingentis, ita quidem, vt ad fugam nostri propemodùm spectarent: verùm in eo rerum statu; Carolus iubet progredi reliquam manum sagittariorum, quibus præerat Cordœus. Hi magnis animis hostem adorti, primo statim concursu profligant. Equites nostri, qui ad latera vici erant dispositi, & Carolus etiam, ex eo

loco vbi constiterant, impediti paludibus, vim
llam inferre hosti non poterant, sed hoc so-
ùm expectabant, vt si primo nostro agmine
pulso, & superata fossa, in planiciem illi venis-
ent, exciperent eos. Disiecti igitur illi à nostris
agittariis, fugiunt per loca palustria, & præ-
erquàm pedites, nemo consectabatur eos. Ibi
Carolus cohortes aliquot equitum emittit, qui
persequantur: sed ij paludibus tardati, cogebã-
ur longiùs oberrare, superueniẽs deinde nox,
ericulo multos eripuit. Carolus posteà ma-
gno per oppidum audito fremitu, veritus eru-
tionem illorum, nouas eò mittit equitum co-
ortes. Id quod metuerat accidit. Ter enim
onati eruptionem facere, reiecti sunt. Qui
non profugerant, collecti denuò circa muni-
iones, aliquantulùm restiterunt. Deside-
ata sunt in eo prælio ad nouem millia:
quòd nisi nox persequendi finem fecisset,
dita fuisset multò maior cædes. His rebus
eractis, Carolus multa iam nocte redit in
nunitiones cum toto exercitu, præter mil-
e & ducentos equites, qui ad duo milliaria
rogressi, persequebantur fugientem ho-
tem, quem propter interiectum amnem a-
oqui non potuissent assequi, tametsi tene-
ris impediti, nihil magnopere efficiebant.
o. die Carolus egregia vsus est opera Contæi,

in instruenda acie, ab eoq; prælio paucis pòst diebus è vita ille decessit, cùm in obsides adeò fuisset asper & implacatus, vt suprà docuimus. Depositis armis, Carolus scribam accersit, dat literas ad Conneſtablium, & alios Regis legatos, qui ante quatriduum ab eo discesserant, nunciat cæsum & profligatum esse hostem, ideoq; petit, ne qua vis inferatur Britanniæ. Biduo post prælium, oppidani obsessi, quòd arbitrarentur cædem suorum esse multò maiorem, deditionem faciunt, & decem ex omnibus viros dant in potestatem Caroli. De his supplicium capitis sumitur, ex ijs erant sex, qui quum recens fuissent obsides, beneficio Caroli sub conditione fuerant dimissi, vt diximus. Est sanè res plena periculi, dimicare prælio, propter incertissimum euentum. Nam etiam vt modica sit accepta clades, fieri tamen non potest, quin aliqua fiat rerum conuersio, partim metu hostium, partim contemptione & despectu illius, qui infœliciter pugnauit: oritur fremitus & indignatio militum, qui & magnis iacturis conciliandi sunt. Optimum igitur est, vt qui prælium aduersum fecit, contineat se quantum fieri potest, intra suas munitiones, & experiatur, si qua ratione non difficili possit recuperare amissam gloriã, vt suis animum addat, & eos metu liberet. Dici enim

non

non poteſt, quantas ſecum incommoditates trahat aduerſum prælium: vbi qui victoriam adeptus eſt, authoritatem ſuam amplificat, & facilè quiduis impetrat, & militè habet ad quęuis obſequentiorem. Sed à victoria præſtanti quadã opus eſt moderatione ac temperantia, ne quis proſpero fortunæ curſu fiat inſolẽtior, & ea deinde conſilia ſequatur, quæ ad præcipitium deducunt, id quod nõ paucis florentiſſimis viris accidiſſe conſtat. Carolus, in deditionem acceptis Centronibus, Tongros obſidet, qui & ipſi quòd infirmum eſſet oppidum, non expectata vi vlla maiori, deditionẽ faciunt, traditis etiam in poteſtatẽ illius decem viris, inter quos & ex obſidibus aliqui erant. De his quoq; ſumptum eſt ſuppliciũ. A Tongris contendit Leodium. Diuiſa erat ciuitas: nonnulli reſiſtendum eſſe putabant: alij, quòd viderent omnia circùm incendijs arq; depopulationibus vaſtari, pacem dicebant eſſe redimendam. Vbi propiùs ad vrbem ventũ eſt, initæ ſunt aliquæ rationes pacis, eoq; rem deduxerunt quidam ex priorum obſidum numero, memores accepti beneficij, vt ex primarijs ciuibus trecentos adducerent, cultu corporis miſerabili, qui ad Carolum delatis portarum clauibus, in fidem ac poteſtatẽ eius ſeſe dabant, ea lege, vt ab incendio & direptione abſtineretur. Erant tũc apud

Carolum legati Regis, missi vt idem quod antè à Conneſtablius, ſollicitarent. Quo die cum Leodiis tranſactum fuit: Carolus ingreſſurum ſe putans in vrbem, præmiſit Imbercortum, qui quòd ei ciuitati aliquando præfuiſſet, acceptus erat multitudini. Is quum non admitteretur, in vicinam Abbatiam, ſeſe recipit cum ducentis circiter militibus, in eoque numero & ipſe eram. Nunciabat ei Carolus, quòd ſi tutò ibi eſſet, ne diſcederet: ſin minùs, vt in caſtra rediret. propter incommoditatem enim loci & vaſtiſſimas rupes non facilè poterat ei ſubuenire. Imbercortus, quoniam erat in loco munito, conſtituit ibi manere, & ex oppidanis, qui ſupplices venerant, vt diximus, quoſdam apud ſe detinuit certo conſilio, vt poſteà ſum dicturus. Noctu, ſub horam nonam, audimus pulſari campanam. Ad hoc ſignum oppidani conueniebant, & verebatur Imbercortus, ne conſilium inirent nos adoriendi. Certior enim factus fuit, eſſe quoſdam in vrbe potentes & locupletes homines, qui pacem repudiarent, & vera fuit eius coniectura. Nam hoc agebatur, vt nos inopinãtes opprimerent. Ibi tum ille: quod ſi poſſumus, inquit, ſuſtinere ipſos, & demorari ad mediam vſque noctem, ſalui ſumus, defatigati volent ſeſe reficere ex labore & vigilia, & qui ſunt infeſtiores nobis,

re pa-

re parum feliciter tentata, fugæ sese mandabunt. Atq; vt commodiùs perficeret, quod habebat in animo, ex oppidanis, qui cum ipso erant, duos emittit in vrbẽ cum mandatis & pacis conditionibus, eo consilio, vt intereà dum illi super iis rebus deliberarent, tempus extraheret. Est enim eius populi perpetua consuetudo, vt quoties grauioris rei aliquid allatum est, in curiam, ad sonitum campanæ, conueniant. Quum ciues illi duo, quos emisimus, ad portã veniissent, offenderunt magnam vim hominũ, quorum alii prælium, alij pacem poscebant. Ibi nostri legati, clara voce dicebant vrbis præfecto, adferre se nõ iniquas conditiones ab Imbercorto, Caroli legato. rectè facturos igitur, si in curia tributim collecti, de summa rei cognoscant. Placuit ea sententia, & continuò pulsatur campana, quo signo facilè intelligebamus eos occupari negocio. Nostri quidem legati nõ redibant: sed horã vnam pòst, multò quàm anteà maiorem fremitũ exaudimus ad portã. Confluebant enim eò maxima multitudine, & ex mœnibus proteruè multa, & iniuriosè in nos dicebãt. Imbercortus, quòd intelligeret nos in maiori esse periculo, quàm anteà, reliquos quatuor obsides emittit ad illos cum literis in hãc sententiã: Quo tempore ipse mãdato Caroli præfuisset vrbi, perbenignè se &

amanter ipsos tractasse, velle nunc quoq; se tota mente & animo prouidere, ne quod detrimentum ea ciuitas accipiat, cupere se modis omnibus ipsorum salutem, quam si consequi velint & retinere, opus esse, vt quemadmodùm fuissent pacti, Carolum in vrbẽ recipiant. Præter eas literas, ipsos etiam oppidanos, qui mittebantur, quæ dici vellet, edocuit. Qui quum eò venissent, patentes repererunt portas: pleriq; contumeliosis vocibus, & grauibus interminationibus eos excipiebant: alij, quò minùs audirentur, non repugnabant. Itaq; redierunt in curiam, quumq; notum campanæ sonitum denuò exaudiremus, valdè fuimus exhilarati, & paulatim iam remittebatur ille, qui fuerat ad portam, tumultus. Quum ad secundam vsque horam post mediam noctem deliberassent, placuit seruandas esse priores pactiones, & postero die vnam ex portis Imbercorto tradendam esse. Quo facto decreto, Rasius Lutrius, vir potens & nobilis, qui pacem dissuaserat, cum sua clientela omni profugit. Immoratus sum huic loco diutiùs, vt ostenderem, per eiusmodi rationes, quibus vsum esse videmus Imbercortum, magna sæpe pericula & incommoda posse declinari. Postridie prima luce ex obsidibus ad Imbercortum multi veniunt oratum, vt in curiam, vbi coactus esset populus, ve-

lus, veniat, & iureiurando ipsis caueat de incendio & direptione. Quod si faciat, fore, vti in portæ possessionem mittatur. Ea re priùs ad Carolum nunciata, proficiscitur in vrbem, & data fide, quam petebant, redit ad portam, eamq; mutatis custodibus, in suam potestatem recipit, & vexillum Caroli ad eam præfigit. Occupatas deinde tres alias portas, firmo præsidio munit. Erat id temporis Leodium vrbs florentissima, & valde frequens. Nam ex vicinis locis quamplurimi eò se receperant, sic, vt è superiori clade nullos viderentur desiderare. Non premebantur vllis angustijs rerum necessariarum, & hyems erat, & perpetui imbres, & ipsum alioqui solum eius regionis valde cœnosum. Nos autem in magna eramus difficultate & pecuniæ, & annonæ, neque decreuerat Carolus obsidere vrbem, & vt voluisset, non poterat tamen: & si per biduum modò sustinuissent illi, nulla re perfecta, temporis incommoditate, & rerum inopia exclusus, domum reuertisset. Hoc eò pertinet, vt demonstrem, Imbercorti maximam fuisse virtutem in huius rei tractatione, & haud dubiè gubernabat ipsius consilia Deus, eò quòd tam clementem & humanam sententiam dixerat pro miseris obsidibus, vt suprà docuimus. Eoque libentiùs ista commemo-

ro, quòd Principibus aliquando dolet, contuliſſe beneficium in aliquem, ſéque deinceps nõ tam faciles futuros eſſe dicunt, cùm tamen proprium ſit ipſorum munus, de quamplurimis benemereri. Malum igitur iudicium faciunt, qui ita ſentiunt. Nam eum, qui nunquàm circumuentus eſt, truncum eſſe dixeris, aut ſtipitem potiùs, quàm hominem, propterea quòd inter prauum & vitioſum, quid intersit, dijudicare non poteſt. Deinde, non omnes eodem ſunt ingenio, neque propter vnius aut alterius improbitatem intermittendæ ſunt bene de quamplurimis merendi occaſiones. Hoc tamen ſuaſerim, explorandum eſſe, cuiuſmodi ſint, qui beneficium petunt. nec enim omnes digni ſunt qui accipiant, & mihi quidem abſurdum quiddam eſſe videtur, hominem prudentem poſſe ingratum eſſe. Quamobrem optimum eſt, vt Principes adhibeant ſibi viros magna virtute præditos. Sic enim exiſtimabunt omnes, quandoquidem eiuſmodi virorum conſuetudine delectantur, ipſos quoque eiſdem eſſe virtutibus ornatos, &, vt paucis abſoluam, ſemper benefaciendum eſt aliis. Fieri enim poteſt, vt vnus aliquis, licet tenui ſit beneficio affectus, inſignem aliquam operam præſtet, & reliquorum ingratitudinem cumulatè reſarciat & compẽſet, cuius rei documentum

tum sumi potest ab istis obsidibus, è quorum numero, tametsi plerique omnes ingrati essent, & illiberaliter agerent: pauci tamen quidam, memores accepti muneris, hanc tantam rem, magna cum gloria Caroli & vtilitate perfecerunt. Postero die Carolus magnificè in vrbē ingreditur, prostrata ac diruta parte aliqua muri, & adæquata fossa. Stipatus erat duobus cataphractorū millibus, qui pedites erant omnes, & totidem sagittariis: magnam etiam manum in castris reliquit. Ipse equo vectus, ingreditur splendidè vestitus, quumque ad sacram ædem eius vrbis summam venisset, ex equo descendit. Commoratus ibi per dies aliquot, supplicium sumit de sex, qui erant ex obsidum numero, deque ciuitatis tabellario quodam, quem acerbè oderat, fert aliquot leges, & pecuniæ magnam summam imperat, quāsibi deberi confirmabat ex violata superiorum annorum pace: deinde tormenta omnia ipsis adimit & arma, turres etiam & mœnia solo æquari iubet: pòst domum reuersus, honorificè fuit exceptus à populo, præsertim autem à Gandauensibus, qui priusquā in Leodios proficisceretur, cum aliis quibusdam vrbibus ad rebellionem spectauerant: nunc verò posteaquàm victor rediisset, reuerenter ipsum ha-

bebant,& per primores ciuitatis,signa sua militaria Bruxellam vsq; deferri ad ipsum iusserant. Nam à morte patris, Carolus, quòd amari se crederet ab eius ciuitatis populo, solenniter, omnium primùm ad ipsos ingressus est, futurum sperans, vt si liberaliter ab eis haberetur, ad alias quoq; vrbes ea res magnam ipsi conciliaret authoritatem : sed postridie, quàm eò venit, in forum armati ciues confluunt. Eò tandem & ipse descendit, vt turbam sedaret, sed frustrà. Per totos enim octo dies ibi constiterunt, & inter alia, petebant sibi restitui omnia, quæ ipsius pater Philippus ademisset: deinde, vt singulæ opificum tribus haberent suum quæq; vexillum, vt antiquitus institutum esset. Quum aliud non posset, neque satis in tuto versaretur, temporibus coactus, largitur eis omnia, & quæ postulabant priuilegia, concedit. Mox illi in foro signa sua proferunt & affigunt, multò antè parata, non obscurè præ se ferentes, etiamsi non impetrassent ab eo, se tamen illa fuisse priuata authoritate recuperaturos. Dixerat anteà Carolus, fore, vt reliquæ vrbes Gandauensium sequerentur vestigia, & quia passim erant exorti motus, voluit ad eos primùm, à quibus diligi se putabat, proficisci, quò sic alias vrbes contineret. Prouerbio dicitur, Gandauenses amare quidem

quidem sui Principis filium, sed nõ ipsum Principem: ei dicto si fidem habuisset, non fuisset in eas redactus angustias. Proximè enim secundum Leodios, valde sunt mobiles & incõstantes, verùm hoc in ipsorum tumultibus boni, quòd Principi vim nullam adferunt: honestiores etiam ciues, vulgi leuitatem & inscientiam valde detestantur. Hanc illorum proteruitatem id temporis ferre cogebatur Carolus, ne belli daret occasionem tam suis, quàm Leodijs: interea tamen non dubitabat, quin si Leodios debellaret, facilè ipsos esset cohibiturus. atque ita quidem accidit. Parta enim victoria, proceres vrbis, pedites omnes, & vexilla, & priuilegia, & literas, quas Gandauo discedens coactus fuerat ipsis largiri, deferebant ad eum Bruxellam, vt dixi, magna circumfusa nobilium & legatorum multitudine, vt de ijs pro suo arbitratu decerneret. Ex ipsius fœcialibus quidam, iussus ab eo, detrahit signa de hastis, quibus erant alligata, atque ea deinde deferebantur Boloniam, quod oppidum à Caletis abest octo milliaribus, ad mare. Exhibitis posteà priuilegijs, Cancellarius, quod præcipuum ex ijs erat, & ad ipsorum administrationem pertinet, abrogat. Quum enim per omnes Flandriæ vrbes, Princeps magistratum constituat quotannis, & rationes ab eo poscat,

apud ſolos Gandauos, per hoc priuilegium ei non erat integrum, creare ſupra quatuor ſenatores: ipſi verò reliquum numerum implebant. & ſunt ea in vrbe viginti ſex omnino ſenatores, in quorum manu eſt, vel inſtigare populum aduerſus principem, vel in officio continere, & obſequentem efficere. Mulctatis ad eum modũ Gandauenſibus, reliquæ ciuitates, quòd nihil grauius admiſiſſent, data pecunia, ipſum placabãt. Ex qua vna re videre licet, quãtum in victoria poſitum ſit, & quam ſit periculi plenum facere aduerſum prælium. Non eſt ergo, niſi neceſſariò, dimicandũ, & ante prælium, de ſumma rei cogitandum eſt. Nam qui meticulosè aliquid faciunt & pauidè, melius ferè ſuis rebus proſpiciunt, & ſæpiùs vincũt, quàm illi, qui faſtuosè & ſuperbè progrediuntur, tametſi quum Deus aliquid decreuit, fruſtrà ſumitur omnis labor, vt in Leodienſium cauſa videri poteſt, qui, licet ipſis interdictum eſſet ſacris: obſtinatè tamen pergebant, neque probabilem vllam ſuæ inſolentiæ cauſam adducere poterant, ſed ſublati facultatibus intemperanter agebant. Quo in loco, in mentem mihi venit prouerbium quoddam Ludouici Regis, qui dicere conſueuit, dedecus & detrimentum, eſſe comites ac veluti pediſſequas ſuperbiæ. Iis rebus Bruxellæ confectis,

Carolus

Carolus Gandauum sub armis profectus, honorificentissimè fuit exceptus. patefecerant ei partem aliquam vrbis, vti militem pro suo arbitratu vel emitteret, vel introduceret. Interea veniunt ad ipsum à Rege multi legati, sed & à Britanno: ipse vicissim ad vtrosque mittit. Rex in primis cupiebat, ipsius voluntate bellum in Britanniam inferre. Quum impetrare non posset grauiter tulit, præsertim quum ille suos confœderatos atque socios Leodienses perdomuisset. Impatiens igitur moræ & ocij prima æstate exercitum in Britanniam mittit, occupatis ibi duabus arcibus. Normannus illicò & Britannus opẽ Caroli implorant. Conductis igitur copiis, quanta potuit celeritate; & missis ad regem literis, petit, quoniam vtrique & confœderati sui essent, atque in induciis comprehensi, vti à bello & iniuria abstineret. Accepto minùs commodo responso, Peronã cum exercitu proficiscitur, quumq; per triduum esset ibi commoratus, venit ad eum Cardinalis Baluensis, à Rege, qui tum erat Compendij, oppido Picardiæ, cum mandatis aliquot & pacis rationibus. Is inter alia dicebat, fieri posse, vt illi separatim, ipso excluso, cum Rege paciscantur. Nam eò spectabat Rex, vt societatem dissiparet. per eundem Carolus nunciat Regi, quòd copias collegisset, id se

ſperans, vt Carolum planè ſibi deuinciret, primùm, quòd ipſius frater & Britannus eum deſeruiſſent: deinde, quòd accepta pecunia delinitus erat. Per hunc ipſum igitur, & huic adiunctum Cardinalem Baluenſem denunciat, quantoperè cupiat cum eo colloqui. Carolus autem, qui tum erat Peronæ, non admodùm huc inclinabat, eò quòd Leodienſes darent nō obſcuram ſignificationem rebellionis, incitati à Regis legatis, vt id facerent ante inducias, quæ in paucos dies pactæ fuerant. Cardinalis reſpondit, Leodienſes, quorum turres ac propugnacula eſſent ab ipſo deiecta, qui tormentis omnibus & armis eſſent diſpoliati, nihil talè molituros, & vt maximè velint, non auſuros tamen, vbi conſpexerint hanc ipſorum collocutionem & amicitiam. Aſſenſit tandem Carolus, vt Rex, quoniam ita vellet, Peronam veniret, ſimul fidem dat, vt id ei tutò liceat: deinde, vt Leodiorum motus componeret, Epiſcopum eius vrbis, propter quem ortum fuit diſſidium, & Imbercortum, eò miſit.

PHILIPPI COMINÆI COMMENTARIORVM LIBER TERTIVS.

REx igitur ad constitutum locum venit, paruo comitatu, sequutus fidem Caroli cui totum se permisit. Erant cum eo Borbonius, & eius frater Cardinalis, & alter Baluensis, & Connestablius, qui collocutionē hāc ægrè tulit. Iam enim ferocior erat factus, neq; Carolum, vt anteà, reuerebatur. Aduentanti Regi, Carolus obuiam progreditur, & hospitium præbet apud quæstorem oppidi, eò quòd arx angustior erat & ruinosa. Facile quidem est, & procliue, vt inter potentes Principes bellum excitetur, sed ob diuersitatem rerū, quæ incidunt, vix magna difficultate componitur. Nocere enim quisq; studet aduersario suo, quantum potest, & celeres plerumq; sunt in eiusmodi rebus animorū motus, qui postea quàm semel in actionem transierunt, sisti non possunt aut reuocari. Quod ipsum Regi videmus & Carolo euenisse, qui, quum subitò, & contra plurimorum expectationem, in colloquium venirent, suis legatis, quos aliò miserant,

rant, nihil eius rei significauerãt. Carolus enim è Burgundia copias euocauerat, in ijsq; nobiles aliquot erant Sabaudi, infestiores Regi, quòd ab eo fuissent aliquando in carcerem coniecti. Et quo tempore Peronam Rex venit, isti etiam aderant: Burgundiæ verò Mareschallus, quòd & ipse Regem valde odisset, extra oppidũ sese continuit cum suis cohortibus. Ea re nunciata, Rex orat Carolũ, vt sibi liceret in arcem diuertere, quò periculũ vitaret. Carolus, confirmato eius animo, libenter morem gerit. Sanè minùs prudenter faciunt Principes, quũ alterius potestati se permittũt, præsertim intercedente bello. Maximum itaq; momentum adfert historiarũ cognitio, iuuenilibus annis percepta. Nã extãt in ijs pulcherrimæ picturæ, quæ clarè demonstrant, quàm multa perfidè sæpe & insidiosè fiant in eiusmodi collocutionibus, & in quantas acerbitates aliquando coniecti sint multi, eò quòd suis aduersarijs nimiam habuissent fidem. Verum quidem est, nõ omnes perfidiosè agere, sed vnius calamitate complures fieri possunt cautiores. Quantũ enim lõgo rerũ vsu potui cognoscere, qui iã per annos duodeuiginti versatus in maximis Regũ negotijs: equidẽ sic arbitror, quẽadmodũ & vitę diuturnitate, & robore corporis multò sum⁹ inferiores priscis illis hominibus: ita quoq; ab ipsorũ

fide & integritate permultùm nos degenerasse. Vix enim est, vt prouidere sibi aliquis diligenter satis possit, quò minùs fallatur, & quò sunt potentiores Principes, eò maior est insidiis & improbitati locus. Nam & sua quadam sponte illi eò propendent, vt quod libet, licere sibi putent, & qui sunt circum ipsos, quoniam aucupandæ modò gratiæ sunt intenti, planè seruiunt illorum cupiditatibus, & si quis ad meliorem frugem aliquando hortetur magnas tempestates excitat. Temperare mihi non possum hoc loco, quin grauiùs aliquid dicam in principes imperitos & ignauos. Habent sibi plerique familiares aliquot iurisperitos, & quosdam, qui longiori veste discernuntur ab aliis: & rectè quidem, quum sunt viri boni, sed periculosè admodùm & magno cum detrimento, quando sunt vitiosi. Cuiuscunque rei sermo inciderit, illico legem aliquã aut historiam adferunt, plerunque & sæpenumerò præter rem, dum ad suum sensum & affectum omnia detorquent, idq; eò crebriùs faciunt & audaciùs, quum Princeps ipse nullam habet rerum cognitionem, qui si vel ingenio valeret, vel librorum lectione quæsitam haberet aliquam prudentiam, non temerè circumueniri posset, nec sic ludificationibus aliorũ esset expositus. Hoc enim certò statuendum est,

Deum

Deum non condidisse regna, vt gubernarentur ab hominibus ineptis & stolidis, qui friuola quadam & misera iactatione solent dicere, se, quòd vsum literarum non habeant, suis familiaribus & necessariis omnem actionem committere, ac deinde, nulla probabili adducta ratione, cur ita loquantur, totos sese dedunt voluptatibus. Quòd si bene fuissent à teneris annis educati, longè aliam viam ingrederentur, & hoc darent operam, vt homines bene & præclarè de ipsis sentirent. Neque tamen hoc eò dico, quasi omnes Principes suis negociis praua ingenia præficiant. Nec enim desunt qui verum iudicium faciunt, & prudenter sibi deligunt optimum quemque, cuius vtantur opera. Qua quidem in re, maximè prouidus ac diligens erat Ludouicus Rex. Nam qui virtute aliqua singulari præditi essent, eos magno in honore habuit: mediocriter ipse erat literatus, &, quod præcipuum est, ingenio valebat & sensu communi, quæ quidem facultas omnem aliam cognitionem antecellit, labore & industria comparatam. Omnes enim qui extant libri, præteritarum rerum continent monumenta, in iisque breui temporis spacio plus videri potest atque cognosci, quàm multæ hominum ætates ordine percipiant. Nulla igitur maiori clade populum Deus affligere pos-

sit, quàm si Principem ei præficiat stolidum & imperitum. neq; enim dici potest, quàm multa hinc oriantur incommoda. Nàm quia totus ab aliorum arbitrio ille pendet, neq; per se quicquam ipse gerit, nascuntur factiones, diuiditur populus, diuiditur Senatus & regni procetes: inde bellum nascitur, atq; ex bello rerum penuria, quam excipiunt deinde morbi, & varij generis ærumnæ. Iustã ergo & doloris & querimoniæ causam habet populus, cùm sui Principis liberos videt malè institui, & ab hominibus vitiosis educari. Suprà diximus de ijs, qui Peronam ex Burgundia venerunt. Carolus enim tempore exclusus, non habebat spacium remittẽdi illos, eò quòd iam erant in Campania, cùm inter ipsum & Regem ageretur de collocutione: ad quam posteaquàm vẽtum est, & aliquousq; facta esset progressio, grauis est allatus & intempestiuus nuncius è Leodiorum finibus. Nam cùm Peronam Rex iret, de suis legatis, quos Leodium miserat, seditionis excitandæ causa, non cogitabat, & hi quidem iniunctum sibi munus diligenter obibant. Instigati enim ab ipsis Leodij, Tongrorum vrbem, in qua tum erat Episcopus & Imbercortius, & circiter duo hominum millia ex insidijs capiunt, familiares aliquot Episcopi trucidant, ipsum & Imbercortium captiuos abdu-

abducunt. Inter eundum Imbercortus paciſcitur cum nobili quodam viro, in cuius fidem & poteſtatem receptus, multitudinis inſaniam euaſit, quæ tanta fuit, vt inter alios eccleſiaſtici ordinis viros & Canonicos, Robertum quendam, Epiſcopi neceſſarium, membratim conſcinderent, & per ludibrium deinde fruſta conijcerent alter in alterius caput: breuiter, quò longiùs progrediebantur, eò magis incruduit ipſorum furor. Certiores autem facti de collocutione Principum, Burgundionibus aliquot captiuis dimiſſis, præ ſe ferebant, quicquid eius rei feciſſent, aduerſus Epiſcopum modò feciſſe, quem & vinctum abducebant Leodium. Captis Tongris, pleriq; omnes profugerant: ij quacunque tranſibant, magnam excitarunt trepidationem, ita quidem, vt ad Carolum illicò perferretur nuncius. Dicebant alij, trucidatos eſſe omnes, alij contrà, & multi ſimul nunciabant, ex ijſque non pauci ſpectauerant cædem illam Canonicorum, & credebant in eorum numero fuiſſe & Epiſcopum, & Imbercortum. De Regis quoque legatis affirmabant, ſe vidiſſe illos, & qui eſſent, nominatim dicebant. Ea re Carolus vehementiſſimè fuit commotus, confirmans Regem inſidioſè agere. Iubet igitur claudi portas tam oppidi, quàm arcis, in qua Rex erat.

Intereà spargebatur rumor amissam esse pyxidem cum gemmis, aliisque rebus pretiosis. Rex in iis angustiis positus, valde sibi metuit, præsertim quum inspiceret turrim cubiculo suo vicinam, in qua Veromanduorum Comes aliquando necauit quendam Galliæ Regem. Clausis portis, Carolus, remotis omnibus, ad paucos, qui cum ipso eramus cubicularii, conuersus, inuitum se ac contra voluntatem suam ad eam collocutionẽ descendisse dicebat: Regem mala fide secum agere, eoque sui prodendi causa venisse. Et cũ deinde, quod apud Leodios acciderat, ordine recitasset: ita fuit exacerbatus, vt grauiter interminaretur, neq; dubito, quin atrociter aliquid facturus fuerit in Regẽ, nisi eorũ, quibus loquebatur, oratione fuisset mitigatus. A nobis trãsiit ad alios, & inter paucas admodũ horas ita fuit diuulgata res, vt ad Regẽ deferretur, qui sanè in maximo erat metu, sed & omnes iudicio præditi, tristẽ aliquem verebantur exitũ, & simul videbant, quàm sit difficile, pacificare tam potentes Principes: & quàm inconsideratè ab vtrisq; factũ esset, quòd suos legatos, antequam ad collocutionem venirent, non reuocassent. Imprudenter faciunt Principes, æquali potẽtia præditi, meo quidem iudicio, vt non semel anteà dixi, quòd in collocutionẽ ipsi descendunt: nisi fortè ea sint ætate,

vt præ-

vt præter iocos & ludum nihil ſpectent aliud. Nam poſteaquàm grandiores euaſerunt, & æmulatio aliqua cœpit inter ipſos oriri, quod ferè fit, non eſt conſultum, vt ipſi congrediantur: ac longè præſtat, vt controuerſias, & quicquid eſt negociorum, curent per legatos, viros bonos atque prudẽtes, componi: & quoniam multo rerum vſu compertum iſtud habeo, nõ grauabor quid viderim ipſe, commemorare. Ludouicus, paulò pòſt quàm ad ipſum delatum imperium, in collocutionem venit cum Henrico rege Caſtiliæ, qui ad Fontem rapidum acceſſit magno comitatu: venit etiam eò Regina Arragoniæ cui cum Henrico lis erat. Colloquio fuit delectus locus prope flumen, quod Galliam ab Hiſpaniis diuidit. Bis modò colloquebantur, neque prolixè admodùm, prorſus ex arbitrio Turbetenſis Archiepiſcopi, cuius apud Henricum erat ſumma authoritas. Ipſorum domeſtici famuli, qui Baionæ habebant hoſpitium, primo ſtatim aduentu inter ſe pugnarunt. Henricus erat deformior, & cultu corporis inuenuſto, & ridebatur à Gallis. Ludouicus breuibus vtebatur veſtimentis, & adeò neglectis, vt nihil ſuprà pileum geſtabat diuerſum ab aliis, & huic affixa erat imago plũbea. Hanc tenuitatem ridebant Hiſpani, & parſimoniæ tribuebãt, atque ita quidem tunc

discessum fuit, excitatis vtrinque ludibriis, & quum anteà fuisset inter vtrosque constãs amicitia, cœperunt ab eo tempore relanguescere. Eius, de qua dixi, litis ac controuersiæ Ludouicus Rex datus fuit arbiter: ac iudicauit secundum Hispaniæ Regem. Id grauiter admodum tulerunt Arragonij, qui tametsi ipsius opera deinde sunt vsi aduersum Barcinonenses: exortum est tamen posteà bellum inter eos quod annos sedecim durauit, & ne hoc quidem tẽpore satis est pacatum. Carolus quum diu sollicitasset, in Treuirorum vrbe, cum Friderico Cæsare, qui nunc rerum potitur, congressus est, atque vt opes, potentiãq; suam ostentaret, sumptuosissimus erat in omnibus. Agebatur ibi de variis rebus, & inter alia de matrimonio, quod postea contraxerunt ipsorum liberi. Post aliquot dierum collocutionem, Cæsar illinc abiit insalutato Carolo, eamq; rem secuta est animorum alienatio. Germani vituperabant luxum in Carolo, & genus dicendi paulò sublimius: Burgundiones contrà tenuitatem Cæsaris, & exiguum comitatum, & negligentiorem ornatum despiciebant, & eousque processit hæc æmulatio, vt aduersus Carolũ, quãdo Nouesium obsedit, maximam Germanorum manum Cæsar adduceret. Eduardus Angliæ Rex, apud Attrebates, per biduum fuit cum

Carolo

Carolo sororio suo. Dissidebant inter se ipsius familiares. Carolus, apud quem vtrìq; querebantur, in alteram factionẽ magis propendebat, eaq; res auxit illis odium. Et quanquam Carolus ipsum iuuabat milite, pecunia & nauibus, ad recuperandum regnũ, è quo profligatus tum erat à Comite Beruicensi: tamen ab eo congressu malè senserunt, & loquuti sunt alter de altero. Vidi, quo tempore Carolus Comitẽ Palatinum Rheni per complures dies honorificè tractabat Bruxellæ. Burgundiones dicebãt Germanos esse sordidiores in rebus omnibus, ideo potissimùm, quòd ocreas conijcerent in lectos cubiculares, splendidè magnificeq; paratos, & leuiùs multò quàm antea, quum nondum vidissent, de ipsis iudicabant. Germanis autẽ displicebat luxus ille immodicus & ostentatio. Vidi, quũ Austriæ Dux Sigismundus ad Carolũ venit, eiq; ditionẽ Pfirtensem, propinquã superiori Burgũdię oppignorauit, acceptis ab eo centũ aureorũ millibus, quũ ab Heluetijs illã defendere nõ posset. Erat inter hos magna & ingenii, & morũ dissimilitudo. Sigismundus tandẽ reconciliatus Heluetijs, ademit eã Carolo, neq; preciũ reddidit. Præsens erã, & coràm spectaui, cùm Rex & Eduardus prope Picennium oppidum, nõ procul ab Ambianis, cõuenirent, qua de re posteà sum plura dicturus.

Abstinuerunt quidē à bello deinceps, atq; etiā interiacebat mare, sed benevolentia nulla fuit inter eos, & quæ tum vtrinq; promittebant, magna ex parte violata fuerunt. Sic igitur existimo, debere Principes à congressibus abstinere, modò saluam esse velint & integrā amicitiam. Fieri enim non potest, quin ipsorum familiares de rebus anteactis loquantur, non absque molestia & fremitu alterius partis. Alij sunt aliis elegantiùs vestiti, nascitur ex eo ludibrium & iocus, atque ita fieri necesse est, præsertim inter eos, qui lingua & sermone & moribus differunt. Ex ipsis quoque Principibus, alij aliis sunt decentiores, & aspectu magis honesto. Iis iucundum est prædicari à multis, neque id fieri potest absque alterius, qui deformior est vituperatione. Dimisso conuentu, passim ab omnibus ista iactantur, initiò quidem tacitè & submisè, posteà verò palàm & clarè. Nihil enim propemodùm est ita secretum, quod non efferatur aliquando. Interea dum rex tenetur inclusus, vt suprà diximus, Carolus abstinuit ab eius colloquio, & ex ipsius familiaribus, qui in aliquo essent numero, pauci ad eum accedebant. Erat in oppido magnus admodùm fremitus primo quidem die: postridie fuit aliquanto mitior Carolus, totumq; ferè diem & partem aliquam noctis consul-

consultabat. In eo rerũ statu Rex per suos necessarios sollicitabat omnes, qui putabantur aliquid posse apud Carolum, in eosque distribui iussit ad quindecim aureorum millia: sed qui huic rei præfectus erat, eius pecuniæ partem aliquam fraudauit, quod posteà compertum est. Rex in primis metuebat illos, qui aderant ex Burgundia, Sabaudiaq; nobiles, de quibus antea fumus locuti. Iam enim illi suam operam, ipsius fratri, Normanniæ Duci se addixisse profitebantur. Conuocato cõcilio, sententias Carolus exquirit. Pleriq; dicebant, Regi datam fidem seruandam esse, præsertim, cùm ratas haberet pacis conditiones, scripto comprehensas: erant sententiæ, quæ detinendum esse in carcere censerent: aliæ, quæ fratrem ipsius celeriter euocandum esse dicerent, vt ipso præsente, pax constitueretur planè ex vsu omnium principum Galliæ. Sic enim fore videbant, vt ei ponerentur arctiores custodiæ, nec ignorabant, si quidem duriùs ad hũc modum haberetur, difficilem eius futuram esse liberationem. Ea sententia sic iactata fuit, vt videtim tabellarium, qui ad iter expeditus, Caroli tantùm literas expectabat: sed commutatum fuit consilium istud. Rex interea multis in medium adductis rationibus pacis, promittit dare obsides, Borbonium, eiusq; fratrem Car-

dinalem,& Conneſtablium, & alios complures, ac petit, vt facta pace, Compendium ſibi redire liceat: daturum ſe operam vt Leodienſes ei de iniuriis integrè ſatisfaçiant:ſin minùs, hoſtium numero ſe illos habiturum. Quos ille deferebat obſides, ij palam quidem præ ſe ferebãt,non recuſare: quid priuatim ſenſerint, ignoro, niſi quòd arbitror,ſi tum facta fuiſſet eis diſcedendi poteſtas, non fuiſſe reuerſuros. Erat ea tertia nox, quum veſtes non deponeret Carolus,& per interualla,nunc deambulabat, nunc in lectulum ſe coniiciebat,qui mos ipſius erat,quoties perturbato eſſet animo:& quoniam ex cubiculariis eram,vnà cum eo nonnunquàm deambulabam. Exorta luce,magis æſtuabat ira,quàm priùs, grauiterq;,interminatus, videbatur atrociter aliquid eſſe facturus. Paulatim tamen remiſſior factus, dicebat ſibi ſatisfactum iri:primùm, ſi Rex iureiurando confirmaret pacem.deinde,ſi ſecum in Leodios proficiſceretur,in eoq; bello, ſibi ferret opẽ, ad vlciſcendam iniuriam Epiſcopo ſuo propinquo ab illis illatam. Hãc eius voluntatem è veſtigio quidam enunciauit Regi, ſpem certam faciens, nullum ei fore periculum, ſi eas conditiones admittat:ſin autem repudiet, imminere ipſi diſcrimen longè maximum. Poſteaquàm ad Regem venit Carolus in cubiculum,

lum, incipit voce tremula: neque multum aberat, quin grauiter irasceretur. Gestu quidem corporis erat satis demisso: verùm sermo eius & vultus, asperitatẽ atq; offensionem magnã præ se ferebant. Rogat, an ratas habeat pacis conditiones anteà præscriptas, & an iurare velit? Rex benignè assentitur. nihil enim propemodùm erat diuersum ab ea pacificatione, quæ facta fuit anteà Lutetiæ, quantũ quidem ad Carolũ pertinebat. De fratre autẽ Regis ita conuenit, vt ei, loco Normanniæ, traderetur Campania tota. Rogat deinde, vellétne vnà secum proficisci Leodiũ, & sibi adesse cum auxilijs in vlciscenda perfidia, quam Leodienses, ab ipso instigati, admisissent aduersus Episcopum suũ, qui & ipsius esset propinquus? Ille respondit, post iureiurando sancitam pacem, quod in primis cupiat, iturum se cum ipso Leodium, eo quem vellet comitatu. Quo dato responso, valde fuit recreatus Carolus. Adferũtur illicò scriptæ pacis cõditiones, cumq; iusiurandũ interuenisset, magna fuit per oppidũ excitata lætitia. Rex aliquando me dignatus est eo honore, vt diceret, me bonã ipsi & fidelẽ operã in ea tractatione præstitisse. Carolus in Britanniã ista confestim enunciat, simul exẽplar mittit pacificationis. Normãnię ducis nõ erat pœnitẽda conditio, si quis ad superiorẽ ipsius cum

Rege transactionem respiciat. His rebus agitatis, digressi Perona, Rex & Carolus, Cameracum, & inde in Leodiorum fines peruenerunt sub hyemem, cœlo valde difficili & incommodo. Erant cum Rege Scoti stipatores: cataphracti verò pauci, quanquam deinde circiter ttecentos accersiuit. Exercitus Caroli bipartitus erat. Primam aciem ducebat Burgundiæ Maresschallus, erant in ea Luxemburgenses, Hannonij, Namurci, & Limburgij: cum reliquo agmine sequebatur ipse. Quum ad hostium fines peruentum est, deliberatur, quid facto sit opus. Suadebant aliqui dimittendam esse partem exercitus, primùm, quòd oppidani & turribus, & muro essent denudati, & spe omni auxilij carerent: deinde, quòd Rex, in quo magnum habuissent præsidium, ipse adesset. Eam sententiam Carolus reiecit, & magno quidem suo bono: minimùm enim aberat ab internecione, & quia suspectum habebat Regem, putabat non esse diminuendas copias. Parum sanè prudenter iudicabant eius consilij authores, quum se putarent viribus & potentia longè præstare. Fit autem non ratò, vt duces proponant eiusmodi sententias, vel quò videantur audentiores, vel quòd magnitudinem rei, quam agunt, non intelligant. Inest autem in vtroq; temeritas, & inconsiderãtia. Qui

tia. Qui iudicio valẽt Principes, eiusmodi consilia repudiant, in eoque magna fuit industria Regis. Nam vt lentus erat & timidior in arduis deliberationibus: ita quoque, simul atq; constituit aliquid, sic vndique se communiebat, vt vix vnquam falleretur, aut expectatione sua caderet. Præmissus est igitur Mareschallus, & vrbem, si posset, ingredi, sin minùs, vim facere iubetur. Iam enim ab hostibus nonnulli, pacificandi causa, veniebãt Namurcum vsq;, quod supra Leodium est oppidum prope Mosam, ad decem milliaria. Cùm essemus vrbi propinqui, tumultuosè eruptionem illi faciunt, sed absque magna contentione reiiciuntur. In his turbis euadit ipsorum Episcopus, & se nobis adiungit. Miserat eò Romanus Pontifex legatum, qui cognosceret de controuersia ciuium & Episcopi: verùm ille suæ legationis modum excedens, quòd eius loci Episcopatum ambiret, fauebat ciuium rebus, eisq; fuit author, vt sumptis armis, vim à sese depellerent: quumq; periclitantes videret, frustrà conatus profugere, captus fuit vnà cum suis familiaribus. Ea re nunciata, Carolus mandat ijs, qui ceperant, vt aliquò ipsum traducerent, & pecuniam ab eo, tanquam à mercatore quopiam extorquerent: quòd si palàm ad se deduceretur, cogi se honoris & officij causa, in gratiam Ecclesiæ Roma-

næ,illum libertati restituere. Inter eos, qui ceperant,natum est dissidium, cumque causam apud Carolum disceptarent, ille captiuum in suam fidem & potestatē accipit, & cùm honore etiam affecisset,omnia ei restitui iubet. Primum nostrum agmē, cui Mareschallus & Imbercortus præerant, Leodium contendunt læti,tanquam explorata victoria,& spē direptionis præferebant conditionibus oblatis, nec opus esse putabant,reliquas copias, quæ sequebātur,interiectis aliquot milliaribus, expectare.Celeriter igitur progressi, veniunt in suburbium.Nox erat,nec quò diuerterent, habebāt, & locus erat angustior, & nullis ordinibus errabant. Hanc opportunitatem conspicati hostes,qua parte vrbis prostrata erant mœnia, erumpunt,perq; vineas & colliculos impetum in nos faciunt,& seruulos, qui ad exitum suburbij seruabant equos, magno numero interficiunt,reliquis in fugam coniectis.Desiderati sunt à nobis in eo tumultu circiter octingenti, in ijsq; centum cataphracti.. Qui virtute præstabant, consociatis armis impetum demorātur & sustinent,cumq; signis militaribus contēdunt ad portam, vt reliquos eruptione prohiberent.Solum erat ex continentibus fluuijs valde cœnosum.Oppidani,confertissima multitudine, cum tædis & grandioribus lucernis

cogita-

cogitabant se foras eijcere, vt nos adorirentur: sed tormẽtis emissis in viã, quâ veniebant, & plurimis interfectis, nostri cogebant eos referre pedẽ, & occludere portas. Veruntamẽ, in suburbio totam noctem erat perpetuus tumultus, & postquã illuxit, omnino pulsi fuerunt, amissis aliquot ducibus. Eruptiones illæ, tametsi necessariò fiant aliquando: valde tamen sunt ijs, qui obsidẽtur, periculosæ. Nullam enim isti faciunt tam paruam iacturam, quin eis, & propter paucitatem ipsorum, & simul propter difficultatem recuperandi noua præsidia, longè maxima videri debeat. Quid actum esset, illicò nunciatum fuit ad Carolum, qui cum reliquo exercitu aberat ad quatuor milliaria. Principiò, ferebãtur omnes pariter esse trucidati, nihilominus ille progreditur: simul mandat, ne quid efferatur ad Regẽ. Vbi propiùs ad vrbem venit, ex diuersa parte lætior allatus est nuncius, opinione pauciores interijsse: nullum, qui in aliquo sit numero, interfectum: sed versari tamen militem in summis angustijs, eò quòd superiori nocte constitissent in acie, proximè ad portam, loco multùm lutoso & incommodo: redijsse quidem nonnullos ex ijs qui profugerãt, sed eos tam esse animo demisso & consternato, vt nihil præclari de ipsis sperari debeat: rogare duces magnoperè, vt acceleret,

quò ipsius aduentu, hostis, qui nunc confertim vno in loco prælietur, ad portarum & turrium defensionem distrahatur: nihil etiam superesse, quo fames tolerari possit amplius. His nuncijs acceptis, Carolus trecentos equites magna celeritate præmittit, qui & confirmarent eos, & cibaria, quæ subitò comparari poterant, deferrent. Iam enim per biduum cibo illi carebant, cœlo supra modum difficili & pluuio: quodque omnium erat molestissimum, vt in vrbem inuaderent, nulla spes erat, nisi Carolus hostem ab altera parte distineret. Ex nostris quamplurimi erant saucij, & inter eos Auraicæ Princeps, qui fortiter pugnauerat, & stationem suam egregiè tutatus erat, quum alioqui magna esset nostrorum trepidatio, & circiter duo millia profugissent. Carolus, ad quem ille nuncius sub vesperum allatus est, vbi rebus omnibus prouidit, quid actum esset, tunc demum recitabat Regi. Postquam ad suburbium venimus, è vestigio cataphracti & nobiles complures descendunt ex equis, & sagittarijs sese coniungunt: & capto suburbio, deligunt hospitijs idonea loca, propius vrbem. In ijs erant præter alios, Raueſtenus & Comes Rossius, Conneſtablij filius. Rex aliquantò longius aberat in villa quadam bene exædificata, stipatus magno suorum & nostrorum militum numero. Posita

ro. Posita est vrbs inter valles, solo admodum fertili, interlabente Mosa flumine, & tum temporis admodum erat frequēs. Inter nos & primum nostrum agmen, si per vrbem iter faceres, non erat magnum interuallum, sed foris propter ingentem circuitum, intererat iter trium milliarium, impedita via & fossis, & rupibus, & varijs anfractibus, locisque asperis & montuosis. Quoniam diruta erant vndique mœnia, oppidani facilem habebant eruptionem: propter soli verò duritiem & asperitatem nulla erant muniti fossa. Caroli aduentu valde fuerunt recreati milites primi agminis, quòd hostis iam cogeretur plures tueri stationes. Ad mediam noctem oritur tumultus in castris, & vndique ad arma conclamatur. Statim Carolus accurrit, neque multò pòst etiam Rex vnà cum Connestablio. Varius erat ibi clamor, & incertus, & pauoris plenus: cœli etiam obscuritas & tempestas metum augebant. In Carolo quidem non poterat vlla desiderari fortitudo vel audacia, sed maior aliquādo prouidentia: & sanè in eo temporis vestigio, non præ se ferebat illam animi præsentiam, quam plerique cupiebant, eò quòd rex coràm adesset, qui in ista trepidatione, quum videret illum remissiùs agere, cœpit imperare & prospicere, ne quid damni acciperetur, & conuersus ad

Conneſtablium: Recipias, inquit, te cum tuis cohortibus in eum locum (& ſimul indicabat) Nam ſi venturi ſunt, omnino ea parte erumpẽt. Sed vanus fuit iſte terror, & præter cauſam excitatus. Poſtridie Rex venit in ſuburbium, & diuertit in ædiculam, Caroli diuerſorio propinquam, vnà cum Scotis ſtipatoribus. Equitatus autem ipſius non procul aberat in quodam vico. Dum hæc geruntur, Carolus in magna erat ſollicitudine, & metuebat, ne Rex vel ad hoſtẽ tranſiret, vel priuſquã vrbs caperetur, profugeret, aut in ea propinquitate contra ſe moliretur aliquid. In vicino igitur horreo, quod medium erat inter ipſum & Regem, collocat circiter trecentos equites, qui pariete effracto, vt minori periculo, cùm opus eſſet, erumperent, diligenter obſeruabant, quid circa Regem ageretur, idque per dies octo, quo toto tempore ſub armis quieſcebant omnes. Pridie quàm vrbs caperetur, ſub noctem decreta fuit oppugnatio in poſterum diem, ideoque ijs, qui erãt in primo agmine, ad alteram vrbis partem, nunciatum fuit, vt ſimul atque tormentum vnum & alterum audiſſent emitti, eo ſigno dato, ſtatim ad oppugnationem accurrerent: Carolum in ſua ſtatione idem eſſe facturum ad octauam horam. His rebus procuratis, arma Carolus deponit, quod ante id tempus non fecerat:

1468.

erat: militibus etiam, præsertim illis, quos ad horreum disposuit, vt idem facerent, mandat, quò se nonnihil ex labore & vigilia reficerent. Qua re intellecta, oppidani constituunt ea quoque parte, sicut anteà fecerant aliunde, eruptionem facere. Atque hîc videre licet, quàm subitò Princeps aliquis in maximam calamitatem incidere possit, etiamsi modica sit hostium manus. Diligenter igitur omnia priùs, quàm ad actionem veniatur, deliberãda sunt. Carebant hostes omni externo præsidio, & quos habuerant viros fortes, ij vel occisi erant, vel vulneribus confecti: portis etiam, & castellis, & muro, & fossa, & tormentis erant prorsus denudati. Ex vicina solùm regione, vocant Francemontium, collegerant circiter octingentos pedites. Cùm igitur res ipsorum esset ad extremum perducta casum, & regem haberent aduersarium, desperata salute, statuunt ingenti eruptione facta, extremũ auxilium experiri. ideoque decretum fuit, vt, qua parte deiectus & prostratus erat murus, post domicilium Caroli, fortissimi quiq; prosilirẽt, circitèr sexcenti pedites Francemontani, & in Carolum ex improuiso impetũ facerent. Erat inter rupes via multùm sinuosa & concaua. Per eam indicio hospitis Caroli, poterant ad ipsum & ad Regem peruenire, priusquam sen-

tiremur, modò tacitè irent, nullo excitato ſtrepitu: & vt aliqui per viam excubitores lateret: putabant tamen ſe vel opprimere illos, vel etiam præuenire poſſe, certiſſima ſpe concepta, vel interficiendi vtrumque Principem, vel antequam ſubueniri eis poſſet, capiendi: quòd etiam ſi interficerentur, tamen nec ingloriam eſſe ducebant mortem, nec iniucũdam, re tam inſigni & memorabili perfecta, præſertim quum in vna virtute omnis ſpes ſalutis conſiſteret. Atq; vt faciliùs omnia cederent, & maiorem nobis trepidationem inferrent, conſtitutum etiam fuit, vt eo ipſo tempore, reliqua multitudo prorumperet in ſuburbium, & nos magno clamore adorirentur. Erat profectò in primis arduum quod moliebantur, & factu difficillimum, etiam multò maiori hominum multitudini, veruntamen minimum aberat, quin quod cupiebant, perficerent. Nam, ita vt cõuenerat, ſub decimam horam noctis egreſſi circiter ſexcenti, noſtros excubitores huc illuc diſpoſitos trucidant, & ſi rectà contendiſſent ad deſignatum locum, abſq; tumultu, dubio procul interemiſſent ambos Principes cubantes in lectulis. Iuxta Carolum erat in tabernaculo quodam dux Alenconius. Hic ſubſiſtũt, & haſtis perforato loco, ex famulis quendam occidunt. Hinc excitatus clamor, in cauſa

fuit,

fuit, vt aliqui expergefacti arma caperent. Illinc digressi, Regem & Carolum petunt, & ad horreum illud, de quo diximus, morantur, & hastis rem gerunt per ea foramina, quæ illic eruptionis causa fecerant. Qui erant in eo cataphracti nobiles, ante duas modò horas, mandato Caroli, depositerant arma, vt se nonnihil reficerent, & instaurarent ad oppugnationem insequentis diei: sed tamen ex ipsis aliqui, audito ad Alenconij ducis tabernaculum tumultu, & subita fortuna permoti, arma, quæ possunt, arripiunt: cumq; nauiter se defenderent, spacium dabant alijs armandi sese & colligendi. Ea pugna magnum attulit nostris ad salutem momentum, ipsosque seruauit Principes. Eram ea nocte, cum duobus alijs in cubiculo Caroli: supra nos sagittarij duodeni stipatores excubabant, & depositis armis, ludebant alea: maiores autem excubiæ longius aberant à nobis ad portam vrbis. Veniũt igitur illi, eo, quod diximus, indicio, oppugnatum nostras ædes, & adeò quidem celeriter & ardenter, vt vix spacium nobis esset armandi Principis. Descendimus autem ad inferius tabulatum, vt in viam nos eijceremus. Hic offendimus sagittarios nostros excubitores pugnantes in hostẽ, quem à foribus & à fenestris vix magno labore & contentione reijciebant. Ingens erat vndique

&terrificus tumultus,dum quisq; suam factionem,vt fieri solet,inclamat.Impediti ea pugna cogebamur aliquandiu subsistere,atq; interea non constabat nobis quicquam de Rege, neque compertum erat, quarum esset partium, quod valde molestè nobis accidit. Tandem eruptione facta, domum egressi cum aliquot facibus,conspicamur circum nos vndiq; pluribus vijs pugnari:sed cõcurrentibus ab omni parte militibus nostris,illicò depugnatum fuit. Omnium primus cecidit viæ dux & index, de quo diximus:pòst etiam alij propè omnes. Ad eundem planè modum oppugnauerant quoq; Regem, strenuè sese defendentibus Scotis,vt qui ab illo non discederent, & multa conijcerent tela,quibus aliquantò plures Burgundiones vulnerabant,quàm hostes. Oppidani etiam,ita vt constitutum fuerat, porta sese foras vniuersi proripiunt,sed facilè fuerunt à nostris repulsi.Compresso eo tumultu, colloquuntur Principes. Erat videre passim magnam stragem hominum occisorum, & initio quidem verebantur Principes, ne maiorem aliquam suorum iacturam fecissent: verùm paucis admodum interemptis,multi sunt reperti saucij. Quòd si rectà fuissent illi secuti viæ duces,vt suprà quoque diximus, neque substitissent in itinere,præsertim ad horreum illud: poterant

sine

sine contentione vtrumque Principem necare, & mea quidem sententia, magnã exercitus partẽ profligassent. Principes obstupefacti, & summopere admirati tantã illorum audaciã, domum reuertuntur. Paulò pòst cœptum est à nobis deliberari, quid postridie sit agendum. Rex angebatur admodum in animo, veritus, quòd si Carolus frustrà oppugnaret vrbem, fore, vt ipse præ cæteris valde periclitaretur. Carolus autem metuebat, ne si Rex discederet, bellum aliquod excitaret. Atque hîc videre licet, quàm sit misera conditio summorum Principum, & quàm inter eos nulla queat esse firma voluntas aut amicitia. Fecerant hi duo pacem ante dies quindecim, eamque iureiurando sanciuerant: & tamen, vt alter alteri fidem haberet, fieri non potuit. Rex vt ab ea sollicitudine se eximeret, horam vnam postquam domum redijt, ex familiaribus Caroli, qui concilio interfuerant, nonnullos accersit: rogat quid sit decretum. E quibus cùm audisset vrbem oppugnandam esse, cœpit periculi magnitudinem proponere, & rei difficultatem, prudenter admodum, ita quidem, vt plerique omnes adficerentur, eò quòd nemo ferè esset, qui non extimesceret oppugnationem, partim ob multitudinem & numerum hostium, partim propter insignem illam

superioris noctis audaciam: ideoq; maluissent vel differre per dies aliquot, vel cum hoste pacisci. Referunt igitur ad Carolum, quid Regi, quid etiam ipsis viderertur: sed tamen à Rege dicebãt, omnia proficiscí, propterea quòd metuerent, ne, si viderentur diuersum sentire ab eo, quod constitutum erat, offenderetur. Ille in peiorem partem interpretatus, dicebat hoc à Rege fieri, quò seruaret hostem, longè alium esse rerum statum, denudatum esse hostem mœnibus, & si qua fecissent propugnacula, iam illa esse disiecta tormentis: non se prætermissurum esse oppugnationem: quòd si Rex vellet interea Namurcum discedere, non se repugnare: veruntamen ita, ne illinc, nisi bello perfecto, digrediatur. Ea oratio nulli magnopere placebat, quòd superioris noctis eruptione, valde essent metu occupati omnium animi. Rex prudenter & amicè respondit, non modò non abiturum se aliquò, sed velle etiam interesse rebus omnibus. Sanè, si subducere se voluisset, mea quidem opinione, facilè poterat ea nocte. Nam erant cum eo centum sagittarij stipatores, & nobiles aliquot, & in propinquo trecenti cataphracti, sed honoris & existimationis rationem in primis habebat. Sub armis igitur quieti sese aliquantulùm dabant omnes, donec illuceseeret: nõnulli etiam de sua

salute

salute solliciti, faciebant quod in tam præsenti periculo fieri solet. Posteaquam illuxit, & iam appeteret hora constituta: Carolus, emissis aliquot tormentis, ita vt decretum erat, signum dabat agmini illi, quod in diuersa vrbis parte longius à nobis aberat. Expediti igitur illi, progrediuntur ad oppugnandum. Fit clangor tubarum, & signa militaria mœnibus inferuntur. Rex cum suis copijs erat in media via. Quum ad muros ventum esset, reperimus omnia loca vacua defensoribus, præter vnum aut alterum excubitorem. Reliqua omnis multitudo pransum iuerat, & quoniam sacer erat ille dies dominicus, non putauerant futuram oppugnationem. Parum est certè præsidij positum in promiscua multitudine, nisi cõtineatur aliqua necessitate & imperio, tametsi tempus incidit, quum ipsorum furor, & repentinus impetus valde est pertimescendus. Erant illi iampridem exhausti & fessi, partim anterioris noctis eruptione & vigilia: partim superiorum dierum laboribus & ærumnis. Cogebantur enim simul omnes ad defensionem stare, quoniam vndique & muro, & alijs omnibus præsidijs erãt denudati. Primum nostrum agmen ante nos in vrbem peruenit, paucis admodum occisis, eò quòd populus trans Mosam profugiens, Arduennam syluam & loca

vicina petebat. Qua parte nos eramus, tres modò viros & fœminam vnam necatos vidi, reliqui omnes aut fugæ se mandabant, aut in templa & ædificia sese abdebant. Rex, quum videret nulla parte resisti, placidè progreditur. Eramus in vniuersum ad quadraginta hominum millia. Carolus paulò longiùs in vrbem profectus, conuertit se ad Regem, & cùm in curiam eum deduxisset, contendit ad ædem diuo Lamberto sacram, quod est eius vrbis amplissimum templum. In illud milites conabantur irrumpere, vt prædam auferrẽt, & tanta quidem fuit vis illorum, vt etiam præsidio & custodia, quam Carolus ibi collocauerat, cohiberi non possent, quò minùs in vtramque portam eius templi inuaderent: in eoque tumultu vidi, cùm ipsemet è suis familiaribus quendam interfecit. Sedata vix tandem turba, qui confugerant eò, capti fuerunt vnà cum bonis. Præter hoc templum, reliqua ferè omnia direpta fuerunt, dum simularent milites, inuestigare se hostem profugum & latitantem. Pontifex Romanus deinde sacris interdixit omnibus, qui, quod è templis abstulissent, non redderent. Hoc illius edictum Carolus per suas prouincias omnes iussit esse ratum. Capta vrbe atque direpta, Carolus sub meridiem redit in curiam. Rex iam pransus

erat,

erat, & magnum lætitiæ signum præ se ferebat, valde prædicata virtute & fortitudine Caroli, ad quem hæc omnia sciebat deferri. Nec enim aliud spectabat, quàm vt primo quoque tempore domum rediret. A prandio venit in collocutionem cum Carolo, & sicut anteà vehementer prædicauerat apud alios absentem: ita quoque tunc præsentem & coràm, non poterat satis magnis laudibus efferre. Sed nunc aliquantulum digrediar ad oppidanos, vt demonstrem, quod in his commentarijs non semel dixi, quàm sit res periculosa, & plena calamitatum, facere aduersum prælium. Fugiebant miseri cum vxoribus & liberis ad Arduennam syluam. Profugientes, nobilis quidam vir eius regionis, qui rebus secundis amicus illorum fuerat, oppressit, & ad motum fortunæ se quoque mouit, & vt victori gratificaretur, datis literis, pleniora etiam atque vberiora ad ipsum nunciabat, eaque ratione fuit ei reconciliatus. Alij fugiebant Maceras, Galliæ oppidum ad Mosam, in finibus Campaniæ positum. Duces aliquot ipsorum captiui ad Carolum perducti, supplicio fuerunt adfecti. Ex multitudine nonnulli, & fame, & frigore, & longis exhausti vigilijs moriebantur. Quinto die post captam vrbem, Rex per eos, quos à se putabat esse non alienos, Carolum de

sua profectione sollicitat, sed & ipse colloc-
tus, ait, si præterea sui possit esse vsus aliquis, ne
labori suo vel periculo parceret : sin minùs, vt
eius voluntate sibi discedere liceat, quò in se-
natu Lutetiæ curet pactiones recitari. sic enim
fert Galliæ consuetudo: & alioqui non sint ra-
tæ futuræ: tametsi Regum potestas in ijs rebus
omnibus est singularis & eximia. Rogabat et-
iam, vt per æstatem alicubi in finibus Burgun-
diæ conuenirent, animi recreandi caussa. Ille,
tametsi nonnihil submurmurabat: annuit ta-
men, & volebat præsente Rege denuò recitari
conditiones, vt si quid in ijs offenderet, id pa-
làm contestaretur, & liberum ei faciebat, vt
vel ratas haberet illas, vel repudiaret: nonnihil
etiam excusabat, quòd ipsum eòusque perdu-
xisset. Deinde, pro nobilibus illis, qui nuper ex
Burgundia venerant, quorum possessiones at-
que facultates Rex tenebat, intercessit, vt in in-
tegrum restituerentur. Rex licet ægrè ferret
hanc intercessionem: assensus est tamen, ea le-
ge, si ipse inuicem restitueret comitem Niuer-
nensem, & familiam Croiorum. Eius rei inie-
cta mentione, nihil ampliùs vrgebat. sic enim
illos oderat, vt reconciliationi nullus esset lo-
cus. Quantum ad conditiones attinet, Rex aie-
bat, nolle se quicquam mutare: atque ita dis-
cessit, per aliquod viæ spacium deductus à Ca-
rolo.

rolo. Cùm essent digressuri, percontatus eum Rex: Si frater, ait, qui nunc est apud Britānum, nolit esse contentus illa portione hæreditaria, quam in tui gratiam dedi: quid vis vt faciam? Carolus repentè, nihil præmeditatus: Quòd si recuset, inquit, fac vt eum quacunque ratione pacatum reddas: equidem vestro arbitrio totum hoc permitto. Quæ sola vox magnorum deinde motuum causa fuit, vt posteà dicemus. Abeuntem, ex nobilitate complures, mandato Caroli, prosequebantur in fines vsq; Galliæ. Carolus intereà Leodij substitit, qua in vrbe nullum genus atrocitatis prætermissum fuit. Crudeliter enim multa gesserant & effrænatè Leodienses in Burgundiones iam inde ab auo Caroli, ruptis omnibus pactionibus: & quintus hic erat annus belli, quod cum eis gerebat. Et quanquam Pontifex Romanus eis interdixerat sacris, propter contumelias Episcopo factas: pergebant tamen in sua insania, contemptis omnibus edictis. Post abitionem Regis, Carolus constituit proficisci in vicinam regionem Francemontanam, è qua prodierant sexcenti illi pedites, de quorum audacia insigni suprà diximus. Verùm antequam discederet, captiui, qui occupata vrbe, sese passim in ædificijs abdiderant, magno numero in flumen præcipitati submergebantur. Mandabat etiam, vt

vrbs exureretur tota. Ei negocio destinati sunt ad quatuor hominum millia, Luxemburgenses omnes, quibus iniunctum fuit, vt à templis incendium prohiberēt. Primùm igitur omniū rescinditur insignis pons lapideus, qui Mosam coniungit, & disponuntur milites, qui à Canonicorum ædibus, & ab omnibus templis vim arcerent. Post hæc, Carolus vrbe excedit, & vix paululum progressi, conspicimus ignem multis in locis per vrbem, ad oram fluminis. Ac licet eo die conficeremus ad quatuor milliaria, tantus tamen extitit clamor & strepitus, vt nobis planè videremur ésse in propinquo. Templa propè omnia fuerunt incendijs erepta, & circitèr trecentæ domus in vsus ecclesiastici ordinis hominum, quæ deinde causa fuit, vt ex his reliquijs, breuissimo tempore vrbs reædificaretur. Francemontanos bipartitò sumus aggressi, disiectis ipsorum ferrarijs officinis, qua sola ferè ratione victum sibi parant eius regionis miseri homines: qui quum in syluas profugissent, peruestigati à nostris, partim occisi, partim capti fuerunt, & rebus omnibus exuti. Tam grauis autem erat hyems, tantumq; frigus, vt ex nostris vir quidam nobilis, pedem, alius verò digitos manuum amitteret. Vinum sic erat adstrictum gelu in ipsis vasis, vt securi fractum distribueretur militibus, qui ascito aliunde

aliunde calore, circumferebant illud, donec liqueſceret. Commoratiibi per dies octo, cibariorum inopia coacti, diſceſſimus. Carolus per Namurcorum fines in Brabantiam reuerſus, honorificentiſſimè fuit exceptus.

PHILIPPI COMINÆI COMMENTARIORVM LIBER QVARTVS.

REx à Carolo digreſſus, redijt in Galliam, & videbatur non impatienter illud ferre, quod Peronæ & Leodij acciderat. Renouatum eſt quidem inter eos bellum, verùm interiecto aliquo temporis interuallo. Etquanquam illa Peronenſis cuſtodia conciliauit aliquod odium: non tamen fuit præcipua belli cauſa, & pacis conditiones erant Regi nõ intolerabiles. Verùm Carolus, & impulſus ab alijs, & etiam ſua ſponte, cogitabat amplificare fines: deinde ſubtili quadam ratione iacta fuerunt nouæ ſimultatis atque diſſidij ſemina, vt ſuo loco ſum dicturus. Frater Regis, vbi de Peronenſi compoſitione accepit,

missō legato, petit in eius ditionis, quam Rex dare promiserat, possessionem mitti. Carolus etiam magnopere hortabatur eum, ne aliam prouinciā præter Campaniā, & huic adiuncta loca, sibi pateretur obtrudi: mentione facta, quàm esset eius studiosus, vt qui rationem non ipsius tantùm, sed & Britanni, in hac pacificatione habuisset, cùm ab eis tamen anteà fuisset excluſus atque desertus. Orat igitur, vt Campaniam postulet sibi tradi, quæ quidem regio sit vtriq; peropportuna: nam si rex aliquid aduersus ipsum aliquādo moliatur, fore sibi non difficile, opem ei ferre ex vicina Burgundia. Ille verò, tametsi vigesimum ætatis annum excesserat: totus tamen ab alijs pēdebat: & commeabant inter Principes in hac causa crebri internūcij. Rex enim, qui nollet eos pariter sibi finitimos esse, aut ijs locis inueteraſcere, nihil minùs habuit in animo, quàm dare Campaniam: sed conabatur ei totis viribus persuadere, vt ea ditione relicta, susciperet bonam Aquitaniæ partem. Ille autem inuitus admodum eò descendit, veritus, primùm, ne Carolum offenderet: deinde, si quidem assentiretur, ne non seruato promisso, delusus à Rege, & præstantissimi amici, & facultatum iacturam faceret. Cùm igitur frustra se Rex moliri videret, Odetum quendam, virum nobilissimum, &

mum, & ſummæ apud fratrem authoritatis, magnis præmijs & pollicitationibus conducit, vt ad Aquitaniæ poſſeſſionem illum impellat, quæ Campania longè ſit amplior & copioſior: cupere ſe perpetuã cum ipſo colere amicitiam, & fraternam ei beneuolentiam præſtare. hanc autem rationem ſibi videri optimam, & vtriq; commodiſſimam: non dubium eſſe, quin, quod polliceatur, exhibeat. Odetus conditionem accipit, & Principi ſuo, quod rex cupiebat, perſuadet, inuitiſſimo Carolo, ipſiuſque legatis, qui tunc, quum iſtud perficeretur, aderant. Cardinalis autem Baluenſis, quòd fratrem Regis erat literis hortatus, vt pactionem Peronenſem vrgeret, in carcerem coniectus fuit. Quibus rebus conſtitutis, Regi cupiditas quædam maior inceſſit vlciſcendi, quam ſibi putabat à Carolo factam eſſe iniuriam, atque vt id perficeret putabat ſe nactũ eſſe tempus idoneum. Initis igitur clandeſtinis conſilijs, hoc agit, vt oppida illa, quæ ſunt ad Somiã flumen, excitato motu, & rebellione facta, militem ſuum admittãt. Principes illi præſertim, qui nõ ſunt inepti, ſuis negocijs aliquam ſemper honeſti ſpeciem prætexunt. Atque vt intelligi poſſit, quàm ſint in eiuſmodi rebus ingenioſi Galli, recitabo, quicquid in huius cauſæ tractationem incidit. Nam & redintegratum

est inter vtrosque bellum, & in eo suscipiendo circumuenti fuerunt ambo. Rex insimulabat Carolum nimiæ cupiditatis, quòd præter ius & æquum vellet proferre limites, ideoq; totus in hoc erat, vt illa, quæ diximus, oppida molirentur res nouas. Ibant vltrò citroque nuncij: qui mittebantur à Rege, per eas vrbes, quas ille sollicitabat, iter faciebant, eaque tum occasione mandata secretò perficiebant. Quoniam belli nulla erat suspicio, facta nuper pace, nullis præsidijs ea loca continebantur. Vt vnum & alterum oppidum Rex occuparet, non erat facturus bellum, sed eò tẽdebat, vt per omnes Caroli prouincias, populum ad rebellionem concitaret. Ad eam rem, non deerant, qui magna pollicebantur, quasi fauore & gratia plurimùm in ditione Caroli possent. Verùm, etsi doloris ac offensionis causam aliquam rex habebat: tamen, si quod posteà euenit, præcogitasset, non erat violaturus pacem, quam trimestri pòst, quàm Lutetiam redijt, diuulgari iussit. Timidè quidem renouauit bellum, sed incitabat eum vltionis amor. Deinde Conneſtablius, magni vir consilij & virtutis, ac familiares aliquot Aquitaniæ Ducis, bellum, quàm ocium malebant. Pacis enim tempore metuit Conneſtablius, ne, quos habebat à Rege prouentus & pensiones, diminuerentur. Ad hæc,

pleriq;

pleriq; Regem eo esse ingenio dicebant, vt si nullas haberet externas occupationes, domi turbas excitaret; & quia suis commoditatibus ocium illius putabant esse cõtrarium, ideo dabant operam modis omnibus, vt ad arma protruderetur. Et Conneſtablius quidem, quòd possessiones haberet in finibus: promittebat se occupaturum esse facilè Sanctoquintinum, neque sibi deesse rationes instigandi aduersus Carolum multas & Brabantiæ & Flandriæ ciuitates. Aquitanus etiam, qui ei concilio intererat, auxilia promittebat, circiter quingentos cataphractos. Et licet bellum isti suaderẽt, atq; in Caroli pernicie viderentur conspirasse: longè tamen alium finem spectabant. Rex, cùm vellet videri, non sine causa bellum suscipere, conuentus egit apud Turones, quod neq; ante id tempus vnquam fecerat, nec posteà fecit: verùm eos conuocauerat solùm, de quorum voluntate nihil dubitabat. In eo conuentu exponit, quàm iniquè Carolus multa in detrimentum Galliæ moliretur, simul nobilem quendam submittit, qui grauiter conquestus, iniurias ab illo sibi factas esse complures dicebat: in primis autem, quòd fide illi esset obstrictus, & cogeretur ei ad quoduis etiam bellum auxilia polliceri. Aderant in eo concilio multarum ciuitatum legati. Communi tandem

consensu omnium decernitur, Carolum euocandum esse Lutetiam in Senatum, ad certam diem. Sciebat enim Rex futurum, vt ille ad hunc modum citatus, aut superbè responderet, aut aliquid in contemptum Senatus admitteret: quò maiorem se videbat habiturum esse faciendi belli occasionem. Mittitur ilicò nuncius publicus, per quem Gandaui, dum iret ad sacrum, citatur. Præter opinionem hoc ei prorsus accidit, & vbi per dies aliquot in custodia nuncium detinuisset, dimisit. Certior autem factus à nõnullis, quid ageretur: ex promiscua multitudine conscribit militem mercenarium, vt in omnes casus essent expediti. Eorum delectus habebat singulis mensibus. Tandem cœpit eum tædere huius impensæ. Itaque omni se metu liberauit, remissa cura & diligentia, præsertim, cùm frequentes acciperet à rege nuncios, & in Hollandiam se contulit, nullo relicto milite in præsidijs, ad finium defensionem: quæ quidẽ res infeliciter ei vertit, vt posteà dicemus. Dum esset apud Hollandos, Borbonius ei nunciat, fore, vt breui non in Picardia tantùm, sed & in Burgũdia ei bellum inferatur: quosdam è suis communicasse consilia, suamque operam Regi esse pollicitos. Eo nuncio valde fuit commotus. Nec enim militem habebat vllum, & quas nuper conduxit copias,

copias, eas dimiserat. Traiecto igitur mari, Hesdinum venit, quod est apud Atrebates oppidum. Hîc demum aliqua suspicione collecta de rebus, quæ secretò gerebantur, lentè nihilominùs & remissiùs agebat, quòd rumori & auditionibus illis fidem non haberet. Quúmque duos ciues Ambianos, de quibus non bonam habebat opinionem, accersiuisset, audita illorum purgatione, satisfactionem accepit. Verùm in hoc tempore quidam eius familiares, ipso deserto, transierunt ad Regem: quò magis metuere cœpit, ne alij hoc exemplum imitarentur. Itaq; suos in armis esse iubet. Sed & hyems suberat, & ab Hollãdis iam primùm redierat: quæ causa fuit, vt pauci admodùm expedirentur. Postquàm illi, de quibus diximus, ad Regem se contulissent: Connestablius Sanctoquintinum ingressus, oppidanos fide & iureiurando Regi deuinxit. Tunc primùm Carolus periculum suum agnouit. Nam & imparatus erat, & tribunos militumque præfectos emiserat, vt copias contraherent: veruntamen cum illis ipsis, quas habebat, cohortibus, Dorlanum proficiscitur, comitatus circiter quingentis equis, vt Ambianos vacillantes contineret. Ibi per sex dies substitit. Exercitus Regis, qui erat in propinquo, certa die propius vrbem accessit, sed quòd è ciuibus nonnulli rebus Ca-

roli fauebant,non fuit intromissus. Etsi Carolus maiorem habuisset manum, seruasset vrbem. Cùm autem propter paucitatem suorum non auderet progredi:qui contrarias partes in oppido sequebantur,eo metu deprehenso, regium militem admittunt. Idem cogitabant Abbeuillani perficere,sed Cordæus maturè ingressus,anteuertit. Carolus de capto Ambiano certior factus:quia Dorlanum ab eo quinque tantùm milliaribus abest, celeriter illinc digressus,Atrebatum proficiscitur, valde sollicitus,ne plures à se deficerẽt,præsertim,quum se videret vndique septum esse propinquis & amicis Connestablij.Sed & domesticorum ille,quem dixi, transitus ad Regem, augebat ei metum & suspitionem: cogebatur tamen interea is,quem cõscribi iusserat,exercitus. Rex, qui crederet se iam peruenisse quò voluit,nitebatur totus Connestablij & aliorum pollicitationibus:& nisi ea spes ipsum excitasset, non erat eousque progressurus.Iam verò,quamobrem Connestablius,& Aquitaniæ Dux, & eius familiares tantopere cuperent bellum anteà sedatum renouari,dicendum est. Vnam & alteram causam paulò suprà recitaui, sed hæ non erant præcipuæ. Aquitanus in matrimonium habere cupiebat Caroli filiam vnicam: & ipse quidem Carolus aliquando interpellatus, non admo-

admodum repugnabat, sed vt prorsus assentiretur, impelli non potuit, & consimili spe multos alios alebat. Ambiano & Sanctoquintino in Regis potestatem adductis, Aquitanus ad Carolum, qui apud Atrebates exercitum instruebat, literas mittit breues admodum, in hæc verba: Da solùm operam, vt ditionis tuæ populum habeas non alienum abs te: quantum ad reliqua pertinet, ne sis sollicitus, nec enim amici tibi deerunt. Carolus, qui initio rebus valde metuerat, misso legato, Connestablium orat, ne bellum nimis infestè gerat, quod sibi nihil opinanti, neque præmonefacto sit illatum. Eo nuncio multùm exhilaratus ille, quòd se redegisse Carolum putabat eò loci quò cupiebat, respondit, versari ipsum haud dubiè in maximo discrimine, & vnam modò rem huic difficultati subsidio esse posse, nempe si filiam Aquitano dederit vxorem. Ita futurũ, vt præter generũ, alij etiã Principes auxilia submini strent: se quoq: Sanctoquintinũ esse redditurũ, & paratũ arma sumere p ipso. Quòd nisi matrimoniũ hoc interueniat, non esse integrũ sibi quicquam tentare, propter eximiam regis potentiam, qui & exercitum expeditum, & per Flandriam multos habeat à se non alienos. In eam sententiam plurima nunciabat plena terroris. Imprudenter sanè faciunt, qui suos

Principes in metu continere volũt: nec vllum, cui ea res bene cesserit, noui. Spectare hoc licet in Connestablio. Nam tametsi ad Regem se contulerat: ipsius tamen facultates omnes ac liberi erant in potestate Caroli. Constituerat ambos tenere dubios inter spem & metum, sed eius audaciæ tandem pœnas dedit. Cùm enim nemo sit omnium, qui non cupiat se in libertatem asserere: qui non malè velit ijs, à quibus aliqua seruitute vel metu coërceretur: hæc sanè libertatis cupiditas, & seruitutis odium, maximè vigent in Principibus. Carolus igitur acceptis Connestablij mandatis, quoniam intelligebat eum huius belli facem accendisse, magnum aduersus eum concepit odium: in primis autem ideo, quòd ille quibusdam terriculamentis cogitaret sibi nuptias extorquere. Et quia coactas iam copias habebat, nihil erat magnoperè sollicitus. Ex ijs, quæ de Aquitano primùm, ac de Connestablio deinde diximus, facile est videre, de composito rem inter ipsos actam fuisse. Nam eodem ferè tempore Britannus etiam multa in eandem sententiam, & ferè terribiliora nunciabat: nec id modò, verùm etiam è suis proceribus cuidam potestatem fecit, vt cum centum cataphractis Britannis Regi militaret. Quæ omnia eò recitaui, vt demonstrem, primùm eo consilio bellum hoc

susceptum

susceptum fuisse, vt Carolus ad nuptias cogeretur: deinde Regem à suis ludificatum fuisse, quando iniecta spe rebellionis per ditionem Caroli, ad bellum fuit impulsus. Ficta enim erant propè omnia, & temerè excogitata, tametsi Cõnestablius, odio Caroli, quem à se grauiter offensum & exacerbatum esse nouerat, fidelem & egregiam operam in eo bello Regi præstabat. Sed & Aquitanus acriter bellum gerebat, ideoq; res Caroli malo erãt loco. Quòd si voluisset initio spondere nuptias: qui nunc ipsum oppugnabant, conuersis armis, conati fuissent totis viribus potentiam Regis infirmare, Sed qualiacunq; tandem sint hominum consilia, Deus pro suo arbitratu solus omnia moderatur. Acciderunt hæc omnia breui temporis interuallo. Nam capto Ambiano, quindecim pòst diebus, Carolus cum exercitu prope Atrebatum consedit. nec enim retrocesserat longiùs. Inde rectà contendit Piceniũ. In via fit obuius ei tabellarius quidam Britanni, cum eiusmodi mandatis: Regem inter alia multa nunciasse Britanno, se per ditiones Caroli multos habere amicos, in primis autem Antuerpiæ, & Bruxellæ, & Brugis, & constituisse ipsum circumuallare, quocunque tandem loco deprehendat. Hæc ille Carolo significabat, in gratiam, vt opinor, Aquitani, quò magis

eum ad nuptias instigaret. Verùm Carolus in sinistram partem interpretatus omnia, statim, non interiecta mora, respondit, Britanno sic esse persuasum à suis aduersarijs, & maleuolis, eo consilio, vt perterrefactus hac ratione, sibi non ferat opem, quod alioqui facere debeat, pro communi fœdere & societate inter ipsos. Gandauum, & eas, de quibus dixisset vrbes, multò esse maiores, quàm vt circumsideri possint, & firmiores, quàm vt breuem & facilem habiturę sint oppugnationem: domum reuersus, diceret Britanno, se constituisse traijcere Somiam flumen, & prælio decertare cum Rege, vbicunque tandem eius rei potestas futura sit: orare se Britannum, se contra Regem adiuuet, eamque fidem & amorem sibi vicissim præstet, quem ipse in Peronensi pacificatione illi præstiterit. Postero die venit Picennium, quod est ad Somiam oppidum, natura munitum, atque ibi cogitabat ponte coniungere flumen: sed erāt fortè in oppido circitèr quingenti sagittarij, & pauci quidam nobiles. Ij quum viderent transeuntem illum, eruptione facta, tam longè sunt progressi, vt terga dare cogerentur, plerisque desideratis, antequam receptum haberent ad suos. Capto deinde suburbio, & tormentis aliquot admotis, tametsi ea parte, propter interiectum flumen, capi non

nō poterat oppidū: sagittarij tamen metu perculsi, quum viderent pontem effici, & veriti, ne ab altera parte obsiderentur, in fugam conuersi, discedunt è statione, relicto oppido. Castellum verò, cùm per vnum & alterum diem sustinuisset impetum hostilem, deditionem fecit. Ea re perfecta, licet non admodum magni esset momenti, factus est animosior Carolus, ac motis inde castris, prope Ambianos consedit, affirmans, hærere se ijs locis, & spectare, an prælio Rex concertare vellet. Tandem ita propè ad vrbem accessit, vt tormentis etiam, modò vellet, oppugnare posset, atque ita per mensem vnum & dimidiatum ibi restitit. Erant in oppido pro Rege, mille quadringenti cataphracti, & quatuor sagittariorū millia, quibus omnibus & Connestablius, & Admirallius, & proceres alii multi præerant. Rex interea cogebat exercitum apud Bellouacos, & erant cum eo frater Aquitanus, & Nicolaus Calabriæ Dux, natu maior filius Ioannis Calabriæ & Lotharingiæ Ducis, hæres vnicus familiæ & domus Andegauensis. Qui erant Ambiani in præsidio, constituerant eruptionem facere in Carolum: si modò rex eum, quem habebat in Bellouacis exercitū, auxilio mitteret. Rex autem certior factus, prohibuit, ne quid tentarent. Tametsi enim hæc eruptio

videbatur posse non incommodè fieri: tamen ipsis, qui erumperent, erat fortasse periculosa futura. Duabus enim portis erant erupturi: quarum altera non procul distabat à nobis, ideoque si reiecti fuissent, quoniam pedites erãt omnes, & se & vrbem in discrimen adduxissent. Dum hæc geruntur, Carolus per adolescentem quendam, Simonem Quintium, dat literas perbreues ad Regem: queritur valde sibi dolere, quòd instigatus à nonnullis, bellum sibi intulisset, quod sua quidem sententia, facturus non fuerit, si modò rectè fuisset de rebus omnibus edoctus. Alter Regis exercitus in Burgundia feliciter rem gerebat, plerisque omnibus, qui restiterant, profligatis, & captis aliquot castellis. Ea re commotus fuit nonnihil Carolus, veruntamen longè diuersum rumorem in castris edidit. Acceptis literis Rex valde fuit exhilaratus, iamque tædebat eum moræ & longioris belli. Posteaquam ad eas respondit, potestatem suis fecit, qui erant Ambiani, vt de inducijs cum illo agerent: quæ primùm quidem pactæ fuerunt in dies aliquot, posteà verò in annum, nisi fallor. Grauiter istud tulit Conestablius, qui, tametsi aliter nonnulli sentirent, infestissimus erat Carolo, & post aliquot inter ipsos commutata verba, graue conceperant odium, alter in alterum. Interea tamen

per

per internuncios aliquam præbebant amicitiæ speciem. Conestablius quidem, quòd opinionem amicitię cum Carolo, sibi videbat vtilem esse ad retinendam authoritatem: Carolus autem, vt odij dissimulatione, Sanctoquintinum aliquando recuperaret. Quoties enim aliquid incidit, vt Regem vereretur Conestablius: promittebat Carolo eius oppidi restitutionem, nec id modò, verumetiam iubebat aliquando propiùs eum accedere cum copijs, intromittendi spe magna iniecta. Cumq; Carolus fidem eius & promissa non semel secutus, id tentaret: ille mutata sententia, diuersum renunciabat. Nam quia summam obtinebat authoritatem, & amplissimas habebat à Rege pensiones annuas: cogitabat eos per hæc dissidia continere in perpetuo metu. Sed consilium ipsius erat periculi plenum, ob virtutem, & potentiam, & illustriam illorũ. Pactis inductis, & dimisso exercitu, Rex in Turones proficiscitur. Et is quidem fuit aliquandiu rerum status. Carolus ad suos reuersus, cõuentus agit, in ijsq; demonstrat quanto suo factum sit detrimento, quòd in promptu nõ habeat, & in omnem euentum expeditas copias: quòd si quingentos tantùm habuisset cataphractos, ad tuitionem finium non fuisse Regem denuò facturum bellũ: & nisi prouideat,

imminere sibi suisq; prouinciis multò maiora incommoda. Quamobrem hortatur & instat, vt stipendia conferant quibus alat octingentos cataphractos. Populus, & si grauatè id faceret, assensurunt tandem id temporis, eiq; centum & viginti aureorum millia dependebant, in eaq; collatione non fuit comprehensa Burgundia. Sanè, non absque causa, difficulter & inuitus eò descendit populus. Mouebat eos exemplum Galliæ, quæ perpetuum alit equitatum. Sic enim sunt Principes, vt paulatim crescat in ipsis ambitio & cupiditas: & quò maioribus nituntur præsidiis, eò faciliùs captant simultatum & dissensionum occasiones cum vicinis. Hæc, de qua diximus contributa pecuniæ summa, creuit deinde ad quingenta millia, creuit etiam numerus equitum, non absque magno populi dispendio. Verum quidem est, equestres illas copias bonam operam posse nauare, quando reguntur prudentis alicuius Principis authoritate: sed si Princeps aut imperitior sit & ignauus, aut liberos relinquat paruulos: magis ferè nocent, quã prosunt prouinciis, quarum defensioni sunt destinatæ. Augescebat in dies magis atque magis odium inter Regem & Carolum. Aquitanus etiam domum reuersus, per legatos frequenter Carolum de nuptiis sollicitabat, & alebatur bona qua-

quadã ſpe, ſicut alij multi. Sed arbitror Carolum non fuiſſe daturum vlli ſuam filiã, ac ſeruaturum potiùs, vt affinitatis iniecta ſpe, multorum amicitiam ſibi conciliaret. Moliebatur enim res ingẽtes, ac tales omnino, quibus perficiendis humana vita non ſufficiat. Vix enim dimidia pars Europę mentẽ illius potuiſſet explere. Animo quidẽ erat inuicto, & ad omnia ſubeunda parato, & ea corporis firmitate, vt quemuis laborẽ ſuſtineret: deinde ijs facultatibus & potentia, vt præ cæteris aliquid magni poſſet: verùm nec ingenij vim ſatis magnam, neq; malitiæ ſatis habebat ad perficiendas res tam arduas. Nam eũ, qui latè dominari velit, oportet excellenti quodã & ſingulari præditũ eſſe ingenio: idq; totũ pendet à beneficio Dei. Quæ in Rege erant virtutes, atq; etiã in Carolo, ſimul temperatæ, potuiſſent perfectũ Principis exemplar repræſentare: ſed ingenio certè Rex multùm illi præſtabat, idq; rerũ exitus tãdem edocuit. Quoniã ad hũc locũ peruentum eſt, præterire nõ poſſum, quin de rebus Anglicis aliquid adferã. Suprà diximus, Carolum, vt firmiori preſidio ſe muniret aduerſus Regẽ, & quoſuis alios, vxorẽ duxiſſe Eduardi Angliæ Regis ſororẽ. Erat tũ in Anglia Comes Beruicenſis, longè potentiſſimus inter alios proceres. Is paulò antequàm Carolus Ambianũ veniſſet cũ

exercitu, cœpit dissidere ab Eduardo: ad eamq; dissensionem nonnihil contulerat Carolus: primùm, quòd indignè ferret, tantã esse Comitis illius authoritatem in Anglia: deinde, quòd non ignoraret, eum esse studiosum Ludouici Regis. Verùm ea tunc fuit Comitis per Angliam potentia, vt multis Angliæ proceribus trucidatis, Eduardum in suam potestatem redigeret, ac veluti captiuum aliquandiu seruaret, liberaliter quidem & honestè, sed tamẽ ademptis ab eo familiaribus. Carolus igitur, cui hæc omnia vehementer displicerent: initis clandestinis consilijs, cogitabat Eduardum eripere, cumq; ipso in collocutionem venire. Tandem eò deducta res fuit, vt elapsus ille, cõtractis modicis copijs, Beruici Comitis cohortes profligaret: sed oppressus tandem vi maiori, cum duabus nauibus, & circiter octingentis militibus profugit, pecunia & rebus omnibus necessarijs destitutus. Miserum sanè spectaculum, videre tam potentem Principem possessionibus exutum, fuga sibi salutem petere, & tam indigna pati à suis beneficiarijs. Vixerat per annos duodecim in summis delicijs & altissima quiete, planè securus, & hoc solum spectans, vt quàm suauissimè in rebus omnibus haberet. Fugiens, cursum tenebat in Hollandiam, & tametsi consectarentur eum hostes,

tamen,

tamen, quoniam maiori interuallo præcedebat, elapsus, in oram Frisiæ peruenit, ad oppidum Alcmariam, quod ad Hollandiam pertinet. Eo in loco tum erat illius regionis præfectus, vir honestus, qui liberaliter ipsum excepit, & datis vestibus, non ipsi modò, sed & eius comitatui, ad Hagam, Hollandiæ vicum perduxit, re omni statim ad Carolum perscripta, qui eo nuncio valde fuit commotus. Intermissis aliquot diebus, venit ad Carolum Eduardus, apud Atrebates, eumq; pro auxilijs vehementer sollicitabat, vti primo quoq; tempore domum redire posset, affirmans esse complures in Anglia qui suis rebus faueãt, ideoq; orabat, ne ab ipso, qui & socius esset, & confœderatus, & sororius, destitueretur. Carolus autem, ne multorum odia vno & eodem tempore in se conciraret: palàm quidem simulabat, se nullã ipsi opem ferre, idq; publico edicto cauit: clanculùm autẽ interpositis alijs, iuuit eum quinquaginta millibus aureorũ, & classe quatuor- 1471.
decim nauium. Ad hũc modum instructus ille, quo tempore Carolus prope Ambianos cũ exercitu subsistit aduersus Regem, in Angliam decurrit: quò simul atq; venit, auxilia reperit, ad duo hominum millia, & in ijs circiter quadringentos nobiles. Qua re cognita, Beruicensis, magna celeritate cum exercitu progredi-

tur, vt Londinum prior occuparet: sed præuertit Eduardus, & cum ingenti ciuium applausu perbenignè fuit exceptus, contra plurimorum opinionem, eò quòd profligatus esse crederetur. Quòd si fuisset ab ea vrbe intercluſus, actū erat, præsertim, cùm hostis in propinquo magnum haberet exercitum. Tres autem fuerunt omnino causæ, cur facilem haberet ad Londinenses aditum. Primùm, recens natus ei filius: deinde, æs conflatum. creditores enim & reditum ipsius in primis desiderabant, & facultates cupiebant esse quàm maximas. Postremò, consuetudo illa & notitia, quam habuit rebus florentibus, cùm eius vrbis fœminis, quæ maritos ad commiserationem & lenitatem facilè impellebant. Londini biduo commoratus, & cum exercitu profectus in hostem postridie illi occurrit, die paschæ. Instructis vtrinq; copijs ad prælium, Clarentiæ dux, deserto Comite, cum duodecim millibus hominum transit ad fratrem Eduardum, quæ quidem res & Beruicum vehementer conturbauit, & Eduardum, qui exiguas alioqui copias habebat, multùm erexit. Fit pugna longè acerrima, & pedites erant omnes vtrinque. Primum Eduardi agmen non mediocrem cladem accepit. Beruicus, cum ea parte copiarum, quas ipse ducebat, Eduardum petit, qui

non

nō imperatoris tantùm, sed strenui quoq; militis officio fungebatur. Habebat hūc morem Beruicus, vt pedes non pugnaret, sed distributo exercitu, & rebus omnibus instructis, cōsueuit in equum ascendere, & si feliciter à suis rem geri cōspiceret, ingerebat se medium: sin minùs, fugæ sese mandabat. In hoc autē prælio compulsus à fratre, pedes dimicabat, & adeò fuit acris pugna, vt vnà cum fratre, & maxima nobilium turba caderet. Angliæ consuetudo fert, vt in prælijs belli duces atq; nobiles interficiātur, seruata multitudine: sed Eduardus, quum à Carolo discederet, adiutus rebus necessarijs, constituit non velle, ne multitudini quidē parcere, eò quòd cōtra se arma sumpsissent. Fuit igitur edita maxima cædes. Ipse tātùm mille & quingentos è suis desiderauit. Quo die prælium istud factū fuit, Carolus erat prope Ambianum, ibi per literas certior fit ab vxore, Eduardum esse in ipsum animo minùs benevolo, quòd auxilia sibi maligniùs præbita, & parū abfuisse diceret, quin omnino fuisset ab ipso desertus. Vtcunq; sit, indubitatū illud est, ab eo colloquio, quod apud Atrebates habuerunt, extinctā fuisse p. nè omnem, quę priùs fuit inter ipsos benevolentiā. Verumtamē Carolus, quòd existimabat hāc illius victoriā ad suas quoq; cōmoditates pertinere: passim diuulgauit eā, dimissis

huc illuc nuncijs. Princeps Walliæ, qui ſecundum Regem, primas in Anglia tenet, adiutus à ſuis confœderatis, exercitum habebat ad quadraginta millia. Quòd ſi Beruicenſis paululùm modò differre potuiſſet, coniunctus cum ijs copijs, feliciter, vt eſt credibile, pugnaſſet. Sed quoniam erat in eo exercitu Dux Sombreſſius, cuius patrem & fratrem ille necauerat: idcirco potiſſimùm ſolus pugnare voluit, nõ exſpectatis auxilijs. Interfecto Beruicenſi, & cęſo illius exercitu, Eduardus in Wallenſem rectà contendit, qui licet multitudine ſuperaret: aduerſum tamen prælium fecit, interemptus ipſe cum multis proceribus. Sombreſſius è pugna ſuperſtes, & captus, poſtridie fuit interfectus. Beruicenſis intra dies vndecim occupauerat omnem Angliam: Eduardus autem intra dies viginti totã recuperauit, & parta victoria, ſupplicio multos diuerſis locis affecit, præſertim coniurationis principes. Ab eoq; tempore pacatè quidem vixit, & ſine contentione fruebatur imperio: ſed nõ caruit tamen magnis animi moleſtijs. Quod reliquum eſt de rebus Angliæ, ſuo loco ſum dicturus: nunc ad inſtitutũ reuertar. Aquitanus continenter vrgebat nuptias, propterea, quòd cur incepto deſiſteret, aut deſperaret, cauſam illam Carolus præbebat, qui tamen nihil minùs conſtituerat, quàm illi

illi in eo gratificari, imò indignè ferebat, esse aliquos, qui putarent se posse cogi: Connestablius vltrò se ingerebat, & voluit omnē huius rei, si perficeretur, laudē & gratiam ad se redire. Idem etiam affectabat Britannus. Rex verò totis viribus conabatur, tametsi nihil opus erat, impedire matrimonium, duabus de causis, vt aliquando diximus. Sed & Carolus non cupiebat habere tam potentem generū, & hoc solum agebat, vt spe matrimonij complures sibi deuinciret. Neq; verò mirū videri debet, Regem se totū opposuisse. Nam eo confecto negocio, valde fuisset fratris aucta potētia: qui Britanno deinde coniunctus, in maximas difficultates Regem ac ipsius liberos adducturus erat. Commeabant ergo super ea re plurimi inter ipsos nuncij, priuatim alij & secretò, alij verò palàm. Quæ quidem res nō caret suis incommodis & periculo. Sub legationum enim specie multa sæpe pernicioſa tractātur. Quanquam sanè fieri nō potest, quin & multos subinde mittant Principes, & vicissim accipiant, sed prudentia singulari & dexteritate quadam opus est in tractandis exterorū legatis. Et principiò, meo quidem iudicio, amicorum legati, de quibus nullam habemus malè suspicandi causam liberaliter sunt & honestè tractandi, facta subinde illis potestate conueniendi Prin-

cipis, ad quem missi sunt, modò sit prudens & honesta specie. Nam alioqui præstat, cum vel ratiùs conspici, vel non diu insistere collocutioni. Ad quam quum descendit, prouideri debet, vt sit eleganter vestitus, & de iis, quę pronunciari & respõderi oportet, edoctus, & mox reuocetur à congressu. Nec enim diuturna est Principum beneuolentia. Quum autem vel publici vel priuati veniunt ab aliquo Principe parum amico, tametsi periculum est in ea re non leue: excipiendi tamen sunt non incommodè, & destinandi aliquot idonei homines, à quibus tractentur. Hoc enim ad honestatem pertinet, ac simul eò confert, vt quid agãt, & quibuscum loquantur, & quos habeant sibi familiares, cognoscatur, nec id modò, verùm etiam, vt homines leues atque seditiosi non habeant ad ipsos aditum. In omnibus enim Principum familiis semper aliqui exiſtunt, qui mutationem aliquam, & res nouas cupiunt. Et quoniam periculi plenum est, habere domi suæ hostem: suaserim, primo quoque tempore eiusmodi legatos dimitti, verùm ita tamen, ne quam habeant occasionem de inhospitalitate conquerendi. Sed ne bello quidem exorto, sunt intermittendæ pacis rationes, aut repudiandi legati: verùm audiendi sunt omnes, ac inuicem ad hostem mittendi, iisq; mandandum, vt dili-

vt diligentissimè obseruent, quid quoq; tempore geratur, qui cum quibus colloquantur. Crebrò enim mittendū est, etiamsi hostis iubeat abstineri deinceps, & commeatu prohibeat. Necenim vllus, quantumuis prouidus & fidus explorator, facultatē habere potest tam multa cognoscēdi, quàm eiusmodi legati, qui quū sint vnus & alter, aut etiā plures, fieri non potest, quin aliquid odorentur. Nam, qui sunt prudentiores Principes, id operā dant, vt etiam apud aduersarios habeant quosdā à se nō alienos. Verùm, si quis tam frequentes mittat internuncios, futurū est, dicat aliquis, vt hostis fiat insolentior. Atqui in eo sanè nihil est mali, & interea de ipsius rationibus ac consilijs cognoscetur semper aliquid. Et licet eandem rationem hostis instituat, vt modò dixi, & suos inuicem mittat: non tamen idcirco desistendum est, & vel ob hanc solam causam immorandum est legationibus, vt varia multaq; cognoscantur. Huc etiā accedit, quòd nō omnes æquè sunt ingenioſi, neq; parē semper habent rerum vsum: & quò quisq; prudentior est in eiusmodi tractationibus, eò maiori cum fructu & honore in ijs versatur. Quod vt clariùs intelligi possit, exempli causa quiddam sum dicturus. Pactio nulla facta fuit vnquā inter Gallos & Anglos, in qua nō ingenij vi & acrimonia

Galli præstiterint: adeoq; prouerbio dicitur apud Anglos, (quod ipsi aliquando mihi in rerum tractatione recitarũt) Quoties cum Gallis prælio concertarint, victores se plerumque fuisse: quoties verò cum illis pacti sint, detrimentum semper aliquod accepisse. Et rectè quidem ita iudicant. Habet enim Gallia præstantissimos viros, ex ijsq; non paucos, quibus rectissimè committi possit maximarũ rerum gubernatio: quorum ex numero sunt illi ferè, qui diu multumq;, & familiariter cum Ludouico Rege vixerunt. Fui aliquantò prolixior in hoc argumento, vt ostenderem, quemadmodùm obseruari debeant externorũ Principum legati: sed non temerè sum immoratus. Multa enim sub eo prætextu, & ab alijs vidi fieri, & feci ipse aliquando callidè & insidiosè: quamobrem silentio hæc præterire non potui. Aquitanus adeò diligenter agebat suum negocium apud Carolum, vt & verbo & literis aliqua interueniret pollicitatio. Sed vidi, quando & Nicolaum Calabriæ Ducẽ, & Philibertum Sabaudiæ, & Maximilianum Friderici Cæsaris filium, Romanorum Regem, consimili quoq; spe ille foueret: idq; intra tres annos omnino. Quòd si vixisset diutiùs, nullum erat sibi delecturus generum: sed Maximiliano valde profuit ea, quam filia ipsius mandato fecerat, spõsio, vt

sio, vt suo loco posteà sum dicturus. Et hæc quidem omnia recito, non vllius lædendi causa, verùm quòd & ipse ea viderim, & habeam comperta, & ad formandum iudicium in rebus ciuilibus pertinere mihi videantur. Sic enim statuo, homines inertes & stupidos & plebeios, nõ esse daturos vllum tempus his Commentarijs: verùm Principes non ignaui, & homines iudicio præditi, non absq; fructu, meo quidem iudicio, in eorum lectione versabuntur. Interea dum de nuptijs agitur, ineũtur noua consilia contra Regem. Habebant Aquitanus & Britannus apud Carolum legatos, & qui à Britanno erant missi, dicebant Regem sollicitare quacunq; ratione familiares Aquitaniæ Ducis, & iam demolitum esse castellum quoddam eius regionis: ex quo facile sit intelligere, quid moliatur, hoc scilicet, vt sicut antea Normanniam ex pacto traditam recepisset, ita quoq; nunc Aquitaniam recuperet. Missis igitur à Carolo super ea re literis & nuncijs, Rex ita respondit: Fratrem suum Aquitaniæ Ducẽ, proferre nimiùm fines, & excedere limites eorum, quę iam ei dedisset: nihil se quicquam adempturũ illi. Atq; hîc spectare licet, quàm sint confusa & perturbata Galliæ negocia, simulatq; dissensio aliqua nata est, & quàm sit arduum ea pacificare. Tametsi enim principio

vnus & alter solùm dissideant: tamẽ breui pòst tempore multi alij studio alterius partis, immiscentur. Sed ferè fit, vt excitata primùm offensione, quisq; putet se iam finem & exitum illius prospicere. Inter alia, Britannus & Aquitanus orabant Carolum per legatos, ne Anglorum vteretur auxilijs, quòd essent perpetui hostes Galliæ, cuius incolumitatem atq; salutem ipsi modis omnibus cuperent: satis magnas ipsorum esse vires atq; potentiam, vt bellum vel inferant Regi, vel illatum defendant: & quod præcipuum sit, esse per Galliam non paucos, neq; vulgares homines, qui rebus ipsorum faueant, & à Rege animum auerterint. Aderam, cùm Aquitani legatus in eam sententiam ad Carolum loquutus, vt copias cogeret, hortaretur. Ibi tum Carolus, ad me conuersus, & paululum secedens: Vides, inquit, sollicitantem illum, vt bellum moueam, quod ex vsu Galliæ futurum esse dixit: An idem quoq; tibi videtur? Hîc ego subridens dicebãm, mihi videri nõ futurum vtile. Tum ille: Sum, inquit, studiosior Galliæ, quàm orator iste putet. Cùm enim vnus modò sit in Gallia Rex, ego sanè cuperem à senis Regibus eam gubernari. In hoc ipso tempore, Eduardus Angliæ Rex, qui putabat confectum iri nuptias cum Aquitano: totis viribus conabatur impedimentum

aliquod

aliquod inijcere. Nam quia Ludouicus Rex nõ habebat filium hæredem, dicebat fore, vt illo mortuo, ad fratrem deferretur principatus & imperium, qui per has nuptias amplificatus, & florentissimarum ditionum possessionem adeptus, in summum discrimen possit omnem Angliam aliquando adducere. Vehementer itaque sollicitus erat, tametsi præter causam, tum ipse, tum Angliæ proceres omnes, ita quidem, vt satisfactionibus Caroli fidem non haberent, & quiduis facturi esse viderentur, etiam Regem adiuturi potiùs, quàm vt matrimonium hoc ipsorum voluntate fieret. Videre licet hoc loco, quantis curis hi Principes, ac ipsorum familiares distineantur in summis & arduis negocijs, quorum finem & exitũ præuidere non possunt. Nam in istis sollicitudinum & grauissimarum cogitationum molestijs, è vita decesserunt, alij post alios, inhiantes auidissimè, alter alterius morti, maxima curarum & occupationum mole relicta suis hæredibus. Quanquam sanè Ludouicus, Carolo filio moriens pacatam tradidit Galliam, hac in re benignior in illum, quàm in seipsum. Erat enim quietis & ocij impatiens: per omnẽ ferè vitã implicatus bellis atq; dissensionibus, à quibus vix ęgrè sub mortẽ fuit expeditus. Aquitanus intereà, dũ ipsius legati Carolũ ad bellum

hortantur: minùs commoda vtebatur valetudine. Quumq; Rex apud Xanthones, oppidũ quoddam obsideret, legati hoc perfecerunt, vt Carolus Atrebatum profectus, conduceret copias, ac Peronam deinde cum exercitu longè maximo proficisceretur. Habebat enim inter alios mille ducentos cataphractos expeditissimos. Dum apud Atrebates commoratur, duo simul ferè nuncij adferuntur: primum, Calabriæ & Lotharingiæ Ducem Nicolaum, aduentare matrimonij causa. Hunc, posteaquàm aduenit, humaniter excepit, bona quadam spe iniecta. Deinde postero die sunt allatæ literæ à Simone Quintio, qui ipsius erat apud Regem legatus, quibus ille significabat, Aquitanum è vita dimigrasse, & Regem bonam eius ditionis partem iam occupasse. Earum literarum sententiam multi deinde alij confirmabant. De genere mortis non vna fuit opinio. Carolus eum casum immoderatissimè tulit, & instigatus à nonnullis, dat literas ad multas Aquitaniæ ciuitates, odiosè scriptas in Regem, sed parum ijs profecit. Nec enim vllus extitit motus, tametsi puto Regis negocia summam habitura fuisse difficultatem, si longior ipsius fratri vita contigisset. Iam enim Britanni erant instructi, neq; longè aberant, & multi per Galliam ipsorum rebus fauebant: sed interuentu mortis

mortis Aquitani, conciderunt omnia consilia. Sic exacerbatus Carolus, progreditur cum exercitu, & bellū incipit in Veromanduis atrox admodùm & funestū. Quacunq; enim transiret, incendijs omnia vastabat, omnino præter morem. Primum agmen obsidione cinxit castellum eius regionis Nelam, in quo præsidiū erat aliquot sagittariorū. Hi legatum ad ipsos missum de deditione facienda interficiunt, & cùm de inducijs cœptum esset agi, omissa eius rei mentione, & impetu facto, vi expugnātur. Qui supererant à cæde, suspenduntur: nonnullis præsecantur manus, paucis quibusdā commiseratione militum dimissis. Crudele quidē erat istud belli genus: sed Carolus volebat videri iustam habere causam, cur ita faceret. Primùm enim, odiosè admodùm & acerbè loquebatur de morte Aquitani, secutus aliorum sermonem. Deinde eorum oppidorum, quæ sunt ad Somiam flumen, iacturam grauissimè tulit. Quo tempore cogebat hunc exercitum, legati Regis: Petrus Doriollus, Galliæ Cancellarius, & alij nonnulli proceres, non semel ad ipsum venerunt, ante mortem Aquitani, & secretò de pace agebāt. Sed quia Carolus in primis volebat sibi restitui illa Picardiæ oppida, nihil quicquam perficiebant, recusante Rege, qui nunc demum, posteaquàm instructū vide-

ret Carolũ, assensit, his conditionibus: vt Ambianum & Sanctoquintinum, & alia, de quibus erat controuersia, rediret ad Carolum: vt de Comite Niuernensi & Connestablio, eiusq; facultatibus omnibus, liberũ esset Carolo statuere, pro suo arbitratu: vt ab amicitia & fœdere Aquitani & Britanni Carolus discederet, eosq; permitteret inuicem potestati Regis. Eas conditiones Carolus iureiurando sanciuit, & aderam ipse. Regis quoq; legati, simili se religione obstrinxerunt, & simul suadebant Carolo, vt contineret exercitũ, vti Rex eò promptiùs redderet quæ promisisset oppida. Sed & cùm à Carolo iam discederent, Simonẽ Quintium vnà secum abducebant, vt is coràm videret ea, de quibus ipsi pacti essent, à Rege confirmari. Sed quum Rex per dies aliquot differret, allatus est de morte fratris nuncius. Qua re cognita, Simonem Quintiũ frigidè admodùm dimittit, neq; iureiurando voluit teneri. Quod implacatissimè tulit Carolus, & se ludificatũ esse querebatur. In castris etiã maximus erat fremitus, & omnis generis contumelias pleriq; in Regem dicebant. Qui lecturi sunt aliquando ista, iudicabunt, vt est credibile, vel parum fideles & integros fuisse Principes, de quibus loquor, vel me criminari illos & vituperare. Certè, nullius honorem aut existima-

tionem

tionẽ velim per me violari: sed vt historiæ sua constet veritas & ordo, non fuit integrum, ea, quæ dixi, silentio præterire. Sed quęcunq; tandem futura sint hominum iudicia: si quis alios quoq; Principes intueatur, multò fortasse plura, quæ reprehendantur, comperiat. Nunc autẽ, ex his duobus, vter insidiosè & astutè egerit, videamus, vt iuniores aliquando Principes, consimilibus implicati negocijs, rectè sibi caueant, ne circumueniantur. Nam etsi non omnes æquè sunt ad fallendũ propensi: tamen vtile est memoria complecti superiorum temporum res gestas. Vt igitur quod res est, dicã, arbitror eò spectasse omnia illorũ cõsilia, vt alter alterũ falleret. Eaq; in re similibus propemodùm sunt vsi rationibus. Ambo instructũ habebant exercitum; & Rex aliquot iam oppida tenebat, & interea dum de pace ageret cũ Carolo, valde vrgebat fratrẽ, à quo complures è nobilitate iam defecerant. Ipsius exercitus erat non procul à Rupella, quod est in Xanthonum finibus oppidum maritimum, munitum & locuples. In eo multi erant ab ipso non alieni, & partim ob crebram pacis mentionem, partim propter ægritudinem Aquitani, certis conditionibus iam cœperant paciscí. Hæc enim Regis erat, nisi fallor, sentẽtia, vt si vel bellum ijs locis feliciter gereret, vel ipsius frater è

vita migraret, non interponeret iusiurandum. Sin autem eo bello, quod cupiebat, non consequeretur: vt tum vitandi periculi causa, seruaret propositas conditiones, ideoq; diligentissimè obseruabat temporis momenta. Nam Simonem Quintium, Caroli legatum, per dies octo distinuit, atque interea de morte fratris allatus est nuncius. Et quia sciebat illum vehementissimè cupere Ambiani & Sancto-quintini restitutionem, neque temerè id circo præbiturum esse causam vllam offensionis: putabat se non difficulter posse perficere, vt quindecim aut etiam eò plurium dierum moram leniter ferret. Interea, si quam commoditatem tempus adduceret, expectabat. Posteaquàm de Rege sum loquutus: dicendum nunc est de voluntate & consilio Caroli, & videndum, quid Regi permiserit, siquidem mors Aquitani non interuenisset. Simon Quintius mandatum acceperat ab eo, petente Rege, vt simulatq; Rex iureiurando sanxisset pacem, in Britanniam profectus, cuiusmodi essent cõditiones, Britanno denunciaret. Deinde placuit, vt Aquitaniæ Ducis legati, qui tum aderant, Principi suo idem significarent. Quod ideo Rex volebat, vt Britannis, quũ à Carolo, cuius virtute & præsidio magnoperè nitebantur, sese destitutos esse intelligerent, pauorem

& tre-

& trepidationem adferret. Erat autem Quintio datus à Carolo, veluti Comes itineris, inter alios, Hanonius quidam Parisiensis, homo prudens. Ei Carolus abeunti dedit literas, quas ad Quintium ipse scripserat, in quibus hoc solum inerat, vt iis quæ dicturus esset Hanonius, fidem haberet. Sed mandauerat ei Carolus, ne eas literas Quintio redderet, priusquàm & à Rege discessisset, & Nannetes, quod est ad Ligerim oppidum Britanniæ minoris, peruenisset: vtq; eo primùm loco sua mandata illi exponeret, in hanc sententiam: Vti Quintius, nomine Caroli iuberet Britannum esse firmo animo & ocioso, non se deserturum esse vel ipsum, vel Aquitanum etiam, sed omni ratione totisq; viribus adiuturum: iniisse quidem se pactiones cum Rege, sed non alia de causa, nisi vt amissas vrbes recuperet, à Rege sibi præter ius & æquum, contraq; fidem & promissum, pacis tempore ademptas. Iis oppidis recuperatis, nunciaturum se Regi, vt à bello Britannico & Aquitanico abstineat. nec enim promissa & iusiurandum se magis seruaturum esse, quàm ipse priora pacta seruarit, tam illa, quæ prope Lutetiam Parisiorum; quàm quæ posteà Peronæ facta sint: ademisse illum sibi pacis tempore, quas anteà dederat vrbes: oportere nunc etiam, vt patienter ferat, iisdem ar-

tibus illas abs se recuperari. Quantum ad Conneſtablium & Comitē Niuernenſem pertineat, licet ab ipſo deſtituti ſint, & ſibi permiſſum ex pacto, vt de ipſorum fortunis pro ſuo iudicio ſtatuat: ſe tamen, etſi iuſtam habeat offenſionis cauſam, condonaturū eis eſſe culpam, nec velle quicquam ipſis auferre, ideoq; orare ſe, vt ipſe ad eundem modum agat cum Aquitano & Britanno, eoſque patiatur ocio & pace vti, ſicut apud Lutetiam conſtitutum ſit. Quod ſi non impetret, non ſe neglecturū eſſe ſociorum iniurias. Et quo tempore hæc nunciaturus ſit Regi per legatos, habiturum ſe eſſe omnia ad bellum apta & parata. Hæc erat ſumma eorum, quæ Carolus & nunciabat illis & cogitabat perficere: ſed longè aliter accidit. Nam interitus Aquitaniæ Ducis interuertit omnia conſilia. Rex enim neque reſtituit Carolo, quas ille petebat vrbes, & ſimul morte fratris auctus eſt Aquitaniæ acceſſione. Suprà diximus, quemadmodùm illi, qui erāt in præſidio Nelæ, capti fuerint. Carolus inde digreſſus, Roiam circumſedit, quod eſt in Bellouacis oppidum, vbi mille & quingenti erant ſagittarij cum aliquot cataphractis. Maiorem exercitum ante id tempus nullum habuit. Poſtridie, quàm eò veniſſet, hoſtes metu perculſi, deſerta ſtatione, quum per muros ſeſe eieciſſent,

dedunt

dedunt se Carolo: quæ causa fuit, vt & reliqui cataphracti, compositione facta, discederent. Constituerat Carolus illinc ad Normannos transire: sed priùs venit Bellouacum, eiusque oppidi suburbium vnum facili manu occupauit prima ipsius acies, cui præerat Cordæus, qui deinde aliam quoq; vrbis partem tentabat: verùm quòd nimium breues erant scalæ, & perpaucæ quidem illæ: nihil potuit perficere. Duobus quibusdam tormentis igitur obiectam portam oppugnabat. Quòd si plures habuisset machinas, & continenter fuisset eiaculatus, haud dubiè potitus fuisset oppido: sed accesserat malè instructus ad eam rem perficiendam. Præter oppidanos initio nullus erat ibi ferè miles. Nostri, ea parte, qua tormentis erat interrupta porta, cominùs in hostem pugnabant. Interea Cordæus Carolum sollicitat, vt celeriter cum reliquo exercitu progrediatur, si velit oppidum occupare. Dum hæc geruntur, ex oppidanis aliquis conijcit faces ardentes in nostros, qui ad portam vim faciebant, quumq; iam incendium latè vagaretur in porta, nostri coguntur referre pedem, donec extinctus esset ignis. Carolus, vt eò venit, putabat & ipse captum iri iam oppidū, oppressa flamma. Et sanè, si partē exercitus collocasset via Parisiensi: aditu & itinere prohibuisset 1472.

omneis qui auxilio veniebant. Sed difficultatem sibi fingebat & periculum, vbi nullũ erat, & quòd tenue flumen interlaberetur, noluit transire: ac deinde, cùm iam hostium equitatus magnus in oppidum venisset, constituit in eam partem transire, consilio multùm ancipiti & periculoso, à quo tamen vix summa difficultate poterat dimoueri. Incendium illud totum diem permansit, & sub vesperum, decem duntaxat cataphracti, nobis inscientibus, dum occupamur ponendis castris, & quòd ad eam partem nulli essent nostri milites, in oppidum peruenerunt. Prima luce, propiùs admouemus tormenta, in eoq; temporis vestigio conspeximus ad ducentos cataphractos in vrbẽ ingredi, quorũ aduentu recreati oppidani, vt est credibile, deditionis nullã fecerunt mentionẽ. Sed Carolus tũ exacerbatus ob res anteactas, vt diximus, volebat vi capere. Quod si accidisset, erat dubio procul omnia vastaturus incendio. Post equitatũ illum in vrbẽ receptũ, totos quindecim dies oppugnabat eos acerrimè tormentis, sic, vt ad impetũ faciendũ militibus esset patefacta via. Sed quoniã fossa stagnabat aquis, efficiendi nobis erant duo pontes, ad latus illius portæ, quæ fuit exusta, & ab altera parte eius portæ peruenirí poterat ad murum absque periculo, nisi quòd vnum modò propugna-

pugnaculum, propter ipsius humilitatem, difficilem habebat oppugnationē. Et quanquam fortissimi duces, lectissimiq; equites oppidum defendebant, & inter hos Connestablius, nisi fallor: Carolus tamen constituit vi oppugnare, contra omnium opinionem: & noctu quieti se daturus, rogabat è suis familiaribus, an putarent hostem ad sustinendam oppugnationem habere satis viriū & animi? Quum pleriq; affirmarent ob illorū multitudinem, deridens, aiebat fore, vt ante exortam lucem, omnes ex oppido se eijcerent, ac fugæ mandarent. Postridie manè cœptum est vehementissimè oppugnari. Pontē illum ex nostris multi transeunt, pleriq; etiam in muro constiterunt, & cominùs diu multumq; præliantur. Erant destinati recentes acintegri, qui primis aut interemptis, aut reiectis, aut defatigatis succederent: sed quum frustrà eos moliri videret Carolus, iubet referre pedem. Hostes, quòd conspicerent se numero superari, continebant se intra munitiones. Ex nostris desiderati sunt ad centum & viginti, vulnerati autē circiter mille. Insequenti nocte, hostes eruptione facta, quoniam & equites erant omnes, & pauci, & hastis inuecti in tabernaculorum funes, impediebantur: nulla re perfecta, recipiunt se in oppidum. Octauo post oppugnationem die,

Carolus constituit rem tentare via & porta Parisiensi, bipartito exercitu: sed quòd vrbs à multis & lectissimis hominibus defendebatur, omnes eum dehortabantur. Quod nunc demũ cogitabat perficere, id si principiò fecisset, multò rem egisset feliciùs. Quum non succederet conatus, soluit obsidionem, & futurum putabat, vt discedens inuaderetur ab hoste. Quod si facerẽt, cogitabat eos excipere: sed quum nulla fieret eruptio, contendit in Normanniã. Promiserat enim Britanno, se Rothomagum vsq; cum exercitu profecturum esse, quò & Britannus venturũ se cum suis copijs dixerat: sed accepto nuncio de morte Aquitani, mutata sententia, domi sese continuit. Carolus, captis aliquot oppidis & castellis Normanniæ, & incendio vastatis Aulercorum agris, ad portas vsq; Depæ, quod est maritimum oppidũ, tandem apud Rothomagum consedit. Sed interceptis ab hoste pabulatoribus, quoniam & hyems suberat, & cibariorum magna esset inopia, domum reuertitur. Cõfestim post ipsius abitionem, Regij milites omnia, quæ ijs locis occupauerat, sine negocio recuperarunt.

PHI-

PHILIPPI COMINÆI COMMENTARIORVM LIBER QVINTVS.

AD hoc ferè tempus dedi me in clientelam & familiam Regis, qui & plerosq; sui fratris familiares post mortem illius recepit, & tum in Britannia bellum gerebat. Sed post crebras vtrinq; missas legationes, constituit omnino paciſci. Quod vt maiori suo commodo faceret, familiares aliquot Britanni, à quibus ille totus pendebat, ipse inutilis & ignauus, promissis & largitionibus ad suas partes traduxit. Eorum authoritate & cõsilio, re perfecta, & constituta pace, in Picardiã contendit. Per hyemem ferè consueuerant ipse & Carolus aliquot mensium paciſci inducias: idem nunc quoq; faciebant. Verùm legati Regis, quum de pace Britannica exposuissent, nolebant Britannum inter socios Caroli comprehendi, quòd ab eius fœdere nuper ille discessisset. Legati autẽ Caroli, & in his Cancellarius, affirmabant, Britanno esse liberum, vt intra certam diem accederet, in vtrius partis amicitiam vellet: illum anteà quoque

defeciſſe à fœdere, & literis hoc ſignificaſſe, nec tamẽ idcirco defuiſſe officio: pendere quidem illum ab alienis conſilijs, & ſuorum authoritate gubernari totum: ſed tamen ſequi tandem ſaniora conſilia, & facere quod ſit ex vſu rerum ſuarum. Dum de his rebus agitur, magnus erat vtrinq; fremitus aduerſus Conneſtablium. Oderat eum Rex, & multi Galliæ Principes admodùm acerbè, Carolus etiam multò infeſtiùs, propter ereptum Ambianum & Sanctoquintinum, & quòd redintegrati belli ipſum habebat præcipuum authorem: nam induciarum tempore Conneſtablius cum ipſo blandiſſimè agebat: ſed exorto bello, perſequebatur odioſiſſimè, & inuito volebat extorquere filiam, vt ſuprà demonſtrauimus. Has odiorũ cauſas etiam illud auxit, quòd quo tempore Carolus cum exercitu prope Ambianum conſedit: ille factis incurſionibus in Hannoniam, caſtellum quoddam ijs locis cremauit, nouo planè & inuſitato exemplo. Quũ enim ab incendijs anteà temperatum eſſet vtrinq;, Carolus indignitate rei commotus, & ſecutus morem illius, in Galliam quoq; deinde flammas & ignem intulit. Excitatis in eo multis aduerſarijs, fit coniuratio, & vtriuſq; Principis legati conſilia inter ſe communicabant. Habebat enim ille ſuas poſſeſſiones nõ vno in loco.

In Ve-

In Veromanduis occupabat Sanctoquintinũ, locuples & firmũ oppidum: in propinquo tenebat Hanium & Bohenium, arces, quæ facilè poterant præsidijs firmari: deinde, præter summum illud munus, quod in Gallijs obtinebat, pensionem annuam habebat à Rege, ad quadraginta quinq; francorum millia, sed & vectigal atq; portorium ei pendebant mercatores, qui vina ex Gallijs, per ipsius fines deportabant in Flandriam aut Hannoniam. Ad hęc, non in Gallia tantùm, sed per Caroli quoq; ditiones multorum sibi gratiam & beneuolèntiam adiunxerat. His de causis, non poterat eũ Rex, nisi adiutus à Carolo, solus opprimere. Per inducias agebatur potissimùm de illius capite ac fortunis. Qui à Rege erant ad eam rem destinati, referebant omnia ad Imbercortum, qui & à multo iam tempore illũ oderat, & nuper etiam maius conceperat odiũ. Nam quodam in conuentu, dum vtriusq; Principis legati de cõtrouersijs agerent: ille mendacij Imbercortum insimulauerat. Quam ad criminationem iste prudenter & modestè respondit, iniuriam illam non ad se, verùm ad Regem, cuius fidem secutus eò veniisset legatus, & ad Carolum, cuius ipse locum obtineret ibi, pertinere, cui etiã sit commemoraturus omnia. Hæc sola verborum contumelia, summam &

extremam ei perniciem attulit, vt posteà sum dicturus. Quocirca, qui sunt magno loco apud Principes, magnopere sibi cauere debent, ne quid atrocius dicant. Nam quò potentior est & maior is, qui iniuriam facit, eò grauiùs dolent ij, quibus infertur. Propter authoritatem enim eius, & amplitudinem qui intulit, putant hoc magis ad infamiam suam pertinere. Quòd si Princeps quoq; durius aliquid ipse dixerit: tunc verò spem omnem illi abijciunt, vllos vel honores vel opes ab eo consequendi. Deinde, sic est ferè comparatum inter homines, vt pleriq; spe percipiendi commodi magis excitentur, quàm memoria iam accepti beneficij. Sed vt ad institutum reuertar: regij legati super ea re potissimùm agebant cum Imbercorto & Caroli Cancellario, ad quem etiam aliqua pars eius iniuriæ, quam Imbercortus acceperat, pertinebat. Breuiter, eò res deducta fuit, vt Bouilli, quod oppidum à Namurcis non longè abest, legati conuenirent. Conne stablius autem certior factus, quid ageretur, crebros dimittebat ad vtrumq; Principem nuncios, & Regi quidem persuasit, Carolum eò spectare, vt se redderet à Gallis alienum. Magna igitur celeritate Rex mandat suis, vt aduersus illum, certis de causis, nihil statuant, & inducias tantùm extrahant. Cùm is ad-

is adferretur nuncius, iam peracta res erat & confirmata literis: verùm tantus erat inter legatos animorum consensus, vt eas literas vtrobiq; redderent. In ijs hoc perscriptum erat, Connestablium multis de causis iudicatum esse hostem & Regis & Caroli, ideoq; iureiurando & fide data promiserant, vt vter ex ipsis duobus prior eum cepisset, is vel intra dies octo supplicium sumeret, vel in socij potestatem daret, eamq; rem publicè denunciandam esse: nec id modò, verumetiam omnes, qui auxilium ei præberent vnquam, hostium numero habendos. Rex præterea pollicebatur, redditurum se Carolo Sanctoquintinum, & illius omnia mobilia bona, quæ sint in Gallijs: facultates etiam illius omnes, quas in inferiori Belgica teneret, ei largiebatur. Decretum & hoc fuit, circumsidendum esse illum ab vtrisque in sua arce, intra certum tempus. De his omnibus ita conuenerat, vt diximus: verùm superueniente illo nuncio, mutatum est consilium, & Connestablio fuit constitutus dies, quo cum Rege, accepta fide, in collocutionem veniret. Id fuit tribus à Nouiodumo milliaribus. Connestablius eò venit, comitatus inter alios, circiter trecentis nobilibus cataphractis, ipse armatus sub veste discincta. Cum Rege erat sexcenti cataphracti, & in his

Comes Dammartinus, hostis illius grauissimus. Rex, præmissis aliquot equitibus, quoniã prior ille venerat, excusabat moram: tandem & ipse venit. Eramus cum eo pauci quidam in ea collocutione. Conne stablius primùm excusat, quòd armatus veniret: factum id à se propter Dammartini præsentiam, à quo capitaliter dissideret. Post multam collocutionem voluit Rex, vt præteritarum offensionum aboleretur memoria. Cùm deinde in eam partem, vbi Rex erat, transijsset, (nam tabulatũ quoddam intererat) fit inter eum & Dammartinũ, interces sione Regis, compositio. Inde cum Rege profectus Nouiodunum, postridie Sancto-quintinum reuertitur, planè reconciliatus, vt ipse quidem dicebat. Pleriq; omnes fremebãt & indignabantur: alij verò etiam ridebant, in collocutionem venisse Regem cum suo cliente & beneficiario: qui interiecto sepimento, non esset veritus in sui Principis conspectum venire armatus, & equitum circumclusus cohortibus, qui quidem omnes & Regis essent imperio subiecti, & alerentur ab ipso. Qua re intellecta, Rex, cùm & ipse apud se diligenter omnia reputaret, qui iam antè inimico in eum animo fuisset, multò grauiùs hoc dolore exarsit. Et quanquam institutum istud Regis incusari fortasse potest: non absque causa tamen

tamen factum ab eo fuit. Arbitror enim Carolum, non habita ratione eorum, de quibus anteà conuenerat, libenter fuisse cum illo rediturum in gratiam, si modò potuisset ab eo recuperare Sanctoquintinum. Sed quantum ad Connestablium pertinet, tametsi ingenio valebat, minùs prudenter tamen egit, quòd ad eum modum, vt diximus, prodijt in conspectum sui Principis: quāquam sanè, quum propè & coràm constitisset ante Regem, videbatur esse attonitus, & timentis præbebat speciem: sed neque diu moratus, ad Regem trāsijt. erat enim in magno discrimine. Puto equidem & illum, & eius familiares credidisse, hoc ad laudem suam pertinere, quòd Rex visus esset ipsum metuere. Erat quidem aliquantò rex timidior, sed iusta & necessaria de causa. Non ita pridem explicauerat se ab eo bello, quod cum Galliæ Principibus ei intercesserat, quos muneribus & pollicitationibus pacificauerat. Plerique credebant eum timiditate quadam & animi consternatione ita sese demittere, quæ causa fuit etiam, vt quidam non dubitarent ipsum bello deinde lacessere, sed infeliciter eis accidit. Nouerat enim exactissimè temporum momenta, sic, vt ausim affirmare, me non alium vidisse rebus aduersis prudentiorem. Verùm, vt ad institutum redeam, cre-

dibile est, vt dixi, Connestablium hoc spectasse, vt metueretur à Rege. Affirmare quidem nihil velim, & eò solùm ista commemoro, vt illos, qui Principum negocia tractant, officij commonefaciam. Mihi si quis esset apud aliquem Principem amicus aut propinquus: huic suaserim, ita se comparet, vt diligatur, non autem vt metuatur. Nã qui diuersam rationem ingrediuntur, vt periculum tandem & calamitatem euadant, fieri non potest, eiusque rei multa proferre liceat documenta, non ex Gallijs modò, verumetiam ex Hispanijs & Anglia. Ferè autem fit, vt qui bonam & fidelem operam præstiterunt, arbitrentur sibi aliquantò plus quàm alijs licere. Principes contrà longè aliter sentiunt, & æquius esse ducunt, vt qui se ipsorum clientelæ & ministerio tradiderunt, officio fungantur. Memini, quo tempore in hanc sententiam Rex mecum loqueretur, (& suum nominabat authorem) affirmans fieri aliquando, vt egregiæ operæ minùs liberaliter remunerentur, idque non tam ingratitudine Principum, quàm eorum, qui præstiterunt operam, vitio: dum elati quadam confidentia, propter rem bene administratam, insolenter & proteruè multa faciunt. Aiebat præterea, feliciter agi, sua quidẽ sententia, cum eo, cui nullo suo magno merito Princeps benefa-

cit: & vt quis beneficio sit obstrictus Principi, id multò præstare, quàm vt Princeps cliẽti aut famulo alicui suo multũ debeat, eoq; se ingenio esse dicebat, vt qui sibi ob aliquã beneficentiã deberẽt, eos plus diligeret, quàm alios, quibus debere se aliquid ipse putaret. Tã est difficile in omni genere vitæ, accõmodare se & ita gerere, ne quid erres. Magnũ igitur est Dei beneficiũ, valere sensu cõmuni, & iudicio naturali. Sub hoc ferè tẽpus colloquij inter regem & Connestabliũ, Carolus profectus erat, vt Gheldriæ possessionẽ occuparet, quã ad se pertinere dicebat. Et quoniã memorabilis admodum est causa, non grauabor eã recitare, vt potentiã & ὄpera Dei contẽplemur. Erat id tẽporis Gheldriæ dux Adolphus, adolescẽs, qui vxorẽ duxerat ex familia Borboniorũ. Is horribili & inaudita quadã audacia patrẽ suum, de nocte, cùm esset quieti se dat⁹, acerrima hyeme ceperat, & per quinq; milliaria deductum absq; calceis, in deterrimũ carcerem & obscurissimũ detruserat, in eoq; per sex menses eũ detinuit, & hac demum occasione graue fuit excitatũ bellum à Duce Cliuensi sororio senis captiui, aduersus Adolphum. Intercedebat quidem Carolus, vt eos pacificaret, sed frustrà. Cumq; Põtifex etiã Romanus & Cæsar tandem sese immiscerent, Carolus illorũ mandato, captiuũ Arnoldum è

carcere liberauit. Adolphus enim, quoniam & authoritatem Pontificis atque Cæsaris, & Caroli quoq; potentiam verebatur, non audebat ei petenti hoc negare. Vidi ipse, quum ambo suam caussam, non semel, apud Carolum, in cœtu & concilio multorum hominum disceptarent. Vidi, quum pater filio deferret duellum. Carolus, etsi cupiebat eos componere: magis tamen erat propensus in filium, cui & Burgundiæ præfecturam & Gheldriæ possessionem deferebat, vno tantùm excepto oppido, Grauiam vocant, quod est ad Mosam, Brabantiæ vicinum. Illud patri voluit seruari, & simul tria florenorum millia quotannis, & tantundem ex annua pensione, & Gheldriæ titulum. Vt eas conditiones Adolpho proponeremus, mihi fuit cum alijs me prudentioribus, à Carolo mandatum. Verùm ille respondit, se malle præcipitem dare parentem in puteum, & seipsum deinde eôdem conijcere potiùs, quàm eiusmodi conditiones accipere: Patrem iam præfuisse per totos quadraginta quatuor annos, æquum esse, vt tandem & ad se quoque redeat principatus: ferre se posse, vt ille quotannis habeat ad tria florenorum millia, sed ea cõditione, vt ex Gheldria discedat, nec vnquam eò reuertatur. Hæc & id genus alia multa nobis, parum quidem prudenter respondit, & accidit

cidit istud, quo tempore rex Ambianum ademit Carolo, qui tum vnà cum his duobus, parente & filio, erat Dorlani, & accepto nuncio de occupato Ambiano, disceptationem hanc intermisit, & Hesdinum sese contulit. Adolphus autem, sumpta veste Gallica, comitatus vno solùm famulo, rediturus in Gheldriam, cùm apud Namurcum traijceret flumen, & pro vectura persolueret, agnitus ab vno & altero, captiuus Namurcum deductus est, & in carcere detentus fuit, donec mortuo Carolo, Gandauenses ipsum eriperent, eiq; bello quod cum Tornacensibus gerebant, præficerēt: quo quidem in loco miserabiliter fuit trucidatus, vltore & vindice Deo, qui scelus nullum finit impunitum. Intereà dum filius est in carcere, pater è vita discessit, & moriens, Carolum instituit hæredem, propter ingratitudinem filij. Hoc iure ac titulo fretus ille, Gheldriam vsurpauit: quæ tametsi resisteret, non poterat tamen sese tueri, & sub imperio permansit, tam Caroli, quàm ipsius hæredum, in hunc vsque diem, quoad visum fuerit summo rerum moderatori Deo: Hæc per occasionem eò recitaui, vt ostenderem, eius generis atrocitatem à Deo grauissimè puniri. Carolus, occupata Gheldria, factus alacrior, domum redierat, & cœpit animum adijcere ad res Germanicas,

præsertim, quũ Cæsar esset demissiori animo, & vt ne sumptus faceret, quiduis pateretur, quãquam alioquin absque Germaniæ Principum accessione, parum poterat. Producit igitur inducias cum rege Carolus, vt ea quæ moliebatur, perficeret. Dehortabãtur nonnulli regem, ne paciscereturlongiores inducias, nec sineret illũ ita progredi & amplificari. Rectè quidem isti & fideliter, sed quòd non haberent satis magnum vsum, loquebantur parum prouidè. Verùm alius quispiam ex Regis familiaribus, maiori cognitione præditus, & rerũ Germanicarum non imperitus, suadebat, vt omnino paciscereturm, eumq. sineret in Germaniam impingere, cuius maximum esset & incredibile robur: fore, vt ille vno aliquo oppido capto, vel controuersia aliqua sedata, progressurus sit longiùs, & noua semper moliatur: mentẽ eius inexplebilem, non posse vna aliqua re satiari: quò pluribus sit inuolutus negocijs, eò semper maiora ipsum velle tentare: non posse Regem commodiùs illum vlciscì, quàm vt sinat eum ita progredi, nec significationẽ vllam præbeat offensionis: imò certam inijciat spem seruandarum induciarum, & auxilij quoq; nonnihil præbeat potiùs, quàm vt ipsum auertat ab instituto: Germaniæ tantas esse vires, vt fieri non possit, quin eo bello totus atteratur: etiamsi

Cæsar

Cæsar non commoueat se, Principes tamen imperij non passuros eũ longiùs grassari. Atq; ita quidem accidit. Quum enim duo quidem contenderent de Archiepiscopatu Coloniensi, Carolus alterius partes voluit tutari, sperans hac ratione se posse quædam ijs locis occupare: ideoque circumsedit Nouesium, quod est oppidum ad Rhenum, quinque milliaribus infra Coloniam. Vno eodemque tempore cogitabat res maximas conficere, sed oneri tandem succubuit. Eduardus Angliæ Rex, instigatus ab eo, paratum habebat exercitum. Vt autem hunc in Galliam ille transijceret, valde studebat, & simul Nouesium circumuallauit: quam vrbem si cepisset, relicto ibi præsidio, & in quibusdam alijs locis supra Coloniam, cogitabat aduerso Rheno penetrare in ditionem Phirtensem, quam tum adhuc possidebat, atque ita per ingens spacium in potestate habuisset flumen longè maximum, in cuius ripa plurimæ sunt insignes vrbes & castella munitissima: & in Hollandiam vsque, vbi in mare influit Rhenus, iter habuisset patefactum, Et quoniam inducierum dies, quæ pacta fuerant in sex menses, iam cedebat: Rex vt spacium & ocium haberet moliendi aliquid in Germania, cupiebat illas extrahi: Carolus autem, quoniam Eduardo Regi promiserat

auxilia, noluit assentiri. Bellum hoc Nouesianum, nō quidem propriè pertinet ad nostrum institutum, neque coràm ipse spectaui: sedtamen quoniàm alia quædam ex eo dependent, necessariò mihi facienda est mentio. Tenebatur oppidum illud firmo præsidio equitum & peditum. Ijs præerat frater alterius Episcopi, quem Carolus oppugnabat. Maiorem exercitum Carolus ante id tempus non habuit, equitatum præcipuè. Nam inter alios accersiuerat ex Italia circiter mille cataphractos. Cogitabat enim aliquid in Italia moliri. Ijs præerat Neapolitanus quidā Comes, Campobachius. vir prauo & vitioso ingenio. Deinde, præter copias in sua ditione coactas, habebat circiter tria millia Anglorum, & tormentorum vim maximam, & hunc quidem exercitum instruxerat, vt se cum Anglis coniungeret, qui & ipsi in hoc erant toti, vt primo quoq; tempore essent expediti: sed interuenit ferè lōgior aliqua mora. Nam Reges Angliæ nihil tale, nisi conuocatis primis ordinibus, & assentiente populo suscipiunt, quæ quidem consuetudo valde mihi laudanda videtur. Interueniente enim populi volūtate & assensu, crescit robur & potentia Regum, & maior est ipsorum authoritas, & feliciores progressus. Eduardus igitur conuocato concilio, exponit quid constituisset facere,

facere, simul auxilia petit. Angliæ consuetudo fert, vt extra ordinem subsidium nullum dent Regibus, nisi quum belli gerendi causa, vel in Galliam traijciunt, vel in Scotiam proficiscuntur. Tunc enim libentissimis animis auxiliantur, & pecuniam cõtribuunt, præsertim, quum in Galliam itur. Reges igitur qui populi naturam & ingenium habent exploratum, quoties cogere volũt magnam aliquam vim auri, bellum parant in alterutram gentem, & collecta nonnunquã pecunia, quantum satis est in annum, post trimestre copias dimittunt, eamque rationem optimè callebat Eduardus, & non semel vsus est illa. Dum paratur in Anglia exercitus, consumitur ferè annus. Eius moræ pertæsus Carolus, ad initium æstatis, Nouesium petit, ea spe & consilio, vt intra pauciſſimos dies eo bello confecto, & captis in ea regione nõnullis oppidis, perueniret quò volebat. Mea sic est sententia, vt putem Deum clemẽter admodum tunc respexisse Galliam. Habebat enim Carolus ingentem exercitum, & iam per aliquot annos consueuerat grassari per Galliã, ita quidem, vt prælio nemo cum ipso decertaret. Quanquam hoc prudenter & consultò rex faciebat, propterea quòd suas & Galliæ fortunas nollet obijcere periculo, non tam metu Caroli, quàm quòd populi defectionem vere-

batur, si fortè infeliciter pugnasset. Nam quia populi, maximè verò procerum voluntatem à se putabat auersam: ea causa fuit, vt quoties bellum à Carolo inferebatur, ipse munitis tantùm oppidis & præsidio firmatis, sese contineret. Quo fiebat, vt & hostes tandem vltrò dilaberentur, & Gallia, nullo accepto magno detrimento, periculum euaderet. Totum hoc tribui sanè debet prudentiæ & ingenio Regis. Et quanquam hæc ita se habent: tamen si exercitus Anglicus ad constitutum tempus cum Carolo sese coniunxisset, Gallia dubio procul in maximo fuisset discrimine. Nec enim ante id tẽpus vnquã ijs viribus in Galliam penetrarũt Angli. Aderant omnes eius regni proceres, & præter insignem peditatum, circiter mille & quingenti cataphracti, & sagittarij ad quatuordecim millia, lectissimi, & ad prælium omnes idonei milites. Ad hæc, erant ab Eduardo destinati ad tria millia, qui Britannis sese coniungerent. Vidi tum temporis binas literas, quibus Eduardo nunciabat Durfius, vir nobilis è Britannia, Principem suũ, fauore & gratia & authoritate plus perfecturum esse in Gallijs intra mensem vnum, quàm & Anglicæ & Burgundicæ vires, quantæuis magnæ, intra semestre. Quòd si progressio facta fuisset, vt institutum erat, non dubito quin verum ille scripserit:

pserit: sed longè secus accidit, vt posteà sum dicturus. Eas literas Rex deinde grandi pecunia emit à quodã Eduardi scriba. Nouesij obsidio difficilior erat & longior opinione. Colonienses enim, quòd Caroli potentiã metuerent, singulis mẽsibus in hoc bellũ impendebant centena aureorũ millia, & initio fœdere cum alijs ad Rhenum positis ciuitatibus, exercitũ cogebãt ad quindecim hominũ millia, qui tormentis alijsq; rebus instructi positis castris ex aduerso Caroli ad Rhenũ, impediebant, ne quid aduerso flumine ex Gheldria supportaretur ad hostem. Deinde, Fridericus Cæsar, & Imperij Principes, conuocato concilio, decernebant oppidanis auxilia. Quod vt facerent, magnopere etiã rex sollicitabat. Itaq; Cæsar & Principes legatũ inuicem mittebant ad eũ, ex Bauarię ducum familia, canonicũ quendam Colonien sem. Is descriptum adferebat numerum exercitus, quem ipsi decreuissent, modò Rex copias quoque suas coniungeret. Ille humanissimè excepto legato, & datis literis sigillo suo consignatis, promittebat, simulatq; cum exercitu Coloniã ipsi venissent, confestim se missurum esse auxilio, viginti hominũ millia. Quare nũciata, cõducitur vndiq; miles, dum pecuniam, & quicquid vsui esse poterat, omnes Principes ac ordines Imperij singillatim conferunt.

In eum apparatum sex fuerunt consumpti menses. Rebus omnibus instructis, Cæsar non procul à Carolo consedit, tanto cum exercitu, vt Anglorum & Burgundionum cõiunctæ copiæ, vix tertia parte, multorum iudicio, illum adæquarent. Positis prope Nouesium castris, Cæsar & suo, & reliquorum Principum nomine, legatum denuò mittit ad Regem, vt spõsioni & pacto satisfaciat: nisi fecerit, se cum hoste compositurum esse. Rex iniecta spe aliqua, & quadringentis aureis dono datis legato, Ioannem Tercelinum illi adiungit, & ad Cæsarem mittit. Ea durante obsidione, de varijs rebus agebatur. Nam Rex magnopere cupiebat vel pacificare Carolum, vel saltem inducias proferre, ne Angli mare traijcerent. Eduardus autem in hoc totus incumbebat, vt Carolũ ab obsidione reuocaret, hortatus eum, vt seruaret promissa, & bello Gallico sibi ferret opem: amitti pulcherrimas occasiones, neque multum idonei temporis superesse. Carolus verò pertinaciter insistebat oppugnationi, & videbatur ei Deus ademisse mẽtem. A multis enim annis, & per omnem prope vitam, sollicitauerat Anglos, vt Galliæ bellum facerent, nec ante id tempus vnquam impetrare potuit, & nunc, cùm rebus omnibus illi essent paratissimi: cùm in Britania etiam esset coacta non

medio-

mediocris manus; hæret obstinatè in re summæ difficultatis, & omnino tali, quam perficere non potuit. Miserat autem Romanus Pontifex legatum ad Cæsarem, pacificandi gratia: Daniæ quoque Rex eò venerat eadem de causa, nec procul à castris aberat. Quò magis integrum erat Carolo, non iniquis conditionibus pacisci, & summam belli vnà cum Anglis in Galliam transferre. Sed aspernatus recta consilia, & leuiter excusans, dicebat se non posse desistere negocio: fore alioquin, vt insignem faceret iacturam, minùs prudenter istud quidem & maximo suo cum detrimento. Nec enim Anglicæ istæ copiæ erant ex eorum numero, qui bellum aliquando gesserant in Gallijs, sed erant insueti nostrarum rationum, & opus habebant Carolo, militiæ magistro, saltem per aliquod tempus, & initio. Dum hæc gerũtur, bello Carolus aliunde lacessitur. Nam Lotharingiæ Dux, qui ante id tempus fuerat amicus: & nuper à morte Nicolai Calabriæ ducis, priuatim cum eo & familiariter de nonnullis rebus egerat: productis copijs, & adiutus à Cranio, viro nobili Gallo, ditionem eius Luxemburgicã inuadit, capto & diruto quodam ibi castello, Petrofortam vocãt, duobus à Nanceio milliaribus. Ad hęc, ciuitatibus aliquot ad Rhenum, quarum è numero sunt Argentina

& Basilea, dissidium intercedebat cũ Heluetijs, verùm opera & industria regis composita lite, fœdus in annos decem paciscebantur. Grauiter etiam dissidebat ab Heluetijs Sigismundus Austriacus. Ea quoque controuersia, Rege authore, sedata fuit: qui eò spectabat, vt Sigismundus ditionem Pfirtensem, quam acceptis centum aureorum millibus, Carolo oppignorauerat, ad se reciperet. Per eius ditionis quatuor oppida, Heluetij volebant sibi transitum patere, quouis tempore. Introducta lis fuit ad Regem. Is causa cognita, secũdum Heluetios pronunciauit. His confectis rebus, Præfectus Pfirtensis, Petrus Hagebachius, à Carolo constitutus, de nocte capitur ab Heluetijs, & dimissis militibus circiter octingentis, quos custodiæ causa secum esse voluit, Brisacum adductus, quod est infra Basileam, oppidum ad Rhenum, capitis damnatur. Ab eius interitu, Sigismundus prouinciam illam illicò recuperat, & in propinquam Burgundiam Heluetij mox bellum inferunt, & captis ibi castellis aliquot, ac vastatis agris, domũ reuertuntur. Ad hoc tempus exibat induciarum dies, quas, quum frustrà Rex petijsset à Carolo produci, Trunceum arcem obsidet, ac paucis horis capit. Postridie me ad eos misit, qui Mondiderij erant in præsidio. Ij rebus omnibus saluis, oppido excesserunt.

runt. Idē quoq; faciebant, qui erant Roię, quod est in Bellouacis, eò q; auxilij spem nullam haberent. Nā si fuisset in propinquo Carolus, non tam facilè erant deditionē facturi: sed vtrumq; deinde oppidū, contra fidem à nobis datā, exustū fuit. Illinc digressus, Corbiā, quod est inter Peronam & Ambianū, ad Somiam oppidum, obsidet. Erat in eo Conteus, & alij complures, qui cùm aliquot dierum oppugnationē sustinuissent: deditione facta, discedebant. Eius etiam oppidi consimilis fuit ac aliorum fortuna, nam exurebatur totum. In hac rerum difficultate, sperabat Rex Carolum ad inducias permoueri posse, ideoq; constituerat exercitum reducere. Sed fœmina quædam mihi nō ignota, cuius nomen, quoniam adhuc viuit, non edam: datis ad eū literis, hortabatur, vt in Atrebates conuerteret impetum. Et quia locuples erat ea mulier, ac nobili genere nata, Rex consilium eius minimè contemnendum esse putabat. Missis igitur copijs, Ammirallio duce quicquid inter Abbeuillam & Atrebatum interiacet, vastat incendijs. Atrebates diuturnitate pacis insolentiores, militem, cuius præsidio tenebantur, compellunt eruptionem facere. Illi ad eum modum eiecti, quum multitudine & numero essent inferiores, interfecti sunt pleriq;, captis aliquot ipsorum ducibus. In his

fuit Iacobus Conneſtablij frater, & Contæus, & alij quidam propinqui eius fœminæ, quæ Regem ad hoc bellum incitauerat. Quæ licet & ipſa in hac communi calamitate, detrimentum, quod fieri neceſſe erat, accepiſſet: liberaliter tamen remunerata fuit. Factum hoc ad ipſius laudem minimè pertinet. Nec enim fide aut beneficio erat obſtricta, vt id faceret. Rex legatum miſerat eum, de quo diximus, Tercelinum, ad Cęſarem, orans, ne paciſceretur cum Carolo, & ſimul excuſans, quòd ad conſtitutum diem auxilia promiſſa non miſiſſet, affirmabat ſe primo quoque tempore miſſurum: non ſe intereà fuiſſe ocioſum, & hoſti non vno in loco bellum intuliſſe: rogare ſe, ne ſeparatim alter abſque alterius aſſenſu & voluntate cum illo pacificetur, & ea vt res iureiurando ſanciatur. rectè quoque facturum Cæſarem, ſi prouincias Caroli omnes, quæ ſub clientela ſint Imperij, occupet: idem de ſe Flandria, & Arteſia, & Burgundia, quæ ad Gallicum imperium pertineant, facturum eſſe. Cæſar, tametſi parum erat animoſus Princeps, ingenio tamen valebat: & quoniam grandi erat ætate longo rerum vſu plurima cognouit: deinde, aſſueuerat iam noſtris actionibus, & tædebat eum belli, tametſi nulla magna ipſius impenſa fieret. Principes enim omnes, collatis auxi-

lijs,

iijs, sumptum pro se quisque singillatim faciebant, vt fieri solet in rebus, ad Imperij salutem pertinentibus. Acceptis legati nostri mandatis: Fuit non procul, inquit ille, à quadam vrbe Germaniæ, ingens aliquando vrsus, qui totam vicinam regionem multùm infestabat. Eius oppidi tres quidam iuuenes veniunt, vt consueuerant, ad cauponem, rogant prandium sibi præberi: fore, vt intra biduum persoluant omne debitum: sese capturos vrsum illum vastatorem: eius pellem magno posse vendi, & futurum, vt aliquo præterea munere cohonestẽtur à ciuibus, ob interemptam belluam, quę tantum dederit damni. Caupo conditionem accipit. Pransi contendunt ad latibulum feræ, in quam quum opinione citiùs incidissent, perterrefacti subito occursu, in fugam abeunt. Ex ipsis in arborem vnus conscendit: alius ad vrbem, quantum potest, fugit: tertium vrsus comprehendit, & prostratum pedibus conculcat, rictum deinde propiùs ad aurem admouet. Interea miser ille mortui præbet speciem & hominis exanimati. Ea enim est vrsi natura, vt, si quod cepit animal, mortuum esse putet, non infestet ampliùs. Itaque quum & istum crederet extinctum, relinquit, inque speluncam redit. Ille tandem vbi consurrexit, vrbem petit. Qui in arborem confugerat, inco-

lumem illum esse videns, accurrit, & valde cupidè rogat, quid in aurē immurmurasset bellua: hoc, inquit ille, mihi præceptum dedit, ne quam vrsi pellem deinceps vendam, nisi capta primùm fera. Præter hanc fabulam, nihil tum aliud legato respondit, obliquè significans regi, vt cum exercitu, quem promiserat venire, atque coniunctis viribus hostem, si possint, caperent, ac ipsius deinde facultates inter se partirentur. Suprà dixi, quemadmodum Iacobus Conneſtablij frater, cum alijs nonnullis, apud Atrebates captus fuit. Eam rem grauiter tulit Conneſtablius: verùm nulla venit sola calamitas. Hoc enim ipso tempore, captus etiam fuit eius filius, Comes Rossius, Burgundiæ præfectus, & simulè vita decessit vxor, quæ soror erat Reginæ: quod in his acerbitatibus vnicum esse poterat subsidium. Nam quæ Bouilli facta fuit in eum conspiratio, non intermittebatur, & ille cognita re, sicut diximus, valde sibi metuebat: neque iam dubitabat, quin Regem haberet vehementer iratum & offensum. Aberant non procul à Sanctoquintino Comes Dammartinus, & alij multi, cum mediocri equitatu. Ille igitur, metu periculi, continebat se in oppido, cum trecentis circiter peditibus, quos è sua ditione coëgerat. Cataphractis enim suis, eò quòd alebantur à Rege, nihil magno-

gno-

gnopere confidebat. Sed interea Rex eum vrgebat crebris nuncijs, vt adducto equitatu in fines Hannoniæ, quo tempore Aminirallius incendio vastabat Atrebates, circumuallaret Auennium. Paruit quidem ille, sed valde timidè: cumq; per paucos admodũ dies ibi substitisset, multis circum se dispositis stipatoribus, domum redijt, & misso ad regem nuncio, purgandi sui causa, dicebat certiorem se factum esse. Regem summisisse duos, qui se caperent, atq; ita loquebatur verisimiliter, vt parum abesset, quin ex his duobus alter in suspicionẽ veniret, extulisse aliquid ad illum, quod tacitum & occultũ esse debebat. Dum hæc geruntur, frequenter mittit ad Carolũ, eo, nisi fallor, consilio, vt ab obsidione ipsum reuocaret. Ijs reuersis, nunciabat ferè aliquid regi, quod sciebat ei futurum esse non ingratum, & simul quamobrem eò misisset, exponebat, arbitratus hac via se posse illum flectere ac mitigare: nonnunquam etiam, vt metum aliquẽ inijceret, significabat res Caroli non malo esse loco. Sic enim timebat sibi à vi & insidiis, vt Carolum sollicitaret, quò fratrem suum Iacobum, qui tum ante Nouesium erat, cum aliis nonnullis ad se quamprimum mitteret, iniecta spe & promissione facta, Sanctoquintinum se parefacturum illis esse. Quò postea quam illi veniissent, fidem

eius atque pollicitationem secuti, ipse mutatæ sententia, diuersum renunciabat: & hoc quidem ter accidit. Quicquid est huius rei, à multis fide dignis, præcipuè autem ab ipso, de quo loquor, Conneſtablij fratre cognoui, qui captiuus in Galliam adductus, in hunc modum recitabat Regi, præter me, nemine præsente. Et quoniam liberaliter ad ea, quæ Rex percontabatur, respondit, commodè hoc ei accidit. Interrogatus, quãtas habuisset copias, quo tempore cogitabat in oppidum peruenire: ait, se tertiò habuisse ad tria millia. Deinde, an occupata vrbe, fratris fuisset sequuturus partes: Respondit, primò quidem atque secundò se illuc veniſſe, quò subsidium ei ferret. postremò autem, quòd animaduerteret, Principẽ suum, & se quoque ab illo ludificari: si tum in oppidum fuisset admissus, Carolo se fuisse illud seruaturum: non se quidem vim vllam facturum, sed inuito illo fuisse ibi commoraturum. Ab eo colloquio rex illum è carcere dimisit, & suæ familiæ adscripsit, & in magno habuit honore, propterea, quòd ingenuè & prudenter respondérat. Per occasionem obsidionis Nouesianæ sum delapsus ad alia: quæ quoniam in idem ferè tempus inciderunt, prçterire non licuit. Duraui enim ea obsidio totum annum, & vt eam solueret, duæ potissimùm res Carolum impello-

pellebant. primùm, motum à Rege in Picardia bellum, exustis aliquot oppidis, & Atrebatum agris vastatis: deinde, Anglicanus exercitus ipso authore conscriptus. Nam Eduardus, & qui erant cum eo proceres, admodum irati Carolo, propter interiectam moram, quum precibus nihil proficerent, & sumptus ingentes facerent, & rei bene gerendæ dilaberentur occasiones: cœperunt etiam comminari. Carolus autem ad suam existimationem & laudem magnopere pertinere putabat, obsideri à se tam longo tempore oppidum, in aspectu tantę multitudinis hostium, à quibus cogi non posset, vt illinc discederet. Verùm ista gloriola magno ei constitit. Nam qui fœliciter bellum gerit, ad eum redit omnis honos rerum gestarum. Pontificij legati interceſſione, pax tandem facta fuit, ea conditione, vt legatus in oppidi possessionem immissus, teneret illud, quoad Pontificis & Cardinalium authoritate aliquid statueretur. In quanta verò sollicitudine, & cogitationũ acerbitatibus, credibile est Carolum tunc fuisse, quum & bellum sibi videret inferri à Rege, & interminationes audiret Anglorum, qui socij erant & confœderati, & oppidum obstinatè circumuallatum videret in eas angustias adductum esse, vt intra paucissimos dies inopia rerum omnium, ad deditio-

nem cogi posset? Nam è ducibus vnus, qui circumsessus ibi fuerat, quem in suam deinde familiam Rex adiunxit, recitauit aliquando nobis, quum abeo discederet Carolus, potuisse capi intra decimum diem. His igitur de causis, vt diximus, obsidionem soluit. Interea Eduardus proficiscitur Daruernum, oppidum maritimum, vt traiecto mari, Caletos perueniret. Quantus fuerit exercitus, & quàm instructus, anteà diximus. Quæ quum ita sint, credibile est, Deum conturbasse mentem Carolo, vt hac omnium pulcherrima relicta occasione conficiendi belli Gallici, pertinaciter inhæreret oppugnationi difficillimæ, & tempus tereret. Habebant enim Angli in re militari opus ipso, tanquam præmonstratore. Nam quo primùm tempore in nostros fines perueniunt, valde sunt imperiti, & minùs idonei: sed breui tempore magnum vsum armorum sibi comparant. Ille verò non modò non formabat eos ad nostrum militiæ genus, quod in primis erat necessarium, si modò vellet vti aliqua ipsorum insigni opera: verumetiam sua cunctatione & pertinacia hoc effecit, vt administrandi belli amitterent propemodum occasiones. Deinde sic erat ipsius exercitus attenuatus, vt exhibere illum Anglis & repræsentare non auderet. Nam ex diuturna illa obsidione, desidera-

siderabat ad quatuor millia lectissimorum militum. Atque ita videre licet, quemadmodum fatali quodam malo consilia sua & actiones omneis, videns atque sciens & prudens instituerit in suam ipse perniciem. Erat tum Eduardus Daruerni: & quò faciliùs traiiceret, misit ei Carolus è Zelandia circiter quingentas naues, idoneas trãsportandis equis. Verùm, etsi hoc adminiculum haberet à Carolo, & licet magna diligentia rebus omnibus ipse prouideret: tamen inter eum portum & Caletos, treis hebdomadas nauigatione consumpsit, cùm sit interuallum septem duntaxat milliarium. Quo magis videri potest, quàm sit Anglis difficile in Galliam traiicere exercitum. Quòd si Rex maritimam rationem belli tam bene cognitam habuisset, quàm terrestrem, absque negocio traiectu intercluisset illum, & aditu prohibuisset, eo præsertim anni tempore: sed nec ipse intelligebat, nec etiam illi, quibus administrationem belli commiserat. Eduardus, antequam Daruerno proficisceretur, datis ad Regem literis, bellum ei denunciabat. Earum literarum, quæ sanè perquam eleganter sermone Gallico fuerunt conscriptæ, hæc erat summa: Vt Galliæ possessionem, quę iure ad se pertineat, sibi reddat, quò nobilitatẽ & ordinem ecclesiasticũ pristino iuri & liber

tati restituat. Id si non impetret, earum calamitatum, quæ posteà sint ex hac iniuria nascituræ, culpam à se remouebat. Quæ quidem contestationis formula est vsitata Principibus, dum alter alterius hostem se profitetur. Rex, vbi solus eas literas legisset, in vestiarium se recipit: & accersito fœciali, incipit: Sibi certò constare, Eduardum nõ sua sponte, sed impulsum à Carolo & multitudine, huc descendisse: iam magnam æstatis præterijsse partem: Carolum ex diuturna obsidione fractum habere exercitum, & rebus omnibus necessarijs carere: de Connestablio se non dubitare, quin is cum Eduardo communicarit consilia, propter eam, quæ sit inter ipsos affinitatem: sed nihil ei fidendum esse: quod suo exemplo cognosci possit, qui sit præclarè de ipso meritus: illum verò perpetua quadam vti simulatione, & ad suas commoditates omnia referre. In eam sententiam vbi multa dixisset, dabat illi trecentos aureos, & si pacificaretur, promittebat mille: palam verò iussit ei dari triginta vlnas preciosissimi panni serici. Fœcialis ad ea respondit, se, quicquid ad pacem vllo modo cõferre possit, libẽter esse facturum: existimare se, Regem Eduardum non fore difficilem, aut nimis durum, sed eius rei non esse vllam faciendã mentionem, priusquam exercitus mare traiecerit,

tunc

tunc ſtatim mittendum eſſe nuncium, qui tutum iter legatis impetret. Hunc ſimul atq; venerit in Anglorum caſtra, iubet ad Hauartum, qui magnæ ſit apud Eduardum authoritatis, accedere, ſeque illi in eo adiutorem fore profitetur. Dum Rex priuatim ei loquitur, multi foris expectabant, vt quo eſſet vultu aut quid diceret, viderent. Ille me ſtatim accerſit: iubet, vt intereà, dum comparantur, qui nuncium deducant, familiariter cum ipſo colloquar, eo conſilio, ne quis alius interpellaret. Poſt hæc, paucis quibuſdam euocatis, incipit loqui de literis. easque recitari iubet, nec vllum dabat offenſionis ſignum. Nam fœcialis ille ſermo ipſum recreauerat. Hoc loco mihi digrediendum eſt ad Conneſtablium. Is quòd Carolum ludificauerat, deque ſpe recuperandi Sanctoquintini deiecerat, in maximo verſabatur metu. De Regis immutata erga ſe voluntate, nihil etiam dubitabat, præſertim, cùm è ſuis familiaribus ad illum nonnulli iam tranſijſſent. Veruntamen ex ijs alter, Mouius, commeabat inter vtroſque, & mandato regis illum ad collocutionem euocabat. Conneſtablius ait non ſe recuſare, ſi Rex interpoſito ſolenni iureiurando, quod ſuper cruce ſancti Lupi Andegauenſis facere conſueuit, fidem ſibi præſtaret. Vt autem ad eam iuriſiurandi formulam Rex

descenderet, omninò se facturum esse negabat: sed paratus erat quacunque alia ratione ipsi cauere. Certè si quis intueatur omnia propiùs, comperiet miserabilem esse vitæ nostræ conditionem, qui tantis laboribus, vigiliis, curis, & acerbis cogitationibus nos defatigamus ipsi & affligimus. Erant hi duo in magna sollicitudine, & crebri mittebantur vtrinque nuncii. Sed non minùs intereà laborabant Eduardus & Carolus. Nam & illius ad Caletos traiectus, & huius cum Cæsare pacificatio, in idem propè tempus incidit. Carolus, obsidione relicta, paruo comitatu ad Eduardum proficiscitur: reliquum exercitum in Lotharingiam & Barrensem ditionem mittit, vt ibi vastatis agris, nonnihil sese reficerent. Parum sanè prudenter hoc ab eo fiebat. Angli enim expectabant, vt ille cum maxima manu sese coniungeret ipsis. Nam quò magis accelerarent, & citiùs mare traiicerent, hoc eis promiserat: nec id modò, verumetiam nunciauerat se trimestre citiùs, quàm alioqui facturus fuerit, bellũ Regi intulisse, vt ipsi, posteaquam in Galliam venissent, recentes ac integri, defatigatum reperirẽt hostem & attenuatum. Digressi ambo Caletis, & per Boloniam facto itinere, Peronam veniũt: quo in loco minùs amicè Carolus illos excepit. Nã & portis adhibuit custodias,

&in

& in oppidum eos, nisi exiguis cohortibus, nō admisit. Dum hîc moratur, mittit ad eum Connestablius, purgandi sui causa, quòd Sanctoquintinum ad diem non tradidisset, consultò factum abs se: nam alioquin omnem se fuisse rationem amissurum, & occasionem agendi aliquid præterea: nullam deinceps authoritatem, nullam se habiturum in Galliis fuisse facultatem communicandi consilia. Nunc verò, quandoquidem in propinquo sit Eduardus, facturū se quiduis. Et quò maiorē faceret fidem, per eūdem legatum dat literas ad Eduardum, in hanc sententiam, vt iis, quę Carolus ipsi nomine suo dicturus esset, fidem haberet. Aliis deinde literis Carolo promittebat opem quouis in bello, nec ipsi tantùm, sed omnibus etiam confœderatis atque sociis. Acceptam epistolam Carolus Eduardo reddit, & quid ille nunciasset, recitat, & aliquantò plenius quàm res erat, exponit. Nam & Sanctoquintinum, & alia multa se recuperaturum esse illius opera confirmabat. Eduardo facilè persuasum fuit, quoniam & sororius erat Connestablii, neque illum credebat tam fore temerarium & imprudentem, vt in iis angustiis positus, quod sibi, quod Carolo promisisset, non seruaret: idem quoque sentiebat Carolus. Verùm, neque metu Regis, nec vlla re alia potuit ille impelli,

vt satisfaceret promisso: & ex vsu rerum suarum esse putabat, vt pro consuetudine sua cautè ac simulatè ageret, existimãs, inueniri semper à se posse rationes non malas, quibus illi placati, paterentur sese duci. Eduardus autem, eiusque familiares, quia nostrarum rerum erant imperitiores, non tam facilè senserunt dolum. Angli enim omnes, ij præsertim, qui non sunt apud exteros peregrinati, valde sunt bilioſi: quod proprium est omnibus ad Septẽtrionem pertinẽtibus populis. Galli verò, quoniam positi sunt in regione bene temperata, cincti Hispanijs, & Italia, & Anglia, & Germania, medium quiddam obtinent, neque præcipites, neque nimiùm etiam tardi aut remissi. Exhilaratus igitur his Conneſtablij literis & mandatis Eduardus, tametsi iam anteà poterat aliquid odorari, vnà cum Carolo digressus Perona, proficiscitur Sanctoquintinum. Aliquot illius cohortes, quasi certa & explorata oppidanorum amicitia, læti præcurrunt: sed propinquiores facti, tormentis excipiuntur, & desideratis nonnullis, cœlo multùm pluuio, & incommodo, regrediuntur ad suos, vehementer irati Conneſtablio, quem & proditionis insimulabant. Postero die Carolus abitionem parat. Quæ res magnopere contra opinionem Anglis accidit, eò quòd author ipsis fuerat, vt

mare

mare traijcerent. Cogitabat autem ad exercitum ſuum qui Lotharingiam vaſtabat, proficiſci, multa ſe facturum eſſe promittens, quę ſint ex ipſorum vſu. Verùm Angli, quum alioqui ſuſpicionibus indulgeant, & quòd eſſent planè hoſpites in ea regione, grauiter admodum tulerunt hunc illius diſceſſum: neque perſuadere ſibi poterant, ipſum habere vllum coactum exercitum. Prætereà factum illud Conneſtablij impatientiſſimè ferebant, & Caroli ſatisfactionem, qui multis de cauſis illud accidiſſe diceret, nullo modo accipiebant: & quoniam hyems ſuberat, pacem potiùs quàm bellum ſpectabāt. In hoc ipſo temporis veſtigio, dum Carolus abitionem parat, adoleſcens quidam Gallus capitur ab Anglis. Adductus ad Eduardum & ad Carolum, cuſtodiæ mandatur. Carolus illinc digreſſus, Brabantiam petit, vbi partem aliquam habebat copiarum. Adoleſcentem, eò quòd primus erat, quem ex hoſtibus cepiſſent, Eduardus dimitti iubet. Is, cuius anteà meminimus, Hauartus, abeunti dat aureum nummum, ſimul mandat, vt ſuo nomine Regem Ludouicum, ſi conueniendi facultas detur, ſalutet. Ille celeriter profectus, Regi, qui tum erat Compendii, mandatum exponit. Rex initio veritus exploratorem aliquem eſſe, quòd ipſius hęri fratrem intelligeret apud

Britannum esse in authoritate, iubet arctè custodiri: sed tamen ipsius mandato multi compellebant eum, vt certi aliquid cognoscerent. Iis omnibus videbatur, nihil subesse doli, & audiendum esse. Postridie manè Rex ei denuò loquitur, & vinculis quidem expediri, sed tamen seruari præcipit. Quum ventum est ad prandium, diu multumque secum deliberat, num sit in Anglorum castra quempiam missurus: & antequam assideret, secretò mihi quædam dicebat. Venit ei in mentem, quòd Angliæ fœcialis nuper dixerat, vt simulatque mare traiecisset Eduardus, illicò mitteret aliquem eò, qui per Hauartum sit habiturus aditum. Vbi consedit, & aliquandiu pro suo more cogitasset: iubet, vt surgam (sic enim ferebat eius consuetudo, vt semper aliquos mensa sua dignaretur) & in cubiculo prandeam: simul adolescentem quendam nominat: huic vt quacunque ratione persuadeam, iubet, vti publicus nuncius Anglorum exercitum adeat. Eo accersito adolescente, mirabar quid Rex sibi vellet. Nam nec corporis figura, nec animo mihi videbatur ad eam rem idoneus: sed fallebar. Nec enim ingenio carebat, & erat in eius sermone blanda quædam suauitas, vt pòsteà cognoui. Rex, cùm semel tantùm ei loquutus esset, hoc statim in eo deprehenderat. Vbi quid

vellem

vellem, expoſuiſſem, ita fuit attonitus, vt ad pedes proiectus deprecaretur, non ſecus ac ſi in præſenti vitæ diſcrimine poſitus eſſet. Confirmabam eum, quibus potui rationibus, & magna pollicebar: & vt magis auderet, dicebam ab Anglis hoc emanaſſe, vt mitteretur aliquis: eramus omnino ſoli, & inter prandendum, quid fieri oporteret edoceo. Paulò pòſt euocor à Rege: quid egiſſem, expono: ſimul alios, qui mihi videbantur magis idonei, profero: ſed ipſe hunc vnum præferebat omnibus. Tandem in cœnaculum meum venit, comitatus vno ſolùm famulo, & loquutus adoleſcenti, paucis verbis magis eum excitabat, quàm ego ſermone prolixo. Cumque pauorem omnem & dubitationem ab illo expuliſſet, iubet illicò veſtem conſui, cuiuſmodi fœciales vti ſolent. Eius enim generis nulla tum erat parata, quòd rex in iis rebus minimè erat ambitioſus. Ea veſte ſecretò confecta, clàm adducitur equus, in manticam imponitur veſtis, & propinquior factus Anglorum caſtris, iubetur eam circumferre palàm. Cùm eò peruenit, ſiſtitur, & ad Eduardi tabernaculum adducitur. Interrogatus, quid vellet: à Galliarum Rege ſe miſſum eſſe dicebat ad Eduardum, & iniunctum ſibi, vt per Hauartum adiret. Pranſus, ad Eduardum reducitur. Ibi mandatis

expositis, ait Principem suum cupere modis omnibus, firmam & perpetuam inter Anglos & Gallos amicitiam intercedere. Id facilè ex eo posse intelligi, quòd interea, dum apud Gallos imperium obtineat, nihil vnquam aduersus Angliam sit molitus. Quòd à Comite Beruicensi fuerit non alienus, illud odio Caroli tantùm fuisse factum: à quo nunc sit accersitus & impulsus Eduardus ad hoc bellum, non alia de causa, quàm vt ipse adiutus opinione fœderis & societatis Anglicæ, maiora consequatur in Galliis, & ampliori suo commodo paciscatur. Si qui alii bellum suadeant, eos hoc solum spectare, vt priuatis suis rationibus consulant: de salute Angliæ nihil magnopere sollicitos esse: iam impendere hyemem, non dubium esse, quin magnos in hoc bellum sumptus fecerit: & quanquam in Anglia complures bellum cupiant: tamen si pacis mentionem non excludat, Ludouicum Regem non esse defuturum officio, qui & legatos ad ipsum ea de re sit missurus, modò id sine periculo liceat: aut si malit aliquem locum medium vtriusque legatorum colloquio deligere, futurum id Regi non ingratum. Iis cognitis postulatis, Eduardus, eiusque familiares, re deliberata, comprobant eam sententiam: & dato viatico, literis de periculo cauent venturis legatis, simul nuncium

cium in Galliam mittunt, qui ſuis idem impetret. Data vtrinq; fide, Rex inter alios Ammirallium mittit. Anglicæ legationis princeps erat Hauartus. Hi poſtridie apud Ambianum conueniunt. Videatur alicui fortaſſe, Regem nimiùm ſe demiſiſſe: verùm, qui iudicio prędditi ſunt, ex ijs quæ ſuprà demonſtrauimus, vident in quanto fuerit tum Gallia diſcrimine, niſi Deus illam eripuiſſet: qui & Regi author fuit haud dubiè optimi conſilij, & Caroli mentem ita conturbauit, vt ea ſequeretur conſilia, quæ ſummum ei detrimentũ attulerunt. Sparſa tum erant per Galliam multa diſſenſionum ſemina, quæ tametſi tegebantur adhuc, erant tamen eruptura breui pòſt tempore, niſi Rex in herbis illa necaſſet. Ex Britannia potiſſimùm ingens quædam tempeſtas nobis impendebat: quò magis credo, Deum ſingulariter & vnicè tunc reſpexiſſe Galliam.

PHILIPPI COMINÆI COMMENTARIORVM LIBER SEXTVS.

POSTRIDIE quàm noſter fœcialis redierat, legati, vt diximus, conſtituto loco conueniunt. Inter vtroſque exercitus interuallum erat quatuor milliarium. Vbi conditiones aliquot noſtri propoſuiſſent, Angli pro ſua perpetua conſuetudine, petebant omnem Galliam, aut ſaltem Normanniam & Aquitaniæ partem ſibi reddi. Id verò noſtri obſtinatè negabant: & quanquam in eo conuenire inter ipſos non poterat: tamen quoniam pacis erant vtrinq; cupidi, perfectum aliquid fuit. Ipſorum hæc tandem fuerunt poſtulata. Primùm, vt Rex Eduardo ſtatim penderet ſeptuaginta duo aureorum millia. Deinde, vt ipſius filius Carolus, qui nunc rerum potitur (Delphinum Galli vocant) vxorem duceret natu maiorem Eduardi filiam: adhæc, vt in educationem filiæ Rex aut certam Aquitaniæ partẽ daret: aut per annos nouem quinquaginta aureorum millia quotannis perſolueret Londini. Quibus annis elapſis, illi perfecto ma-

cto matrimonio, fructibus omnibus Aquitaniæ, sine contentione vtantur, fruantur. Alia quædam humiliora, quæ ad mercatorum negocia pertinent, de quibus etiam agitatum ibi fuit, nihil attinet commemorare. Postremò, vt per annos nouem firma sit pacificatio, & vt socios quisq; suos in ea comprehendat, & in his Carolum etiam atq; Britannum, modò velint ascribi. Ex altera parte, Eduardus vltrò deferebat (quòd in primis mirum videri potest) se patefacturũ esse Regi quosdam Galliæ proditores. Quum ex legatis quid illi peterent, Rex cognouit: conuocato concilio, cui & ipse intereram, deliberat. Nonnulli putabant eos agere insidiosè: Rex autem longè aliter sentiebat, his potissimùm de causis, quòd imminente iam hyeme, non possent quicquam magni efficere: quòd receptaculum nullum haberent: quòd à Carolo malè essent accepti, & iustissimas haberent in eum offensionis causas: quòd Conneſtablius non esset ipsis locum vllum munitum, in quem se recipiant, daturus: idq; sibi constare dicebat, quòd frequentès ad eum mitteret nuncios. Deinde non nesciebat, Eduardum delicijs & ocio deditum esse. Quocirca decreuit eam pecuniam oportere persolui, & eius corrogandæ statim initæ sunt rationes, & singuli cõferebamus aliquid,

pro ſuis quiſq; facultatibus, vt abſq; mora dependeretur. Hæc enim erat ſententia Regis, vt diceret, ſe nihil non eſſe facturum, quò domũ illi redirent: non ſe paſſurum tamen, vt poſſeſſiones vllas in Gallijs obtineãt: & potiùs quàm hoc ferat, extrema ſe omnia tentaturum. Cõneſtablius interea, quòd perpetuò metueret illam contra ſe factam Bouilli conſpirationẽ, in maxima erat ſollicitudine, quæ cauſa fuit, vt crebris nuncijs Regem interpellaret. Et dum hæc agitantur, mittit Ludouicum Creuilium, honeſto loco natum, & vnum è ſcribis, Ioannem Richerium. Hi Bocagio & mihi, iuſſu Regis, quid vellent, exponunt. Fortè aderat eo die Contæus, qui cùm eſſet apud Atrebatum captus, vt ſuprà diximus, fide militari ſubinde veniebat ad Regem, & ſi pacem conficeret, pro ſua qua valebat apud Carolum authoritate, promittebat ei Rex libertatem abſque precio, & magnam præterea vim pecuniæ. Auditurus igitur Conneſtablij legatos, Contæum intra cubiculi fores collocat, meq; illi adiungit, vt legatorum orationem Carolo recitaret. Atq; vt pleniùs intelligeremus omnia, ſellam ſuam iubet deferri proximè ad fores, intra quas eramus abditi. Illi incipiunt à Conneſtablio ſe miſſos nuper fuiſſe ad Carolum, vt ab Anglorum ſocietate ipſum auerterent.

Illum

Illum autem vehementissimè tunc iratum fuisse Eduardo, & minimum abfuisse, quin ei persuaderetur, vt non modò desereret, verumetiam vt cum exercitu discedentem inuaderet. Dum hæc illi recitant, simul student, quò magis Regi gratificarentur, Caroli vocem & gestus repræsentare, quibus ille concitatus ad iram, vti consueuit: ac inter alia dicebant, eum nominasse Eduardum, sagittarij cuiusdam filium, & id genus alia multa. Rex in risum solutus, ait se grauiùs audire: rogat, vt ea quæ dixissent repeterent. Creuilius magno quodam affectu rursus omnia commemorat. Contæus qui vnà mecum post fores latebat, valde mirabatur: & nisi coràm ipse audisset, nulli fidem habiturus erat. Mandatorum hæc erat summa: suadere se Regi, vt periculi vitandi gratia, in quo esset, pacisceretur cum Anglis inducias: Connestablium in ea fore adiutorem, neq; dubitare quin sit perfecturus, & quò faciliùs persuadeatur Anglis, videri Connestablio, rectè facturum esse Regem, si vnum & alterum oppidulum illis det hyemandi causa. Sciebat Anglos inimico esse in se animo, propter acceptam contumeliam apud Sanctoquintinum, & vt eos placaret, ideo ad hunc modum loquebatur. Rex, cui satis erat sustinuisse personam, & hoc perfeciisse, vt Contæus

illorum orationem intelligeret: hoc solum respondit, se cum Eduardo acturum esse, atq; ita dimisit legatos, è quibus alter fidem Regi dabat, interposito iureiurando, si quid vllo tempore sentiret, quod ad ipsum pertineret, se patefacturum esse. Regi valde molestum erat & graue, non respondere aliquid ad eam sermonis partem, qua illi suadebant, Anglos in oppida recipiendos esse: verùm quòd metueret, ne Conneſtablius aliquid grauius admitteret, ita responsum temperauit, ne quod offensionis signum illi deprehenderent: simul è suis aliquot ad illum crebrò mittebat. Nam propter modicum interuallum, paucis horis alter de altero cognoscebant. Contæus impatientissimè tulit, Principem suum à legatis, qui tenuis essent conditionis homines, ad eum modum ludificari, præsertim, quum in hoc tempore Conneſtablius magnum simularet amorem, & cum Carolo de varijs rebus agitaret, eique spem ingentẽ faceret. Itaq; nihil magis optabat, quàm vt primo quoq; tempore, domum reuersus, Carolo rem omnẽ exponeret. Cùm igitur perfecto negocio, cuius causa venerat, discederet: Rex datis ad Carolum literis, petit, vt ijs quæ dicturus esset Contæus, fidem haberet. Præter alia, de quibus inter Regis & Eduardi legatos conuenerat, hoc etiam fuit

constitutum, vt ad collocutionem ipsimet Reges venirent, ac iureiurando pactiones confirmarent: vt Eduardus accepta pecunia quam petebat, obsides daret duos proceres, & alterum ex ijs Hauartum, qui in Gallijs essent, donec ille cum exercitu mare traiecisset. Angliæ quoq; primoribus Rex promittebat annuam pensionem, ad sedecim aureorum millia. Et ea pecunia statim persoluta fuit in primum annum, & vasa multa argentea dono illis data. His rebus cognitis, Carolus qui tum Luxemburgi erat, magna celeritate contendit ad Eduardum, sedecim comitatus equis. Vbi vidisset Eduardus, miratur quid sit, rogat quamobrem venerit. Carolus ait se velle colloqui: tum ille priuatim ne, an palàm? Ibi Carolus rogat, an pacem fecerit. Ille respondit, se pactum esse nouem annorum inducias, in quibus & ipse, modò vèlit, sit comprehensus: rogare se vt assentiretur. Carolus cœpit indignè ferre & stomachari, & Anglicè locutus, exponit, quanta fuerit ipsius maiorum, Angliæ Regum virtus, qui exercitu in Galliam sæpe traiecto, præclarè ibi multa fecerint, cum ingenti ipsorum gloria: pacificationem hanc esse vehementer indignam & abiectam: se quidem fuisse illi authorem, vt mare transiret, non quòd ipsius haberet opus auxilijs:

verùm vt hac ratione, vetus patrimonium & ius, quod ad ipsum, quod ad Angliæ Reges à plurimis nunc annis pertineat, recuperaret. Et quò magis constet, quàm facilè carere possit eius adminiculo, non se facturum esse inducias cum Rege, nisi tribus mensibus post ipsius in Angliam traiectum. Hæc locutus, abijt. Eduardus, & qui erant cum eo, sermonem hunc grauiter tulerunt: alij, quibus ea compositio displicuit, laudabant. Sic vt constitutum erat, Eduardus propiùs Ambianum accedit. Rex è porta vrbis prospiciebat aduenientes copias: illicò trecenta plaustra generosissimi vini dono mittit. Et quoniam induciæ erant, illi sub armis magno numero in vrbem veniunt. Quòd si Rex insidiosè voluisset aliquid moliri, facilè poterat eos opprimere, sed aliò spectabat. Mensas duas longiores iusserat hinc inde per viam disponi, ad introitum vrbis, prope portam, ijs cibis qui sitim prouocant, optimisq; vinis instructas, simul ad eas collocauit è nobilitate quosdam præpingues, & bene curata cute nitidos, qui comiter illos exciperent, & ad compotationem inuitarent. Ad hunc modum in ipso propè limine excepti, ac deinde longiùs in oppidum progressi, quocunq; diuerterent, lautissimè per quatriduum habiti fuerunt sumptu Regis. Interea Conne-

stablius,

ſtablius, qui pactionem hanc indignè ferret, non minùs quàm Carolus, conſcientia facinoris inſtigatus, è ſacrificis quendam mittit ad Eduardum, ac magnopere hortatur, ne Regis orationi & promiſſis fidem habeat: ſed hybernis vnum & alterum oppidum, quæ dicebat nominatim, ſumat, ijsq; ſit contentus intra bimeſtre, ſua diligentia & opera, longè commodius ei paratum fore hoſpitium. Hæc ille quidem obliquè & dubitanter, ſed tamen amplè & prolixè. Et ne qua maiore neceſſitate coactus Eduardus, indignum aliquid admitteret, promittebat mutuò dare ad quinquaginta aureorum millia, multaq; alia eius generis nunciabat. Regem anteà fuerat hortatus, vt Anglis illa, de quibus diximus, oppida per hyemem daret. Ea res quoniam ad Eduardum emanauit: Rex, ne qua parte offenderet, iam illa tradiderat. Eduardus reſpondit, ſe pactum eſſe inducias, nec velle quicquam immutare: quòd ſi fidem ille ſibi ſeruaſſet, non ſe diſſenſurum fuiſſe ad eas pacis conditiones. Ibi verò Conneſtablius omni ſpe reconciliationis excidit. Dum ad eum modum, vt diximus, Angli comeſſantur Ambiani: Regem de eo certiorem facit Torcius, vir nobilis: quumq; ille ſtomacharetur, obmutuerunt omnes. Dies ille repræſentabat eum, in quem innocentiũ puc-

rorum dies eo anno inciderat. Regis autem erat consuetudo, vt per eum diem, nemo quicquam ad ipsum de negocijs deferret: & mali hominis esse putabat, si quis vlla de re graui & seria cum ipso loqueretur: & ijs qui hunc ipsius morem non ignorabant, si quando interpellassent, valde irascebatur. Verùm vbi audissem in vrbe iam esse ad nouem Anglorum millia: putaui non esse contemnendum periculum. Accedens igitur ad illum: tametsi hunc diem religiosè colas, inquam, tamen quo loco sint res, opus est vt dicam. Ordine deinde commemoro quid fieret, & quemadmodùm illi augescerent, dum metu ne offendantur, sine discrimine omnes intromittuntur. Ille placidè respondit, religionem hanc in eo rerum statu solui posse: iubet vt conscendam equum, & experiar apud duces, si qua ratione queant reuocari: velle se cum ipsis colloqui, & paulò pòst ad portam esse venturum. Sicut imperatum erat feci, quantum licuit: verùm vno aliquo discedente, multi alij ingrediebãtur. Post me Gijum mittit, nunc Galliæ Mareschallum. Ingredimur cauponam, largiter ibi potabatur, & personabant omnia vocibus ebriorum. Ibi tandem cœpi remittere curam, & indicabam nihil esse magni periculi, & ad Regem hoc statim enunciabam, qui & ipse non multò pòst ad por-

ad portam venit magno comitatu, & secretò iubet armari ad trecentos cataphractos, & ad portæ custodiam, loco superiori, multos constituit. Ipse in ianitoris domo prandet, & cum eo multi ex Angliæ primoribus. Eduardus de suorum intemperantia certior factus, nunciat Regi, ne quem omnium intromittat. Rex minimè se quidem istud facturum esse respondit: verùm si commodum ei videatur, mittat aliquem suorum stipatorum numerum, qui quos velint, admittant. Placuit ea ratio, itaq; factum est, vt pleriq; omnes ab vrbe excederent. Post hęc iniicitur mentio, circumspiciendum esse locum idoneum collocutioni. Ad eam rem conficiendam, Bocagius & ego mittimur à Rege: Ab Anglis venit Hauartus & Calangerius cum fœciali. Diligenter inspecta omni regione, & ora illa, quæ est ad Somiam flumen, opportunus visus est nobis locus, Piccenium oppidum, tribus infra Ambianum milliaribus, tametsi Carolus nuper illud incendio vastauerat. Vtraq; via, qua venturi erant diuersis itineribus ambo Reges, admodùm erat amœna, nisi quòd per spaciũ aliquod, locus, quà veniendum erat Eduardo, propter angustias opportunus erat insidijs, & iniuriæ, si quis mala fide rem egisset. Angli enim, quod & suprà dixi, non sunt in eiusmodi rebus

tam ingenioſi & prouidi, quàm noſtrates. Vbi conuenit de loco, placuit efficiendũ eſſe pontem, in quo illi congrederentur. Materiam omnem ad eam rem nos ſubminiſtrauimus. In medio ponte fit cauea, mediocri altitudine, qualibus coërceri videmus leones. Eius foramina erant ea magnitudine, vt brachium aliquis laxè inſereret: ſupernè tota erat contabulata, pluuiæ arcendæ cauſa, ita quidem amplè, vt vtrinq; duodeni conſiſterent. Ea cauea complectebatur vtramq; oram pontis, ſic vt tranſitus in alterutram partem nullus pateret. Ad flumen ſolùm erat vna ſcapha, cum duobus vectoribus. Et quoniam ad hunc locum ventum eſt, non grauabor recitare cauſam, cur ſepimentum iſtud rex iuſſerit ædificari, vt alij quoque Principes in colloeutionem aliquando venturi, habeant quod ſequantur. Carolus Galliæ Rex, eius nominis ſeptimus, multùm adoleſcens, affligebatur admodùm ab Anglis. Nam Henricus quintus Angliæ Rex acriter obſidebat Rothomagum. Oppidani pleriq; omnes aut ſubiecti erant imperio Ioannis Burgundiæ ducis, aut rebus eius alioqui fauebant. Huic grauis intercedebat cum Aureliano duce ſimultas, ita quidem, vt tota ferè Gallia factionibus & ſtudio alterius partis eſſet diuiſa, maximo cum detrimento Reipublicæ.

blicæ. Nam eiusmodi factiones, vbi semel radices egerint, vix magna difficultate sedari possunt. Et in hac dissensione, Aurelianus Lutetiæ fuit interfectus, anno proximè ante Rothomagi oppugnationem. Ioannes autem Burgundiæ Dux, magnum habebat & instructum exercitum, quò obsidionem solueret. Vtq; facilius, quò spectabat perueniret, deq; voluntate Regis non dubitaret ampliùs: visum fuit vt cum Rege in collocutionem veniret Monstreli, quod circiter viginti milliaribus supra Lutetiam est oppidum, ad confluentem Sequanæ & Ionæ. Fuit igitur ibi inædificatum ponti sepimentum quoddam: verùm ita, vt per ostium, quod vtrinq; claudebatur, alijs ad alios pateret aditus, modò vtriq; vellent. Cùm eò ventum est: incipiunt colloqui Principes. Ac licet magno comitatu veniissent ambo, Burgundiæ tamen dux, quatuor tantùm è suis adduxit, & paulò pòst, vel quòd inuitaretur, vel quòd alioqui cuperet honorem aliquem Regi deferre, ab ea parte qua erat, aperit fores: cumq; ab altera parte idem fieret, transit ad regem, & confestim fuit interemptus. Quæ quidem cædes maximarum deinde calamitatum causa fuit, vt constat. Istud quidem non propriè pertinet ad nostrum institutum, ideoq; non immorabor ampliùs: sed ad

hunc modum, vt dixi, Rex mihi recitauit ipse. Quòd si quo tempore fuit institutum illud colloquium, sic fuisset aptatus locus, vt occasio nulla extitisset illum euocandi, non fuisset ea perpetrata cędes, cuius erant authores nonnulli familiares Aureliani Ducis, magnæ apud Carolum regem authoritatis. Rebus omnibus ad colloquium paratis, postridiè veniunt eò Reges ambo, & Ludouicus quidem prior cum octingentis cataphractis: Eduardus autem cum omni exercitu. Sed duodenos tantùm singuli secum adducunt, & intereà dum colloquuntur, ex ipsis quatuor erant destinati, tanquam inspectores eorum, quæ apud nos gererentur: ex nostris totidem erant in ipsorum castris, eadem de causa. Cum Rege præter alios aderant Ioannes Borboniæ dux, eiusque frater Cardinalis. A multis annis Rex eum habebat morem, vt è suis vnum aliquem sæpe vellet eodem esse cultu corporis, quo ipse erat. Eo itaq; die me delegit ad eam rem. Posteaquam Eduardus eò venit, comitatus inter alios fratre, Clarentiæ Duce, complectuntur se inuicem valde amanter per foramina illa sepimenti: & Ludouicus sermonem inchoans: Aduentus, inquit, tuus, cognate, mihi longè est gratissimus, adeò quidem, vt nullius hodie Principis conspectu & colloquio malim frui,

frui, eoq; nomine gratias ago immortali Deo, cuius beneficio, hic perpetuę amicitiæ firmandæ & Reipub. causa conuenimus. Ad ea cùm gallicè respondisset Eduardus: eius Cancellarius sermonem excipit, & vaticinium extare dicebat de futura insigni quadam apud Piccenium inter Galliæ & Angliæ Reges pacificatione. Tribuunt autem Angli plurimùm vaticinijs, & quum de rebus arduis tractant, in medium semper aliquid tale adducunt. Ea habita oratione, proferuntur literæ, quas de pactionibus Ludouicus miserat Eduardo. Ibi tum Cancellarius Regem interrogat, an ratas habeat vtrobiq; latas conditiones? Quum assensisset ille, ponitur in medium liber sacratus, & alia quædam religiosa. Iis ambo superimponunt manus, & sanctissimo iureiurando pollicentur, omnia se bona fide seruaturos esse. Post hæc, Ludouicus, quoniam facetus erat & vrbanus in dicendo: Rectè, inquit, erit cognate, si quando Lutetiam venias, iucundè viuemus & suauiter, teq; oblectabis cum eius vrbis lectissimis fœminis: adhibebo tibi Cardinalem Borbonium, is quicquid peccaris, pro ea, quam habet potestate, facilè expiabit. Eo sermone fuit exhilaratus Eduardus. Cumq; amicè admodùm & blandè ad eum modum essent aliquandiu locuti: Rex iubet

nos, qui cum ipso eramus, aliquò secedere. Quī cum Eduardo venerant, iniussi diuertunt. Paulò pòst, accersit me Rex, & Eduardū rogat, an cognoscat. Ille & se nouisse respondit, & nominatim quibus in locis vidisset, dicebat. Nam quo tempore adhuc eram in familia Caroli, præstiteram ei meam operam. Tum Rex ad illum: Si Carolus, inquit, nolit seruare inducias (admodum enim fastuosè respondit) quid agendū tibi esse videtur? Ad hoc Eduardus, denuò licebit experiaris, ait, & conditionem deferas: quod si nolit comprehendi, agite inter vos pro vestro arbitratu. Per occasionem deinde Rex delabitur in mentionem Britanni: nam idcirco in hunc sermonem descendit, & cum illo quid agendum sit, rogat, si nolit ratas habere inducias? Tum Eduardus, nullum se rebus aduersis habuisse fideliorem amicum respondit, ideoq; rogare, ne quod ei bellum inferatur. Conticuit Rex, & complexus illum, humanissimeq; salutatis eius familiaribus, Ambianum reuertitur, & illi ad exercitum redeunti, subministrat omnia, quorum aliquis esse poterat vsus. Dux Cloceſtrius Eduardi frater, & alij nonnulli proceres, quòd grauiter ferrent eam transactionem, non interfuerant ei colloquio: sed tamen eò deducta res fuit, vt hi omnes deinde ad Regem venirent,

rent, acceptis ab eo pulcherrimis donis, vasis argenteis, & equis lectissimis. A collocutione, cùm rediremus Ambianum, Rex in itinere mecum duabus de rebus præcipuè loquebatur. Primùm, animaduerterat Eduardum facili momento potuisse impelli, vt Lutetiam veniret: id molestum erat ei. Nam formosus, inquit, est Princeps & elegans: delectatur consuetudine mulierum: facilè fit, vt Lutetiæ aliquam reperiat delicatulam, cuius amore & suauiloquentia captus, cupiat eò subinde redire: atqui maiores ipsius, nimium ibi inueterauerunt. Quamdiu intra regni sui fines sese continebit, expecto illius amicitiam: citra mare autem non potest vlla mihi cum eo firma esse aut certa societas. Alterum erat, quòd paulò durior ille fuisset, quando de Britanno facta fuit mentio. Nam & hoc ei molestè accidit, & quia magnopere cupiebat inferre bellum Britanniæ, denuò per legatos eum sollicitabat, vt sibi hoc ipsius pace liceat. Sed ille cùm vrgeretur, respondit, si bellum excitetur aduersus Britannum, se denuò traiecturum esse mare, vt illum propugnet. Ad eum sermonem legati conticuerunt. Dum essemus Ambiani, veniunt ad Regem aliquot eius familiares, qui pacis fuerant principes. Ex ijs Hauartus ad eum secretò: Si velis, inquit, facilè perfi-

ciam, vt Eduardus huc veniat, & fortasse Lutetiam vsq;, animi recreandi causa. Insuaue hoc erat Regi. Dissimulans tamen, & lotis interea manibus, vt pranderet, nihil admodum respondit, & ad me tacitè, quod suspicatus, inquit, eram, id accidit. A cœna cùm in eundem sermonem illi denuò incidissent, illatum aliquid fuit ad excusationem, quàm fieri potuit ciuilissimè, & Regi contra Carolum magna celeritate proficiscendum esse dicebatur. Si quis memoria repetat, quantis calamitatibus Angli plurimis annis, & nostris etiam temporibus Galliam afflixerint: ei non videbitur mirum, tantam fuisse Regis diligentiam, vt eos quacunq; ratione placatos dimitteret. Postero die Angli maximo numero veniunt Ambianum. Ex ipsis quamplurimi dicebant, eam pacem Sancti spiritus beneficio factam fuisse. Nam quo die Reges conuenerant, columba candida consederat in tabernaculo Eduardi, nec vllo strepitu aut clamore fugari potuit. Pluerat aliquantulum, eamq; pluuiam insecutus est deinde fulgor solis, & columbam aliqui dicebant exiccandi sui causa, insedisse ei tabernaculo, quod præ cæteris eminebat. Hanc rationem adferebat mihi Vasco quidam nobilis, ex familia Eduardi. Pacificationem hanc ille grauiter, vt alij multi, ferebat: &

quo-

quoniam vetus inter nos erat notitia, familiariter mecum locutus, inter alia dicebat, non dubium esse, quin Eduardum aliquando ludificaremus. Rogabam, quàm multa feciſſet ille ſecunda prælia? Nouem, inquit, quibus omnibus interfuit ipſe. Quàm multa, inquam, aduerſa? Vnum, ait, nempe hoc ipſum, & veſtra quidem calliditate. Et quoniam iſtud in ſe admiſit, collectam è ſuperioribus bellis gloriam, hoc vno totam obſcurauit. Rex per me certior de eo factus, ait, eſſe hominem ſeditioſum, & prouidendum, ne quid turbaret. Vocat igitur ad prandium, &, ſi commorari ſecum vellet, magnas defert conditiones. Dono deinde datis mille aureis, pollicetur eius fratribus, qui per Galliã erant, omnem beneuolentiam. Ego quoq; in aurem illi aliquid admurmurans, orabam ne quid moueret. Rex in primis erat ſollicitus, ne quod dictum ſibi imprudenti excideret iocoſum, quod Angli ad ſui deriſionem interpretarentur. Poſtridie autem collocutionis, quum eſſet in cubiculo, & ex nobis aliquot vnà cum eo, verbulum aliquod facetum ei excidit, dum fortè de vino & ijs rebus, quas in illorũ caſtra miſerat, loquitur. Reſpiciens, de improuiſo conſpicit mercatorem quendam Vaſconum, qui eò venerat, petens vt ſibi liceret vina ſine portorio illinc in Angliam

exportare. Vbi vidit, obstupescit, simul miratur quemadmodum eò penetrasset. Rogat qui sit, & vnde: & an vxorem habeat in Anglia? Ille, habitare se quidem in Anglia, respondit, cum vxore, sed exiguas habere facultates. Postea quàm deinde certis conditionibus cum illo egissem: Rex largitur quod petebat, nec id modò, verumetiam eo in loco, vnde originem habebat, munus publicum dabat, & mille francos dependit, ad euocandam ex Anglia coniugem atque familiam. Ea profectio ipsius fratri committitur. Ipse Burdegalam ire iubetur, & ne quò deflecteret, additur ei, mandato Regis, comes itineris. Ad hunc modum Rex, quòd minùs circumspectè locutum se fuisse intelligebat, hac pecunia se mulctauit ipse. Dum hæc geruntur, venit à Connestablio legatus Rapinius. Eum vt audiremus, Ludeo mihiq; Rex mandat. Contæus, quem suprà diximus ad Carolum fuisse profectum, vt Connestablij consilia patefaceret, redierat iam ab illo, & erat cum Rege. Legatus in hunc modum verba facit: Connestablium habere pro explorato, quàm grauiter sit accusatus, sed ex ipso rerum euentu facilè Regem iudicare posse, falsò delata esse omnia, quòd in ipsius detrimentum nihil hactenus admiserit. Et quò maior sit fides, docet quomodo persuaderi possit

Caro-

Carolo, vt discedentem Eduardum adoriatur & opprimat. Nos ad ea respondimus, velle nos vti pace cum Anglis. Ludeus etiam sermone longiùs progressus, rogat quo loco repositam habeat pecuniam Conneſtablius. Mirabar hanc illi vocē excidisse, multò magis etiam, quòd ille postquàm hoc intellexit, hero suo nō fuerit author vt profugeret. Nam quid ageretur, facilè potuit ex eo cognoscere. Sed ita ferè fit, vt pauci admodùm expedire se possint à periculis, & tempestiuè illa vitare. Alij, quòd experientiam nullam habeant, neque similia exempla obseruarint: alij studio & amore liberorum, vxorum, familiæ & possessionū, cauere sibi non possunt, & tametsi præmoneantur: tamē his vinculis impediti, in maximas sæpe calamitates incidunt. Vbi de postulatis illius à nobis Rex cognouit, scribam accersit. Præter Bocagium & me aderant vnà Contæus & Hauartus, & hic quidem ignarus, quid ageretur. Dat literas ad Conneſtablium in hanc sententiam: Se pactum esse cum Eduardo, & nunc variis occupari negociis, ita quidem, vt eiusmodi capite, quale sit ipsius, vehementer opus habeat. Inde ad Hauartum & Contæum: Corpus, inquit, illius non requiro, & solo capite sim futurus contentus. Eas literas dat Rapinio, cui clementer admodum & amicè

dictum esse videbatur istud à Rege, nec quò pertineret, intelligebat. Post hæc, Eduardus binas Connestablij literas ad se scriptas, mittit ad Regem, & quicquid vnquam nunciauerat patefacit. Quò magis videre licet, quàm fuerit deploranda illius conditio, qui tres potentissimos Principes eodem tempore habebat infestissimos, Eduartus à Rege accepta pecunia, magnis itineribus Caletos proficiscitur. Nec enim à Carolo tantùm, verumetiam à promiscua multitudine per Galliã sibi metuebat. Et si quis militum à reliquis copijs aberrasset, aut paululùm modò diremptus esset ab aliis, vix erat, vt non interficeretur. Obsides autem reliquit in Galliis Hauartum, & Ioannem Seneium, quoad mare traiecisset. Suprà diximus, illum magnoperè propendisse in hoc bellum. Nam simulatque Daruernum venit, quod est trans mare oppidum, contra portum Iccium, & antequam illinc solueret, cœpit nobiscum aliquas rationes inire. Vt autem ad nos traiiceret, duo potissimùm erant in causa. Primùm populus pro sua perpetua consuetudine bellum expetebat, & Carolus etiam instigabat. Deinde cogitabat magnam eius pecuniæ partem, quam in hoc bellum exegerat, sibi retinere. Angliæ enim reges, præter certos & annuos census, nullam suis imperant pecuniam,

niam, vt anteà quoq; diximus, nisi in bellum Gallicum aut Scoticum. Et vt populo satisfaceret, alia quadam arte fuit vsus & calliditate. Londino secum & ex alijs vrbibus ad duodecim ciues adduxerat, homines locupletes, obesos, & vitæ molliori assuetos, qui & accepti erant multitudini, & profectionem in Galliam valde suaserant. Et quanquam satis habebantur commodè in tabernaculis: tamen quòd ei vitæ generi non assuessent, statim eos tæduit. Putauerunt enim fore, vt traiecto mari, intra pauciſſimos dies cum hoste dimicaretur. Interposita autem longiori mora, cùm & bellum duceretur, & de pace mitterentur legati: Eduardus fastidium illis etiam auxit, vt eò vehementiùs pacem vrgerent, ac se, quum redijsset domum, purgarent, si fortè præproperum ipsius reditum populus indignè ferret. Nam & Arturi temporibus, Angliæ Rex, cum maioribus copijs in Galliã nullus vnquam venit. Collegerat autem in hoc bellum grandem pecuniam, cuius multò maximam partem sibi seruauit, quum opinione citiùs dimitteretur exercitus. Atqui non erat ea virtute & industria, quali prędituꝫ esse oportet eum, qui velit in Gallijs magni aliquid bello perficere. Deinde, Rex communierat se sic satis, tametsi in tanto aduersariorum numero, non poterat vndiq;

sibi cauere. Sed & Eduardus, qui magnopere cupiebat matrimonium, de quo constitutum erat, perfici: plurima nobis concedebat. Post illius abitum, Rex Veruinum proficiscitur, quod est ad Hannoniæ fines oppidulũ. Auennij erant pro Carolo Cancellarius & Contæus cum alijs nonnullis. Non ignorabat Rex, quantis aliquando calamitatibus Angli affeciſſent Galliam, (fuerat enim ipse spectator earum aliqua ex parte) quò magis etiam commotus fuit hoc illorum transitu, & vt minùs sibi metuendum esset ab illis, cupiebat cum Carolo paciſci. Nunciabat ei Cancellarius, vt medium aliquem locum deligeret, quo cum ipsius legatis in colloquium venirent. Eo accepto nuncio, ipse, tametsi nonnulli dehortarentur, ad constitutum locum accessit, adductis vnà secum obsidibus Anglicanis, & iis præsentibus excipit Caroli legatos, qui instructi venerant magna militum & sagittariorum manu. Postquam vtrinque salutassent, nulla re alia perfecta, Rex ad prandium illos secum abducit. Ex Anglis, qui aderant, quidam ad me conuersus, quòd impatienter ferebat factam esse pacem: Si multos, inquit, eiusmodi milites vidissemus in comitatu Caroli, quo tempore ad Eduardũ nuper venit, non eramus pacificaturi. Tum Archiepiscopus Narbonæ, qui fortè aderat: An

verò

verò tam eratis, inquit, ſimplices, ac rerum imperiti, vt exiſtimaretis, eum non habere multas eiuſmodi copias? Habebat ſanè complures, & reficiendi ſui cauſa tantùm dimiſerat illas. Sed vos ita magnũ tenebat deſiderium patriæ, vt ſexcenta vaſa vini, & penſio quædam annua, quam accipitis à Rege, facilè vobis abitionem perſuaſerint. Tum ille grauiſſimè indignatus, hoc, ait, illud eſt, quod pleriq; nobis prædicebant, fore, vt nos ludificaretis. An eam pecuniam, quæ nobis perſoluitur à Rege, penſionem vocatis? tributum eſt, non penſio. Certè minimo negocio fieri poſſit, vt veſtris ludibrijs prouocati, denuò in Galliam traijciamus. Ego ſermonem hunc interrumpens, iocosè dictum eſſe interpretabar. Ille verò minimè contentus, ad Regem aliquid extulit, qui ob hoc ipſum vehementiſſimè fuit exacerbatus in Archiepiſcopũ. Inter Caroli legatos & noſtros, in quibus etiam erat Petrus Doriolus, Galliæ Cancellarius, magna fuit altercatio. Noſtri quid egiſſent, referunt ad Regem, ac inter alia dicebant, Burgundiones multum eſſe feroces in omni ſermone: ſe verò nihil inuicem ad illos diſſimulaſſe. Rex minimè iſtud probabat, affirmans, hæc omnia, de quibus iam diſcreparetur, anteà ſæpenumerò in controuerſiam veniſſe: non hoc agi iſto tempore,

vt de rebus omnibus integrè definiatur, sed vt induciæ solùm fiant: nolle se quicquam asperiùs dici, adeoq; seipsum velle colloqui. Remotis igitur omnibus, præter Ammiralliũ & Bocagium & me, paciscitur nouem annorum inducias. Illi verò petebant, quandoquidem Carolus iactauerat, non se facturum inducias, nisi mensibus aliquot post Eduardi discessum ex Gallis: ne statim diuulgarentur, vt ne videretur illas apud Piccenium factas, habuisse ratas, in quibus omnino comprehendi non vellet. Eduardus, qui grauiter alioqui ferret illam Caroli pertinaciam, certior factus Regem cum eo paciſci, legatum mittit Thomam Mulgomerum, orans ne præter eas, quas ipsi constituissent, alias faceret inducias, & vt ne Sãctoquintinum illi reddat. Quòd si bellum etiam inferre velit, pollicetur se cum exercitu, primo vere, aut sub initium æstatis, denuò traiecturum esse mare, & auxilia præbiturum, ijs conditionibus: primùm, vt Rex detrimentũ quod sit accepturus ob imminutum vectigal, sibi resarciat, (nam ex lana colligitur portorium illud Caleti, ad quinquaginta aureorum millia quotannis) deinde, vt belli sumptuum dimidiam partem dependat, se reliquum esse daturum. Rex gratam se habere voluntatem eius confirmans, excusat, id sibi iam non esse integrum:

grum: de induciis quidem se pactum esse cum illo, sed esse plane easdem cum iis, quas ipsi fecissent: & hoc solo differre, quòd ille separatim eius rei litteras postularit. Eo dato responso legatus & obsides duo, qui cum Rege fuerant hactenus, magnis amplificati muneribus, domum reuertuntur. Mirum in primis videbatur Regi, tales ab Eduardo sibi fuisse oblatas conditiones, ac periculi plenum esse iudicabat, præbere illi nouam traiiciendi occasionem, propterea quòd coniunctis copiis, inter Anglos & Gallos, facili momento sit oriturum dissidium, neque difficilis futura sit Anglorum cum Burgundionibus reconciliatio: quò magis cupiebat cum Carolo paciſci. His confectis rebus, illa inchoata nuper aduersus Conestablium actio, renouatur. Interponitur vtrinque fides, & conficiuntur literæ in eandem planè sententiam, vt Bouilli constitutum fuit. Ea re cognita, qui cum ipso erant honestiores homines, paulatim se subducebant. Ipse quòd sciebat Eduardum suas literas & mandata omnia patefecisse Regi: & quia non ignorabat, quorum impulsu & quamobrem essent factæ induciæ, magnopere fuit commotus: & missso ad Carolum legato, petebat, vt sine periculo sibi liceret cum ipso colloqui. Diu multūq; deliberauerat anteà quónā se potissimùm

reciperet. Egerat aliquando cum suis famulis, Lotharingis, eorũq; ductu cogitabat in Germaniam profugere, & quantum posset auri secum deferre, & castellũ aliquod ijs locis comparare, in quo se tueretur, donec ad Principum amicitiam tutum haberet receptum. Alias decreuit subsistere Hanij: quam arcem in hoc munierat, vt rebus parum secundis esset ei receptaculum. Sed quoniam eius familiares propè omnes, aut Regis erant, aut Caroli imperio subiecti, non reperiebat homines idoneos, quibus se committeret: ac tantus erat in eo fortasse pauor, vt suis non auderet se patefacere totum. Nam alioqui crediderim plerosq; ei non fuisse defuturos. Et periculosius ei futurũ erat, circumuallari ab altero solùm, quàm ab vtroq; simul. Nam permixti Burgundionibus Galli, non erant diuturna vsuri pace. A multa deliberatione, quum ei de periculo cautum esset, constituit proficisci ad Carolum, & comitatus viginti circiter equitibus, Montium petit, Hannoniæ oppidum, cuius præfectus erat ei summè amicus. Ibi per dies aliquot commoratus, à Carolo, qui bello vexabat Lotharingiam, nuncium expectat. Ea de re certior factus Rex, videbat sibi prouidendũ esse magnoperè, ne qua ratione ille Carolo reconciliaretur. Profectus igitur Sanctoquintinum,

cogit

cogit ad octingentos cataphractos,& vbi propiùs venit, ex oppidanis obuiam ei nonnulli procedunt. Illicò iubet, vt ingressus in oppidũ remoueam quæ collocata ibi erant præsidia. Post hæc, ingreditur equitatus, hunc ipse deinde sequitur, honorificè admodum exceptus. Qui Connestablij rebus fauebant, in Hannoniam pleriq; sese recipiunt. Quid actum esset, ẽ vestigio Rex ad Carolum enunciat, vt ei spẽ omnem recuperandi oppidi per Connestablium ădimeret. Eo accepto nuncio, Carolus Montij præfecto mandat, vti modis omnibus prouideat, ne Connestablius aliquò discedat. Ille imperata facit: quanquam certè non tam erat arcta custodia, quin ille pro suis facultatibus, & potentia, potuisset aliquam inuenire fugæ viam. Quid autem hoc loco dicas de fortuna, mundi gubernatrice? vt nonnulli putant. Obtinebat ille summam in Gallijs authoritatem: finitimus erat vtriq; Principi: arcem habebat munitissimam, & rebus omnibus instructam: præfecerat eum Rex quadringentis cataphractis: valebat ingenio,& peritia rei bellicæ præstabat: magnum habebat rerum vsum, & auri vim ingentem possidebat. Statuendum est igitur fortunam, qua nihil est mutabilius, ei fuisse planè aduersariam. Sed reuera nihil aliud est fortuna, quàm figmentum poëticũ.

Quin potiùs ita iudicandum est, iratum ei fuisse Deum,& grauiter offensum. Et si de consilijs arcanis fas esset vlli homini pronunciare, dicerem illum excitasse iram Dei aduersum se, hac vna re potissimùm, quòd per omnem vitam mente & animo totus in hoc fuerat, vt perpetuum bellum aleret. Nam in eo positam esse putabat suæ dignitatis materiam, ac veluti segetem. Neq; verò difficile ei erat istud perficere. Tota enim natura,& moribus,& ingenio Principes inter se dissidebant. Vix igitur credendum est, fortunã aliquam eò dementiæ adduxisse virum longè prudentissimum, vt eos Principes aduersum se concitaret, quorũ fuerat per omnem vitam in rebus omnibus contraria & diuersa voluntas: qui nullã rem vnquã simul ex animo comprobarunt, nisi hanc in illius caput factã coniurationem. Mitto Eduardũ, qui neptẽ eius habebat in matrimonio: qui suæ coniugis propinquos omnes, ac in primis Sanctopolianã familiam valde amabat. Sed ne hunc quidem amicũ habere potuit. In eas itaq; tandem redactus fuit angustias, vt ex amicis nemo per noctem vnam auderet eum hospitio recipere. Consimiles exitus multi sæpe sunt experti,& experientur alij post longam & diuturnam prosperitatem. Dum sic detinetur Montij, Rex confestim vrget Carolum, vt pactioni

ctioni staret, eumq; vel ad se quamprimùm mitteret, vel capitis afficeret supplicio. Ille facturum se respondit ex ijs alterum, simul Peronam deduci iubet. Iam autem nonnulla ceperat Lotharingiæ, & ditionis Barrensis oppida, & Nanceium obsidebat, strenuè se defendentibus, qui intus erant. In Campania Rex magnum conficiebat equitatum. Ea res metum aliquem illi iniecit. Nam etsi pactæ erant induciæ: tamen hoc ei concessum non erat, vt Lotharingum, qui in hac rerum acerbitate ad Regem confugerat, profligaret. Interpellatus autem à Rege frequenter, vt pacta seruaret, quanquam promittebat: tamen vltra constitutum diem distulit. Quumq; metueret, ne sibi impedimentum aliquod obijceretur à Rege, quò minùs Lotharingicum bellum conficeret: quod in primis cupiebat, vt è Luxemburgo rectum haberet aditum in Burgundiam. (occupata enim Lotharingia, continentes habebat prouincias, inde à Batauis in Lugdunensem vsq; agrum.) His, inquam, de causis Cancellario & Imbercorto, qui Conneſtablio erant infestissimi, & summam administrationis obtinebant, mandat, vt Peronam profecti, ad certũ diem illis, quos eò Rex missurus esset, Conneſtabliũ traderent. Ipse Nanceiũ interea tormentis acriter quidẽ, sed frustrà oppugnat.

Nam is, de quo diximus, Comes Campobachius, qui maximam habebat in castris authoritatem, promiserat Lotharingo, se moram esse illaturum obsidioni, & perfecturum, vt ea, quæ ad oppugnationem vsui esse possint, desiderentur. Hoc erat veluti præludiū quoddam maioris calamitatis, quæ deinde secuta fuit. Carolus in spem venerat, vt opinor, capiēdi oppidi ante eum diem, quo Conneſtablium ex pacto cogebatur tradere. Quòd si fortuna consilium eius comprobasset: fortasse non erat daturus. Rex etiam, vt est credibile, si maturiùs illum & ad præscriptum diem accepisset à Carolo, maiora Lotharingo daturus erat auxilia. Nam de coniuratione Campobachij & communicatis inter ipsos consilijs, iam audiuerat: sed ei negocio nō se immiscebat, tametsi coërcere poterat Lotharingum, si voluisset: quoniam in propinquo magnas habebat copias. Quum autem ante eum diem frustrà moliretur expugnationem Carolus: ij quibus mandatum erat, Conneſtablium quem valde oderant, ad portam Peronæ cupidè tradunt in potestatem Ammirallij, qui continuò Lutetiam illum adduxit. Tribus ferè pòst horis, vt à nonnullis accepi, venit magna celeritate à Carolo nuncius, vt ne priùs illum, quàm captum esset Nanceium, traderent. Lutetiæ cœptum est il-

est illicò de illius causa cognosci. Quicquid ad instruendum iudicium poterat conferre non modò Carolus, verumetiam Eduardus subministrabant, & quas ab illo singulis temporibus acceperant literas & mandata, proferebāt. Senatum etiam Rex vrgebat, vt accelerarent: & delecti fuerunt ad eam rem homines idonei. Paucis igitur diebus cognita causa capite damnatur, & publicantur eius bona. Grauissimè quidem ille vtrumq; offenderat, neque crimen eius vllum purgare velim: sed tamen inusitata fuit hęc & præpropera festinatio. Certè Caroli splendore maximè fuit indignum, quòd eum, cui fidem dedisset, quem accersiuerat, comprehendit: ac deinde, non tam metu, quàm cupiditate quadam impulsus, necandum exhibuit. Et sanè, post hoc tam pudendum facinus, res illius paulatim magis atq; magis ad interitum spectabant. Nec enim maleficium vllum Deus inultum sinit, etiamsi diuturniorem impunitatem aliquando concedat. Nā quoties in magnis Principibus aliquā insignem rerum videmus commutationē: certò statuere debemus, illam à Deo proficisci. Propter potētiam enim illorum & opes, quibus tanquam propugnaculo quodam muniti sunt, nullus casus facilè possit eos affligere. Sed est Deus, qui repentina quadam tempestate concitata illos inuoluit &

exagitat, in primis autē eos, qui crudeliter grassati sunt. Per complures annos floruit Burgundica domus, ita quidem, vt in nostro orbe nulla fuerit honoratior. Nam aliæ quædā etsi potentiores erant, tamen & bellis & multis alijs diuexabantur acerbitatibus. Hæc autem perpetuum tenuit & felicissimū fortunæ cursum, quatuor in ea Principibus ordine regnātibus. Primus ex ijs Philippus, cognomento Fortis, Caroli quinti Galliarum Regis frater, in matrimonium duxit Flandriæ Comitis vnicam filiam, eaq; ratione sibi adiunxit Flandriā, Artesiam, Burgundiam superiorē, Niuernensem & Rethelensem agrum. Huius filio Ioanni successit Philippus cognomento Bonus, qui Brabantiam, Luxemburgum, Hannoniam, Limburgum, Hollandiam, Zelandiam & Namurcum, ijs, quas diximus prouincijs, adiecit. Ab eius morte delatus est principatus ad Carolū filium, qui nostri temporis omnium Principum fuit longè clarissimus & ditissimus. Habebat enim præter florentissimas prouincias, maximam copiam exquisitissimarum rerum. Pecuniæ quidem aliquātò plus apud quosdam alios vidi: (nam à multis annis Philippus pater nullum exegerat tributum) reperit tamen supra tercentena aureorum millia. Deinde beneficio patris laudatissimi Principis, pacatos habuit

buit vicinos omnes. Verùm ea pace non vtebatur diu, seq; bellis implicuit. cuius tamen rei culpam omnem in eum transferre nolim, & ad alios ea quoq; pertinet. Ad hæc, populus vltrò ferè largiebatur ei extra ordinem ad trecenta & quinquaginta aureorum millia quotannis, per annos decem, in eaq; contributione non erat comprehẽsa Burgundia. Et quo tempore Conneſtablium in poteſtatem Regis dedit, duplicatam collegit eam ſummam. Quicquid erat mobilium rerum Conneſtablij, æſtimari poterat ad octingenta aureorum millia. Leuis igitur fuit & exigua cauſa, cur illud in Conneſtablium admitteret. Sed non tulit impunè. Nam hoſtem Deus excitauit ei, minimè potentem quidem illum, & planè iuuenem, nullaq; in re exercitatũ. Nec id modò, verum etiam de ſuis ipſe familiaribus, quorum vſus erat bona & fideli opera, ſiniſtrè ſuſpicari cœpit. An nõ hæc ſunt illa præludia, qualibus olim videmus vſum fuiſſe Deum, quoties magnam aliquam conuerſionem moliebatur? Illum in quo erat, dignitatis atq; potentiæ gradum & ſplendorem, ſuæ tribuebat ipſius virtuti & induſtriæ, & quoad vixit, eam retinuit opinionem.

PHILIPPI COMINÆI COMMENTARIORVM LIBER SEPTIMVS.

PRIVS, quàm exhiberet Connestabliũ, cœpit diffidere suo populo, & propemodùm eos despiciebat. Ex Italia enim circiter mille cataphractos euocauerat, ijsq; vtebatur etiam in obsidione Nouesiana. Comitem verò Campobachium quadringentis equitibus præfecerat. Is, quoniam Andegauẽsis familiæ partes, quæ bellum Neapoli gessit, sequebatur, proscriptus, & omnibus bonis exutus: in Galliam se receperat, & maximam partem cum Renato Siciliæ Rege, vel in prouincia Massilienſi fuerat, vel in Lotharingia: pòst etiam apud Nicolaum Calabriæ Ducem, à cuius morte, Carolus eum excepit, & magnum præterea numerum Italorum. Missus autem à Carolo in Italiam, vt equitatum cogeret, accepit ab eo quadraginta aureorum millia. Quumque per Lugdunum iter faceret: incidit in Simonem Papiensem medicum. Familiariter cum eo loquutus, Regi significabat

si

si velit secum paciſci: daturum se Carolum in ipſius poteſtatem. In eandem sententiam loquebatur etiam cuidam Regis apud Pedemontanos legato. Reuerſus deinde ex Italia cum equitatu, denuò pollicebatur Regi simul atque futurus eſſet ad exercitũ, se vel interfecturum eſſe illum, vel capturum: simul quomodo id perficeret, demonſtrat. Caroli conſuetudo sic erat, vt paruulo equo vectus, & modico ſtipatus comitatu, totum exercitum obiret. In eo temporis puncto, confirmabat se poſſe quod vellet perficere. Adhæc, si quando committeretur prælium, illo deſerto, se tranſiturum ad Regem, modò ipſe conditiones inuicem præſtaret. Eam improbitatem atque perfidiam Rex ægrè tulit, & vt ſingularem aliquam virtutem oſtenderet, omnia per Contæum Carolo renunciat. Ille autem, quia putabat hoc à rege fieri captiosè, fidem non habuit, & domeſticum proditorem multò maiori beneuolentia, quàm priùs, complectebatur. Quò magis apparet, Deum ipſi mentem omnem prorſus eripuiſſe. Occupata Lotharingia, & recuperato Sanctoquintino cum duobus Cõneſtablij oppidis, & reliquis eius facultatibus acquiſitis: iniecta fuit mentio colloquij, quò Rex & ipſe venturi erant: Conſtituit enim exercitũ ſuum ex diutino labore defatigatum reficere, & co-

hortes aliquot præsidio collocare per aliquot oppida comitis Romõtij in finibus Bernatum & Friburgiorũ, quibus bellum inferre cogitabat. Primùm, quòd quo tempore Nouesium circumsedit, incursionibus vexassent Burgundiam. Deinde, quòd ipsorũ opera potissimùm sibi esset adempta ditio Pfirtensis, vt suprà docuimus. Postremò, quòd comitẽ Romontium parte aliqua suæ ditionis illi dispoliassent. Colloquiũ Rex valde vrgebat, & hortabatur eum, vt Heluetios sineret vti pace, neq; miseram & tenuem prædam ibi sectaretur, & exercitum potiùs recrearet. Heluetij, quum ad fines ipsorum viderent illum habere præsidia, legatos de pace mittunt, & pollicentur quicquid ademerant, restituere. Sed Romõtius contrà magnoperè sollicitabat, vt præsens opem sibi ferret. Eo probato cõsilio, statuit omnino bellum eis facere: & priusquam illud susceptit, cũ Rege paciscitur, ne propter Lotharingicum bellum vllus inter ipsos motus existeret. E Lotharingię finibus profectus, vbi cum exercitu in Burgundiam accessit: alij veniũt ab Heluetijs ad ipsum legati, cum amplioribus mandatis, quorum hæc erat summa: paratos esse Heluetios, non solùm restituere omnia, quæ occupassent: verumetiam à quauis alia societate discedere & ipsi militem aduersus Regem subministrare.

Quum

Quum autem obstinatè eis omnia negaret, ea spe deiecti, cum vicinis ad Rhenum ciuitatibus ineunt fœdus, in annos decem, vt suprà demonstrauimus, quo loco diximus, quemadmodum Caroli per Pfirtensem ditionem præfectus, capitis pœna mulctatus fuit, qui quoniam insolenter & proteruè multa faciebat, defectionis causam dedit. Magno igitur studio prouidere debent Principes, vt ijs, quas nuper occuparunt prouincijs, idoneos homines præponant. Nam is, de quo diximus, præfectus, cùm æquum esset, vt eius ditionis populum humanitate quadam singulari sibi adiungeret: crudeliter & auarè multa designabat, summo cum detrimento Caroli. Nam illa ciuitatum & Heluetiorum confœderatio, Rege authore facta, maiores quàm plerique putant, Galliæ commoditates attulit, vsque eò, vt existimem, inter alia multa, Regem hoc vnum prudenter admodùm excogitasse. Nam oppresso Carolo, qui se ipsi opponeret, nullus erat omnium Galliæ Principum. Maximum igitur ea res ad Gallię salutem attulit momentum quando ingenti labore & sumptu fœdus illud conciliauit. Heluetij, cùm ad pacem nullum viderent aditum sibi patere, statuunt illatum bellum defendere. Carolus in eam Sabaudiæ partem cum exercitu profectus,

quam illi Romontio ademerant, & castellis aliquot recuperatis, obsidione cinxit Gransonium, quod oppidum Heluetij Castelgionio, viro nobili ademptum, præsidio circiter octingentorum militum, lectissimorum hominum muniuerant, eò quod ipsorum finibus adiaceret. Ex Italia magni veniebant ad ipsum comitatus, atque etiam è Sabaudia. Poterat è suis ditionibus maximam optimorum militum manum colligere: sed præferebat eis exteros. Nam Conneſtablij cædes, ac aliæ quædam suspiciones erant in causa, quamobrem suis non confideret. Tormẽtorum autem vim habebat ingentem: & quò maiorem ad legatos Italorum & Germanorum haberet authoritatem, magnificè instructus erat rebus omnibus, & quicquid omnino precioſum erat atque eximium in ipsius bonis, hoc eò secum aduexerat. Per Insubriam putabat habere se multos amicos, & de Mediolanensi Ducatu varia secum in animo versabat. Gransonio per dies aliquot acriter oppugnato tormentis, qui intus erant, illius potestati sese permittunt. Eos omnes deinde iubet interfici. Conuenerant tum Heluetij, non ita magno numero, vt ex ipsis audiui. Nam opinione pauciores copiæ intra fines ipsorum coguntur, & tunc aliquantò minores quàm hodie. Nam ab eo tempore, agricultu-

ram

ram & alias operas quotidianas belli ſtudijs commutare cœperunt. E ſociis autem vix pauci tum aderant. In celeritate enim totum erat poſitum, & tempore excluſi, non expectatis ſociorum auxilijs, cogebantur progredi, vt obſeſſis opem ferrent. In itinere, de deditione & indigna ſuorum nece cognoſcunt. Carolus, contra plurimorum ſententiam, conſtituit ad fauces montium, vbi tum illi conſiſtebant adhuc, obuiam eis properare, minùs prudenti ſanè cõſilio. Nam erat in loco æquiſſimo & percommodo, circumuallatus & tormentis, & parte aliqua lacus, ita quidem, vt ab illis nihil ipſi magnopere metuendum eſſet. Præmiſerat autem ad centum ſagittarios, qui ex aduerſo eius montis, aditum & anguſtias viæ ſeruarent. Ipſe cum reliquis copijs ſequebatur. Primùm agmen, & maxima ferè pars exercitus, quum adhuc eſſent in planicie, obuium habuerunt hoſtem: ac dum primi ordines ſtudent retrocedere, vulgus militum qui ſequebantur, quòd fugæ ſimilis ea videretur profectio: quum propiùs ventum fuit, fugæ ſe mandabant omnes: quò factum eſt, vt Heluetij impedimentis omnibus & tormentis, & totius exercitus tabernaculis, & ijs quæ Carolus chariſſima habebat, potirentur. Deſiderati ſunt à Carolo ſeptem modò cataphracti: reli-

qui omnes, & in his ipse, fuga salutem sibi petebant. Ioannes Galliarum Rex, quo tempore prælio victus fuit ab Anglis, & captus apud Pictones, ferebatur amisisse laudem omnem & gloriam rei militaris. Hoc ipsum multò rectiùs in Carolum aliquis dicat. Nam ille dum strenuè præliatur, & fortiter sese defendit, captus fuit. Ante id tempus ita se gessit Carolus, vt è suis consilijs laudem & emolumentum ferret. Prima autẽ hæc est calamitas, in quam sua quadam obstinatione incidit. Dici enim non potest, quantum hac vna re vulnus acceperit. Nam ex amicis, quatuor Principes, qui rebus secundis ad eius amicitiam accesserant: ad motum fortunæ se quoq; mouerunt. Comes Romontius, mercatori cuidam Heluetio, quum per ipsius ditionem iter faceret, ademerat currum onustum pellibus ouium. Ea fuit belli causa. Quòd nisi Carolũ Deus planè desti tuisset, non est credibile, illum pro re tam exigua bellum suscepturum fuisse: præsertim, cùm & Heluetij amplas proponerent conditiones, & propter ipsorum agri tenuitatem, nulla vel vtilitas magna, vel gloria posset ex eo bello sperari. Nec enim tam celebre tum erat ipsorum nomen, nec illæ facultates, quæ hodierno die. Qui primò fuerunt ad eum de pace missi legati & deprecatores, inter alia de-

demonstrabant, tantam esse ipsorum inopiam, vt calcaria & equorum fræna per ipsius exercitum, pluris deberent æstimari, quàm omnis ea pecunia, quæ ex ipsorum agris cogi posset. Hoc mihi recitauit, qui princeps fuerat eius legationis. Rex, qui multos habebat exploratores, à me ferè magna ex parte dimissos, certior factus de aduerso prælio, magnoperè fuit exhilaratus, & hoc vnum grauiter modò ferebat, quòd non maior esset edita strages. Morabatur autem Lugduni, vt & in ea propinquitate crebriores acciperet nuncios, & vt Caroli consilijs occurreret. Magnoperè enim metuebat, ne vi & armis ille sibi Heluetios adiungeret. Sabaudiam enim Carolus habebat sibi fauentem: Mediolani Dux fœdere coniunctus erat, & Renatus Siciliæ Rex, cogitabat eum instituere hæredem. Itaque si fortuna comprobasset eius cõsilia, quicquid interiacet agri, inde ab Oceano Germanico vsque ad mare mediterraneum, id omne tenuisset: & occupata Sabaudia cum Lotharingia & Massilienſi prouincia, nostri bellum ei facere, nisi maritimum non potuissent. Verùm vbi infeliciter dimicauit, ad regem vndique veniunt legati, à sorore etiam ipsius, Sabaudiæ domina, & auunculo Siciliæ Rege. Sed vix ægrè illos audiebat, & ad Carolũ ire iussit.

Ipſe interea Germanos diligenter ſollicitabat, & obſeſſis vndique vijs, vtebatur mendicis, & id genus hominibus, internuncijs. Germani ferociter reſpondebant, niſi Carolo bellum inferat, ſe pacem cum eo facere, ac ipſum decreuiſſe oppugnare. Quocirca valdè ſollicitus erat, ne tandem cogeretur hoſtem ſe profiteri, multò magis etiam, ne quos emiſerat exploratores, interciperentur. Nunc videamus, quæ fuerit prælium illud ſecuta rerum conuerſio, & quemadmodum prudenter omnia ſua Rex inſtituerit. Hæc enim alijs conferent, qui per ætatem temerè multa ſæpè faciunt, & rerum exitus non præuident: in eo ſanè multùm vituperandi, quòd illos, quorum conſilia ſequi debent, aſpernantur. Statim, accepto detrimento, Carolus Contæum mittit ad Regem, cum mandatis admodum demiſſis, omnino præter morem ſuum & naturam. Orat, vt ſeruet inducias. Quòd ad collocutionem, vt conſtitutum erat, non venerit, excuſat: & breui, quemcunq; locum Rex ad eam rẽ delegerit, ſe venturum eſſe pollicetur. Rex humaniſſimè excepto illo, facilè patitur hoc abs ſe impetrari. Iudicabat enim nondum veniſſe tempus, vt ſecus faceret: neque neſciebat, quantum eſſet populi ſtudium & voluntas erga Carolum: quò faciliùs putabat eum ex aliqua tempeſtate

poſſe

posse emergere & eluctari. Cõstituit ergo eius euentum belli expectare, neque partibus vllam præbere causam inter se pacíscendi. Habebatur quidem à Rege Contæus amicè, sed vitare tamen non potuit, quin carmina quædam audiret decantari passim, ad Heluetiorum laudem, & infamiam Caroli composita. Galeacius autem Mediolani Dux, quanquam fœdere iunctus erat Carolo, valde tamen fuit eius calamitate recreatus. Cùm enim animaduerteret, esse multos per Italiam, qui rebus Caroli fauerent, metu adductus, amicitiam illius & fœdus ambiuerat. Accepto autem nuncio de clade illius, confestim legatum ad Regem mittit, ciuem Mediolanensem, hominem obscurum. Is per alium quendam me adit, & literas sui Principis reddit. Vt de postulatis illius cognoscerem, Rex iubet. Nam iratus erat illi, quòd se relicto, transisset ad Carolum, præsertim, quum essent affinitate coniuncti. Legatus ad hunc modum locutus est: Ad Galeacium esse delatum, Regem in collocutionem venturum esse cum Carolo. Id multis de causis (in quibus tamen nihil erat ferè solidi) grauiter eum ferre. Quòd si Rex iureiurando confirmet, non se pacificaturum esse, centum aureorum millia pollicetur. Rex vbi cognouit à me quid vellet: accersito illo, & præ-

ter me nemine præsente: Quæ tui sit aduentus, inquit, causa, Cominæus expossuit. Ad Galeacium autem hæc velim referas, facilè me carere posse ipsius muneribus, & triplo maiorem pecuniæ summam me colligere quotannis, quàm ipse faciat: de pace vel inducijs facturum me esse pro iudicio meo & arbitratu: verumtamen, si meæ societatis repudiatæ, & initi fœderis cum Carolo ipsum pœniteat, non repugnare me, quò minùs ad pristinum statum reuertamur. Ille, gratijs actis, magnoperè petit, vt fœdus ad eum modum, sicut anteà pactum fuerat: pronuncietur: habere se plenam eius rei procurandæ potestatem. Rex assentitur, & à prandio publicè recitantur inducíæ. Cumque legatus in Insubriam hoc statim significasset, Mediolani etiam fuerunt diuulgatæ. Primus hic est scopulus, in quem Carolus impegit, accepta clade, nempe iactura potentissimi amici, qui nuper ante tres hebdomadas, splendida missa legatione, fœdus cum ipso pactus fuerat. Renatus Siciliæ Rex cogitabat eum instituere hæredem, vt suprà diximus: eoque nomine Castelgionium miserat Carolus, vt prouinciæ Massilienses possessionem occuparet, & ad deuinciendum eius regionis proceres, dederat ei viginti aureorum millia. Verùm, vbi de pugna rumor increbuit,

ægrè

ægrè cum suis comitibus ille euasit, & adempta fuit ei pecunia. Sabaudiæ domina, quæ rebus Caroli summè fauebat, quum de clade audisset, Renatum hortabatur ad constantiam, & acceptum detrimentum extenuabat. Vtebatur autem Prouincialibus quibusdam internuncijs, quibus interceptis, quod inter Renatum & Carolum clàm agebatur negocium, planè fuit detectum. Rex igitur confestim equitatum mittit ad fines Prouinciæ, & Renatum amanter ad colloquium euocat: nisi veniat, consilium sibi capturum esse dicebat.

Venit ille tandem Lugdunum, & à Rege fuit exceptus honorificentissimè. Aderam, cùm primò congrederentur. Ibi tum quidam ex Renati familiaribus, Ioannes Cossius Neapolitanus, vir honestus, & nobili genere natus, Prouinciæ præfectus, ad Regem: Mirum, inquit, videri tibi non debet, Renatum auunculum tuum cogitasse aliquando, Carolum instituere hæredem: nos ipsius necessarij huius consilij fuimus authores. Tu enim, qui nepos es è sorore, minùs amicè & liberaliter cum illo egisti: Barrensem arcem & Andegauensem, quæ sunt ipsius, occupasti: nec vllam amoris aut beneuolentiæ significationem hactenas dedisti. Suasimus igitur illi, mē-

tionem aliquam futuræ donationis inijceret, vt eius rei fama ad te perlata, leniorem te nobis & placatiorem redderet. Hanc orationem Rex prudenter & benignè excepit. Verum enim ille dixerat, & totius rei tractatio pendebat ab ipso. Paucis deinde pòst diebus, facta fuit compositio: & Renatus Carolo deserto, Regi totum se dabat, amplis ab eo muneribus cohonestatus, non ipse modò, sed & eius familiares. Alterum istud est naufragium, quod à prælio Carolus fecit. Sabaudiæ quoque domina, quæ multis annis auerso animo fuerat à Rege fratre, Montagnium mittit virum nobilem, qui me priùs interpellato, quamobrem illa fuisset hactenus alienior à Rege, demonstrat. Exitus orationis eò spectabat, vt illa, quanquam non discederet apertè ab amicitia Caroli: videretur tamen Regis beneuolentiam affectare. Legatus ab eo responsum tulit satis commodum & amicum, me internuncio. Dum hæc geruntur, intereà multæ aliæ Germaniæ ciuitates, coniuratione facta, magnis animis bellum aduersus Carolum parãt: ita quidem, vt qui plurimum ei noceret, is maximè crederetur officium feciſſe. Fugiente Carolo, Heluetij ingentem prædam fecerant, sicut suprà diximus: verùm, quantas consecuti essent opes, ignorabant. Tabernaculum quoddam

dam illius, longè pulcherrimum & exquisitissimum, partitum fuit ab eis in multa frusta. Patinas argenteas nonnulli, cùm stanneas esse putarent, vilissimo precio vendebãt. Adamantem ipsius, toto orbe celeberrimum, cui erant appensi aliquot vniones, quidam, vbi reperisset, in pyxidem reposuit, mox sub currum abiecit: paulò pòst reuersus, sustulit, & sacrificio cuidam vendidit aureo numo. Is deinde à sui oppidi Magistratu, cui miserat, accepit aureos duos. Breuiter, quicquid eximium ille habuit, in eorum manus totum peruenit, eaque primùm occasione, quæ sit vis auri, cœperunt cognoscere. Nam ad bellum educti, regis impulsu & opera, magnas deinde consecuti sunt diuitias. Et qui veniebant ab ipsis ad Regem legati, splendidis affecti fuerunt donis. Causam illi aliquam offensionis habebant in Regem, quòd non se profiteretur hostem Carolo, sed largitionibus permulsi, remittebant irã. Tunc quoque primùm cœpit Rex eis polliceri pensiones annuas, quas deinde persoluit. Et cùm altero prælio Carolum illi posteà vicissent: pactus fuit eis dare quotannis, ad quadraginta aureorum millia. Eius pecuniæ dimidiam partem pendebat ciuitatibus: reliquum verò magistratibus priuatim, sic vt existimem, eos inde à primo prælio fuisse auctos à Rege de-

cies centenis aureorum millibus. Carolus prælio victus, Losanæ, quod est oppidum ad lacum Lemanum, restitit ægrotus. nam ex mœrore morbum contraxit, & ab eo tempore videbatur multum pristini vigoris amisisse. Colligebat tamen vndique militem, & paucis in diebus magnas habuit coactas copias. Quicquid autem est eius rei, non vidi quidem ipse, verùm audiui, quum Tarentinus Princeps, frater Neapolitani Regis, commemoraret omnia Regi. Is ante annum venerat cum insigni comitatu ad Carolum, spe filiam eius in matrimonium ducendi. Carolus autem ducebat tempus, & spe tunc alebat Sabaudiæ Dominam, quasi ipsius filio daturus eam. Ille verò moram & tergiuersationem hanc grauiter ferens, missio nuncio, petebat à Rege, vt sibi per Galliam, sine periculo, ad parentem, à quo reuocatus esset, transire liceat. Rex liberaliter respondit, neque dubitabat, quin & iste iam de Carolo minùs præclarè sentiret. Sed antequàm nuncius è Gallia reuerteretur: conuenerant Germanorum copiæ & auxilia, neque procul à Carolo considerant. Tarentinus autem, qui superiori prælio interfuerat, secutus mandatum parentis, pridie quàm altera
1476. pugna committeretur, discessit. Obsidebat tum Carolus Moratum, quod est comitis Romontij

montij oppidum, in Bernatum finibus. Heluetij cum ijs socijs, qui tum aderant, ad triginta circiter millia peditum, & quatuor millia equitum eò contendunt. Lotharingiæ Duci valde commodè accidit, quòd eius negocia curę nobis essent. Rex enim & pecuniæ nonnihil suppeditabat, & magnum equitatum illi attribuit, qui in Germaniam ipsum deducerent. Amiserat autem & Lotharingiam omnem & Vaudemontensem ditionem, & magnam partem agri Barrensis, & quod reliquum erat in eo, Rex occupabat, sic, vt planè esset exutus omni possessione. Sed & promiscua multitudo, ipsius imperio subiecti, & familiares etiam eius, vltrò militabant Carolo. Quò minor spes erat, ex istis aliquando fluctibus & vndis eluctandi. Deductus ad hunc modum, ope Regis, peruenit ad Heluetios, paulisper ante prælium, exiguo comitatu. Nostri enim equites, vbi ad fines eum deduxissent, domum redierunt. Ea profectio multùm ei profuit. Nam si aliam fuisset ingressus rationem, paucos erat habiturus amicos. Quo tempore in Heluetiorum castra venit, iam erant expeditæ vtrinque acies. Totum enim triduum illi consederant prope Caroli castra, loco munito: & commisso prælio, statim primo cõcursu, hostem in fugam coniecerunt, sic vt nemo defendendi

causa resisteret. E superiori pugna septem cataphractos tantùm desiderabat Carolus, eò quòd Heluetij nullum haberent equitatum. Nunc verò longè secùs accidit. Nam ipsorum equites fugientem hostem acerrimè persequebantur. Tarentinus confirmabat Regi, Carolum habuisse ad viginti tria millia lectissimorum militum, præter calones, & eos qui alijs operibus erant destinati. Numerauerat autem ille omnem exercitum, quando pontem transijt, & instructissimum esse prædicabat. A prælio venit ad Regem Contæus, neque dissimulabat, Carolum ex eo conflictu desiderare ad octo millia, præter vulgus hominum. Quod reliquum erat temporis, consumptum fuit persequendo hoste. Noctis autem interuentu, redibant omnes in castra. Carolus ex fuga in Burgundiam se recepit, vt alijs comparatis copijs, bellum renouaret: valdè autem consternatus fuit ea clade, neque iam dubitabat de immutata voluntate & studio amicorum, præsertim, quòd sciret, quid iam illi, statim à priori pugna, quæ ante treis hebdomadas commissa fuerat, cœpissent agere. Sequutus igitur consilia quorundam, Sabaudiæ dominam, vel inuitam iubet in Burgundiam adduci cum altero filio. Nam maiorem natu familiares aliò traduxerant, & ij, quibus hoc ab illo

illo fuit iniunctum, metu periculi cogebantur accelerare. Timebat autem, ne ad Regem illa transiret: ea causa fuit, vt eam accerseret. Nam quòd Sabaudicam domum propugnasset: ideò se dicebat in hanc incidisse calamitatem. Vbi venisset illa: iubet in castellum Rouernum deduci, non procul à Diuione, quod est inferioris Burgundiæ potissimum oppidum. Custodias quidem illi ponebat: sed tamen omnibus patebat ad eam aditus, in primis autem Marchio Rethelensis & Castelgionius, quos Carolus cupiebat in matrimonium ducere illius filias, ad ipsam ventitabant. Natu maior filius Philibertus, Cambericum, Sabaudiæ primarium oppidum abductus fuit. Quò cùm & Geneuensis Episcopus venisset, è Sabaudiæ Ducum familia natus, homo planè deditus ocio & voluptatibus: Rex apud eum, & quendam equitem Rhodium, à quo totus ille pendebat, hoc perfecit, vt arcem Cambericensem, & Mommelianam traderent in potestatem Philiberti, eiusque fratris. Ipse intereà castellum quoddam aliud, in quo matris illorum, suæ sororis, erant ornamenta, seruabat in ipsorum vsus. Illa, cùm & occupari Carolum, nouo cogendo exercitu, & imminutam eius videret apud suos authoritatem: cœpit inire consilia, quemadmodum ope Regis illinc eriperetur.

Vetus illi cum Rege & diuturnum interceſſit odium, alioqui niſi ſumma neceſſitate & anguſtijs coacta, non erat ſe in illius poteſtatem datura. Mittit igitur Riuelorum Pedemontaneum, virum nobilem. Hunc vbi quid vellet, ex me cognouiſſet, Rex accerſit, & collocutus, reſpondit: tametſi diſſideant, tamen in eo rerum ſtatu non ſe defuturum ſorori: Quòd ſi illa ſe ipſius fidei permittat: fore, vt eam eripiat, & ad ſe traducat: eam rem ſe mandaturum eſſe Carolo Amboſio, Campaniæ præfecto, magna virtute viro. Certior facta de voluntate Regis, aſſenſit, ſub ea conditione, vt Rex liberos & arces ſibi reſtituat, ac ſine periculo & fraude domum remittat, ſuamque dignitatem tueatur. Id ſi faciat, pollicetur ſe deſertis alijs, pacem cum eo facturã & fœdus perpetuum. Acceptis conditionibus vtrinq;, Carolus Amboſius iter ingreſſus, & ſine maleficio profectus, feliciter negocium perficit, & illam vnà cum comitatu omni in proximam Gallię partem, Regis imperio ſubiectam, adducit. Rex quum per alterum nuncium illi de periculo caueret, Lugduno diſceſſerat, vbi per ſex menſes commoratus fuit, vt Caroli conatus infringeret, ſeruatis tamen inducijs. Nam hoc ipſo, dum ſineret eum progredi, & clàm ſummittebat aduerſarios, magis eum oppugnabat,

quàm

quàm si bellum apertè feciſſet. Alioquin ille, pro ſuo ingenio & natura, poſthabitis rebus omnibus, in Regem iturus erat totis viribus, nec in eas, vt eſt credibile, calamitates incidiſſet, Lugduno Rex digreſſus, ad Ligerim contendit, & ſecundo flumine, vbi primùm nauigatur, Turonum proficiſcitur: quo in loco de ſorore accepit, ac lætus eam adduci iubet. Aduentanti obuiam mittit ex nobilitate quamplurimos. Ipſe quoque pro foribus & porta Pleſſij caſtelli, complexus illam: Gratiſſimus, inquit, eſt mihi tuus aduentus, Burgundiæ Domina. Illa, quòd ex vultu ſtatim iudicabat eum iocosè loqui & facetè: Sum, inquit, Gallicana, modis omnibus parata gratificari tibi, & morem gerere. Vbi prolixè colloquuti eſſent, Rex mandat ſuis, vt ad ampliſſimam tractationem nihil reliquum facerent. Nouerant alter alterius ingenium. Rex cupiebat illam primo quoque tempore domum redire: ſed & ipſa nihil aliud ſpectabat. Mihi fuit igitur iniunctum à Rege: primùm, vt pecuniam illi ad neceſſarios ſumptus corrogarem. Deinde, vt fœderis & amicitiæ formulas notarem. Dehortabatur eam rex ab ijs, quorum anteà meminimus, matrimonijs: verùm illa per filias ſe excuſabat, quæ non poſſent à ſententia dimoueri. Octauo pòſt die, ſancito per iuſiuran-

dum fœdere, discedit, & maximo cum equitatu, quem illi Rex attribuit, domum reducitur, omnibus, quæ Rex occupauerat, recuperatis. Carolus, vt suprà demonstrauimus, fugiens, in Burgundiam se receperat. Ibi per sex hebdomadas moratus, nouum parabat exercitum, sed lentè tamen & remissè. Obstinatione autem quadam magis, quàm alia quauis de causa, erat propemodùm solitarius, vt postea sum dicturus. Nam ad Granſonium re infeliciter gesta, contristatus, in ægritudinem incidit, quę tanta fuit, vt aucta bile & calore naturali, cogeretur à vino abstinere, & vti pharmacis refrigerantibus. Ea verò tristia sic deinde prorsus immutauit eius naturam, vt contraria essent adhibenda pharmaca, quibus pristinum calorem recuperaret. Barbam tunc alebat prolixam, sed consilio medici detonsa fuit omnis. Et, meo quidem iudicio, per eum morbum decessit ei mentis plurimum & ingenij. Atque ad hunc modum vexantur omnes, qui morbis nullum inuenire possunt remedium: in primis autem Principes fastuosi & sublimes. Verùm in eo rerum statu, primum est, vt ad Deum confugiamus, & peccatis veniam precemur. Alterum est, vt ex amicis, cui plurimum tribuimus, nos patefaciamus totos: & animi vulnus, quo affligimur, denudemus. Nam ad reficien-

reficiendum animi vires, nihil est efficacius. Huc etiam si labores, & corporis exercitia, & honestæ accedant occupationes: magnum ea res momentum adfert. Vt enim aliquo modo affectus illi consumantur, oportet. Carolus autem longè diuersam rationem ingressus, in hac animi perturbatione sese abdebat, nec vllius amici leuabatur oratione vel cõsilio. Nam quia durus erat, & supra modum asper in suos: nemo quisquam audebat interpellare, & sinebant eum viuere suo more, veriti, ne si aliter fecissent, in malam partem acciperet. Interea dum in Burgundia commoratur, multi simul in eum conspirant: deserunt eum amici & socij: & apud suos, quod rebus aduersis fieri solet, in contemptum venire cœpit, & per Lotharingiam aliquot iam oppida rursus amisit. Quumque de illius aduersitate fama percrebuisset: Lotharingiæ Dux, coactis, quas potuit, copijs: quoniam in propinquo pleraque omnia, præter Pontemontium tenebat: venit ante Nanceium, in quo firmum erat præsidium militum, non vnius gentis aut linguæ: & in his trecenti Angli, quibus præerat Cohinus, tenui quidem familia, sed excellenti virtute. Hi, tametsi non oppugnarentur admodùm, impatienter tamen longiorem moram ferebant. Et certè vehementer Carolus errabat,

quòd opem illis non ferret. Nam vt ea loca tueretur, magis erat ex ipsius vsu, quàm vt Heluetios vlciscereturà quibus cladem, sua quadam pertinacia & temeritate, acceperat. Sed quantumuis diligenter eum sollicitarent obsessi, & auxilium implorarent: ipse tamen nulla necessaria de causa diutiùs hæsit in Burgundia. Quòd si voluisset initio: poterat sine contentione illis subuenire, quum nullam adhuc haberet aduersarius coactam manum. Et defensa Lotharingia, per Luxemburgum, inde à suis longinquioribus prouincijs, iter habebat in Burgundiam expeditum. Itaque si fuisset ea vi mentis, qua solebat, aliter ei prouidendum erat. Interea dum obsessi expectant subsidium, Cohinus Anglorum Dux, tormento interficitur, maximo sanè cum detrimento Caroli. Nam vnus aliquando vir magnum adfert ad salutem momentum. Neque verò semper ad generis nobilitatem, sed ad virtutem potiùs & ingenij bonitatem respiciendum est. Quò magis prædicari debet Ludouicus Rex, qui diligentissimè cauebat, ne suorum ducum, & excellentium virorum iacturam vllam faceret. Angli amisso duce, incipiunt de auxilijs desperare: verùm non satis agnoscebant, & quàm esset exigua Lotharingi potentia, & quã magnas facultates haberet Carolus instaurandi

randi exercitus. Longo iam tempore nulla gesserant externa bella, quæ causa fuit, vt obsidionum non intelligerent rationem. Tandem in collocutionem veniunt cum oppidi præfecto, quem Carolus constituerat: minantur nisi cum hoste componat, se pacturos esse. Ille tametsi egregius alioqui vir, parum erat animosus, & ad preces conuersus, multa quæ ad suam sententiam facerent, demonstrabat. Quòd si masculè fuisset loquutus & audacter, vtiliùs, vt opinor, rem gessisset. Verùm credibile est, aliud fuisse Dei consilium. Impulsus igitur ab illis, deditionem facit, & biduo pòst Carolus cum mediocri exercitu eò venit, & oppidum obsidione denuò cingit. Quòd si quorundam secutus consilia, præsidijs vicina loca munijsset, breui tempore Nanceium recuperasset, in quo parum erat annonæ, & facilè, ne qua importaretur, prohibuisset, & interea suas copias recreasset. Verùm longè diuersam rationem susceptit. Dum ea durat obsidio, ex domesticis & familiaribus multi in eius perniciem moliebantur, & iam vndique fiebāt in eum graues conspirationes. Campobachius autem in primis vitam illius petebat. Hunc ipse post mortem Nicolai Calabriæ Ducis, acceperat egenum & exulem, & statim initio dabat ei quadraginta aureorum millia,

quò per Italiam colligeret equitatum, vt suprà docuimus, & tunc quidem primùm in itinere, conuertit se ad clandestina consilia, nec vnquã ab eo conatu destitit. Et hoc ipso tempore, quum videret impeditissimas esse rationes illius, cum Lotharingo, & cum nonnullis ducibus, quos in Campania Rex habebat, consilia communicabat, ijsque promittebat se curaturum, vt ea, quæ sint ad oppugnationem necessaria, deessent. Nostris etiam hominibus pollicebatur, se vel interfecturum esse illum, vel capturum, eoque nomine petebat viginti aureorum millia, & ditionem aliquam in Gallijs idoneam. Dum hæc geruntur, nobiles aliquot Lotharingi conabantur in oppidum ingredi, feliciter quidem alij: sed ex ijs capti fuerunt nonnulli, è quorum numero fuit Prouincialis quidam Cifronius, quo tanquam internuncio & interprete vtebatur Campobachius ad Lotharingum, in ijs quæ cum ipso communicaret. Eum illicò suspendi iubet Carolus, affirmans, quòd simul atque circumsessum est à Principe oppidum aliquod & tormentis oppugnatum: si quis tum in illud ingredi, & obsessis opem ferre studeat, hoc ei esse capitale. Hãc dicebat esse militiæ legem. Verùm ea non est apud nos vsitata, quãquam alioqui nostra bella sunt grauiora Italicis & Hispanicis, quibus in regio-

regionibus ea lex locum habet. Ille, cùm se deploratum esse videt: nunciat Carolo, se quædam ei dicturum esse, quæ ad ipsius pertineant salutem. Eum sermonem nobiles aliquot deferunt: & tum fortè aderat Campobachius, qui de Cifronij periculo certior factus, diligenter obseruabat omnia, metuens ne proderetur. Carolus respondit, eum seruandi sui causa colloquium obducere, simul quid vellet, iubet sibi per alios nunciari. Hunc sermonem excipit Campobachius, & collaudat: solus enim cum scriba quodam aderat. Cifronius, ait, se nemini, præterquàm ei soli dicturum esse. Carolus in sententia persistit. Inter eundum multos ille obtestatur, vt Principem permoueant: habere se quod ei dicat, graue quiddam & tanti momenti, vt nihil suprà. Ex ijs, qui nouerant, multos ad misericordiam flexit, & hi denuò interpellaturi Carolum, excludebantur à Campobachio, qui pro foribus cubiculi versabatur, & aditu prohibebat omneis, affirmans mandatum esse Principis, vt è medio tolleretur: simul tribunum militum vrgebat, vt acceleraret supplicium. Itaque suspensus ille fuit, summo cum detrimento Caroli, qui si humanior fuisset, & dicentem placidè audijsset: haud dubiè se suasque prouincias omnes seruasset, præsertim quum per Galliam multæ

posteà difficultates & incommoda sint exorta. Sed est credibile, Deo longè aliter visum fuisse, posteaquàm ille contra fidei & iurisiurandi religionem, Conne stablium in potestatem regis tradidit, & literis iudicium instruxit in illius caput atque fortunas omnes. Nam, etsi iustissimam habebat odij causam in illum: tamen, quòd data fide cepit, ac deinde vendidit, nulla prorsus ratione potest excusari. Vendidit enim non tam vt Sanctoquintinum recuperaret, & illius facultates acquireret, quàm, vt ne quod impedimentum à Rege sibi inferretur, quò minùs Nanceium occuparet. Nisi enim pactioni staret, minabatur ei Rex per legatos. Et sicut apud Nanceium iniquè iussit necati Cifronium, repudiato colloquio: sic etiã eodem ferè loco circumuentus fuit, & proditus ab eo cui plurimum tribuebat. Hæc autem omnia scribo, nõ quòd iudicium vllum mihi sumam, (hoc enim soli Deo conuenit) verùm, vt demõstrem, quãtopere Principes oporteat esse alienos ab eiusmodi facinoribus, quale videmus à Carolo fuisse commissum, & vt ne prauis consilijs obtemperent. Nec enim rarò fit, vt ipsorum familiares ad huiusmodi res eos impellant, partim adulatione, partim metu ne offendant: sed eiusmodi consiliariis nullum est genus hominum pernicio sius. Diximus, quem

ad-

admodùm Deus constituit Campobachium, vt vlcisceretur Conneſtablii necem, eo ipſo loco, & eadem planè ratione, qua Carolus fuerat vſus, imò crudeliùs etiam. Nam eum ille, à quo benignissimè fuerat exceptus, & senex, & omnium rerum egenus, & exul, & à quo innumeris erat affectus beneficiis, prodidit. Et principiò, quum ad eam rem animum adiecit, aperuit se Simoni Papiensi, medico: & reuersus ex Italia cum equitatu, constans in susceptа deliberatione, pollicebatur se traditurum esse Regi omnia, quæ Carolus per Lotharingiam cepisset: aut si Rex cum exercitu in illum iret, certo signo dato, cum suis copiis ad ipsum esse transiturum. Deinde, se vel capturum esse illum, vel interfecturum primo quoque tempore, cùm esset lustraturus exercitum, qua quidem in re non facilè potuisset aberrare. Habebat enim hunc morem Carolus, vt simulatque descendisset ex equo, commoraturus alicubi in castris, ademptis grauioribus armis, & leuiori equo vectus, cum paruo comitatu circũiret omnes copias, & rebus necessariis prouideret. Eam nactus occasionem, facilè poterat ille quod volebat perficere. Rex autem perfidiam hominis detestatus, & quòd induciæ erant, & quòd ignorabat, quam ob rem ille suam operam, in re tam impia deferret, voluit

omnino liberaliter agere, & per Contæum prolixè omnia Carolo significabat, neque dubito, quin ille diligenter & ex fide recitarit. Carolus autem aliorsum accipiens, dicebat, quòd si reuera istud ageretur, Regem non sibi fuisse denunciaturum. Et istud quidem multò antè, quàm Nanceium ille veniret, accidit, tantáque fuit ipsius obstinatio, vt arbitrer eum nihil vnquam eius rei dixisse Campobachio. Nam ab eo tempore plus ei, quàm vnquàm aliàs, tribuebat. Obsidebatur Nanceium tempore hyberno cum paucis copijs & malè instructis, & plerisq; ægrotis. Ex primis ordinibus nonnulli conspirauerant in eum, vt diximus: multi etiam indignabantur (quod rebus aduersis euenire solet) & reprehendebant eius omnia consilia: sed in eius caput & vitã, nemo præter Cãpobachium, moliebatur. Lotharingus interea sollicitabat Heluetios pro auxilijs, vt prælio dimicaret. Ad eam rem prompta quidem erat illorum voluntas: & solùm restabat, vt pecunia conficeretur. Rex causam eius apud Heluetios magnoperè per legatos commendabat, & simul quadraginta Francorũ millia suppeditabat. Campaniæ quoq; Præfectus, habebat perditionem Barrensem circiter octingentos cataphractos, & magnam manum sagittariorum. Itaq; Lotharingus ad eum modũ adiutus:

à Rege,

à Rege, magnas conduxit Germanorum copias, tam equitum quàm peditum: adiunxit etiam se illi magna Gallorum nobilium manus. Qui per Campaniam erat Regis exercitus, nõ se quidem commouebat: sed euentũ belli expectabat. Tandem Lotharingus cum insigni Germanorum comitatu, venit Sanctonicolaum, qui vicus à Nanceio duobus milliaribus abest. Erat id tẽporis in Gallia Lusitaniæ Rex, in nonum mensem. Cum eo Ludouicus Rex fœdus inierat aduersus Hispaniarum Regem, eum, qui hodie rerum potitur. Et Lusitanus quidem, spe consequendi auxilia venerat, quò bellum ex Cantabria vel Nauarra in Castilliam moueret. Tenebat enim loca quædam & arces in finibus: & arbitror feliciter eum fuisse belligeraturum, si Rex ita vt aliquoties constituerat, eum adiuuisset. Cùm verò mutata Regis voluntate, per annum aut eo amplius frustra speraſſet: domi quoque res ipsius magnum accipiebant detrimentum. Nam quo tempore in Galliam discessit: pleriq; omnes Lusitaniæ proceres rebus ipsius fauebant. Verùm vbi diutiùs abesset: languidiores facti, cũ Alphonso & Isabella, qui nunc Hispanias obtinent, paciscebantur. Rex autem quò minùs opem ei ferret, in excusationem adduxit bellum Lotharingicum, seq; vereri dicebat, ne si

Carolus hostem feliciter oppugnaret, tota belli moles in Galliam transferretur. Lusitanus igitur, vir bonus, quò facilius quod petebat cõsequeretur: legationem sibi ad Carolum consobrinum suscepit, compositionis tentandæ causa. Nam contra plurimorum sententiam, in Gallias abiuerat, ideoq; pudebat eum redire domum, nulla re perfecta. Ingressus iter grauissima hyeme, venit ad Carolum ante Nanceiũ, & expositis, quæ acceperat à Rege mandatis, offendit in eo summam difficultatem. Commoratus ibi per biduum, parat abitionem. Carolus instabat, vt aliquandiu differret, & Pontemontij (quod à Nanceio quatuor milliaribus abest) subsisteret, eumq; aditum seruaret. De Germanis enim, qui erant Sanctonicolai, iam intellexerat. Ille excusans, dicebat, nec armis ad eam rem, nec copijs, nec vlla re necessaria se instructum esse. Reuersus igitur Lutetiam, quum diu restitisset ibi: cœpit malè suspicari de Rege, quasi insidiosè ageret, & aduersario suo Castiliæ Regi se cogitaret prodere. Mutatis ergo vestibus, ne agnosceretur, tribus tantùm comitatus, constituit proficisci Romam, & ibi monasticum vitæ genus amplecti. In itinere comprehensus fuit à Robineto Normanno. Rex eo nuncio valde fuit offensus, & nonnihil eum puduit. Iubet igitur naues

ues aliquot armari in Normannia, quæ domum ipsum reducerent. Causa belli quod gerebat cum Hispano, hæc erat. Habebat è sorore Henrici Castiliæ Regis, vxore, neptem. Eam Isabella soror Henrici excludebat à successione & principatu Castiliæ, & ex adulterio natã esse dicebat. Percrebuit enim fama, Henricum fuisse corpore malè affecto, sic vt liberos procreare nõ posset. Et quanquam sub specie matrimonij nata erat ei filia: Castiliam tamen obtinuit Isabella cum marito, Arragoniæ & Siciliæ Rege. Hanc puellam neptem suam, Lusitanus cupiebat in matrimonium dare filio Ludouici Regis Carolo, qui nunc rerum potitur, eaq; de causa venit ad Regem, & quum infecta re discederet, valde indoluit, nec multò pòst, quàm domum redierat, è vita discessit. Diligenter itaq; prouidere debent Principes, quos mittant legatos. Nam si illi, quos in Galliam priùs miserat, fœderis ineundi causa, fuissent homines prudentes ac circumspecti, diligentiùs explorassent de rebus nostris omnibus, antequàm Principẽ ipsum vt eã profectionem susciperet, hortarentur. Cùm illud inter Regẽ & ipsos iniretur fœdus, aderã ipse mandato Regis, cum alijs nonnullis. Hanc narrationem licebat præterire, sed volui demonstrare, quod antea non semel dixi: non debere

Principes ipsos eiusmodi profectiones obire, neq; se alterius potestati subijcere. Vix iter diei processerat Lusitanus, quum Lotharingus & Germanorum exercitus discederent Sanctonicolao, vt manus cum Carolo conferrent. Eo autem ipso die venit eis obuiam Campobachius, vt institutũ perficeret, & cum octingentis cataphractis transijt ad eos, indignè ferens, quòd nihil atrocius in Carolum designasset. Qui Nanceij obsidebantur, ad deditionem spectabant: sed certiores facti de Campobachij defectione, cœperũt sperare meliùs. Nam in fossam oppidi quidam se coniecit, ad eosq; penetrauit, & de Campobachio ac Germanorum auxilijs nunciabat. Aduentante hoste, Carolus, præter morem ferè, concilium indicit. Plurimorum hæc erat sententia, vt Pontemontium se reciperet cum exercitu, & quæ passim circa Nanceium tenebat oppida, præsidijs muniret: Germanos, importatis in oppidum cibarijs, domum esse redituros: fore, vti Lotharingus pecunia destitutus, longo tempore non possit tantas denuo copias colligere: alimoniam autem omnem intra paucos menses consumptum iri: & oppidanos in maiori tum difficultate, & angustijs rerum omnium esse futuros, quàm priùs. Interea tempus & otium ei superesse, augendi exercitus. Vix enim qua-

quatuor habebat hominum millia in vniuersum, ex ijsq; mille tantùm & ducenti erant ad prælium instructi & idonei, vt ex fide dignis accepi. Non deerat ei pecunia: nam in arce Luxemburgi habebat ad quadraginta & quinquaginta aureorum millia, quò faciliùs potuisset copias conducere. Sed perturbauit eius mentem Deus, ac veluti tenebris circumfudit. Nam incitatus à nonnullis penè furiosis, & omnium deterrimum secutus consilium, decreuit periclitari fortunam, & dimicare cum exiguis, quas habebat, & malè instructis copijs: tametsi de viribus ac numero hostium, & de Regis exercitu, qui non procul aberat, diligenter esset præmonitus. Vbi Campobachius ad Lotharingum transijsset cum suis cohortibus: Germani denunciant ei, vt è castris excederet, propterea quòd proditorem nullum vellent apud se ferre. Coactus igitur, recepit se Condium, quod est castellum in propinquo, sperans fore, vt Carolus profligatus & fugiens, in suas manus incideret. Decreuerat autem vel interficere illum, vel capere: postquàm id difficilius visum est, neq; facultas perficiendi dabatur: constituit, commisso prælio, transire statim ab eo ad hostem, vt subita illa & inexspectata defectione, totum exercitũ vehementiùs perterrefaceret. Hoc etiam pollicitus erat,

si profugeret ille, non esse incolumem euasurum, eò quòd è suis familiaribus esset dispositurus ad quatuordecim equites, homines maximè fidos, quorum alij, progredientibus ad pugnam Germanis, fugæ facerent initium: alij verò diligenter & intentè illum obseruarent, ac fugientem interficerent. Ex ijs, quibus hoc erat mandatum officij, treis equidem noui. His rebus procuratis, redit ad exercitũ Caroli, quem deinde venientibus Germanis deseruit. Atq; hîc videre licet, in quantas angustias & periculum se coniecerit Carolus, dum rectè consulentibus non obtemperat. Posteaquàm propè & in conspectu constitissent ambo exercitus: Burgundiones, qui duobus antè prælijs victi, & pauci admodum erant, & malè instructi, primo statim concursu fuerũt pro-
1477. fligati. Quos fuga periculo non eripuit, ij vel capti fuerunt omnes, vel interempti. In his fuit etiam Carolus. Et quoniam ei prælio non interfui, quemadmodum sit interfectus, non facilè dixerim: sed ab ijs tamen audiui, qui viderunt eum ex equo deijci, & quòd capti essent, non poterant opem ferre. His quidem præsentibus, non fuit occisus: verùm superueniente posteà noua cohorte interemptus, & in magno cadauerum numero, cùm non agnosceretur, denudatus est. Torquem illius quendam

valde

valde precioſum, & eleganter fabrefactum, quem collo geſtare ſolebat, & honorificè circumferre, vidi poſteà Mediolani, quo in loco duobus aureis venditus fuit. Et hic quidem eſt exitus potentiſſimi Principis, quo maiorem ad vicinos Reges atq; populos authoritatem nemo habuit. Qua potiſſimùm re Deum in ſe vehementiùs concitarit, non facilè dixerim, niſi quod omnem, qua fruebatur, felicitatem, à ſuo pendere putabat ingenio & virtute. Præditus erat ſanè multis eximijs dotibus: operam dabat, vt homines excellenti virtute familiares haberet: multis cupiebat benefacere: ſuorũ negocia & controuerſias cognoſcebat ipſe, & liberaliter eos audiebat. Quamdiu cum eo vixi, ingenio erat ſatis placido: poſteà verò crudelior euaſit, quæ quidem res indubitatum erat ſignum futuri occaſus. In cultu corporis & veſtium luxu, alijſq; rebus omnibus propè nimius erat: legatis & externis hominibus magnum deferebat honorem: cupidiſſimus erat gloriæ, eaq; fuit præcipua cauſa, cur bella ſuſciperet. Hoc enim ſpectabat in primis, vt ſicut priſci quidam heroes, celebraretur. Animi magnitudine & robore & audacia nulli cedebat. Non facilè dixerim illíne Deus, an ipſius populo magis fuerit iratus. Interfectus enim ipſe fuit, vt diximus, temporis ferè puncto,

sine vllo maiori cruciatu: sed eius prouinciæ ab eo tempore, perpetuis bellis diuexantur, à quibus ob ciuiles inter ipsos factiones, nõ possunt expediri. Deinde, qui nunc eos propugnant ac tuentur, sunt homines externi, nempe Germani, qui paulò antè fuerant hostes. Breuiter, à morte Caroli nullã experti sunt firmam amicitiam: & si quis eorum intueatur actiones, videntur nõ minùs perturbata esse mente, quàm ipse Carolus. Repudiatis enim optimis quibusque consilijs, in suam ipsi perniciem moliuntur: & qui nunc est rerum status, videntur vix ægrè plagam hanc esse curaturi. Sic igitur sentio, Deum prout vult, affligere aliquam gentem: tribuere illis Principem, & accommodare. Burgundicus populus longè florentissimus fuit sub tribus ordine Principibus optimis & prudentissimis viris, supra centum & viginti annos. Tandem verò Deus excitauit eis Carolum, qui continuis bellis, laboribus atq; sumptibus eos exercuit, defatigauit & exhausit, hyeme præsertim. Ante Nouesium autem factum fuit initium calamitatum, quæ deinde tribus aut quatuor aduersis prælijs durarunt, donec interficeretur. Quo quidem tempore sic erat debilitatum ipsius omne robur atq; potentia, vt omnes, in quibus aut aliqua facultas erat, aut voluntas præclara; vel mortui essent,

sent, vel capti, vel grauiter afflicti. Vidi equidem, & cognitam habeo potissimam Europæ partē: sed florentiorem nullam noui prouinciam, quàm erāt hæ Caroli ditiones, quo tempore in ijs vixi. Et nunc ecce Deus tam insignē & potentem familiam, ac clarissimorum virorum domicilium, nostro orbe celeberrimum & honoratissimum, per centum & eò plures annos, breui temporis puncto, planè subuertit. Quum reliqui omnes circùm populi diuexarentur bellis, alijsq; incommodis: hæc sola domus felicissima semper fuit, ita quidem, vt externi multi Principes, ad eam, velut in opportunissimum portum, è fluctibus & tempestate sese reciperent. Ludouicus Rex adolescens, cùm à parente suo dissideret: ad Philippū Caroli patrem sese contulit, honorificè admodùm & amanter ab eo, per sex annos habitus. Eduardi Angliæ Regis ambo fratres, Clarentius & Cloceſtrius, & è Lenclastrijs multi rebus aduersis, opem & patrocinium ab hac domo petierunt. Breuiter, ingens fuit eius familiæ splendor & gloria, & nunc ecce miserabiliter est afflicta, sic, vt vicinis omnibus exemplo esse possit. Est nimirum Deus, à quo salus regnorum omnium, & incrementum, & occasus, & initia dependent.

PHILIPPI COMINÆI COMMENTARIORVM LIBER OCTAVVS.

REx nuper in Gallijs instituerat cursores, qui per dispositos equos, incredibili celeritate iter conficerent, rem planè nouam & inusitatam in Gallijs ante id tempus. Per eos illicò de fortuna Caroli cognoscebat, & singulis penè momentis expectabat certiora de rebus omnibus. Ei, qui primus omnium aliquid memorabile attulisset, munus aliquod dabat, & priùs, quàm aliquid adferretur, dicebat se liberaliter ei, qui primus nunciasset, daturum. Per Bocagium & me certior factus fuit de prælio ad Moratum facto: & vtrumq; insigni dono cohonestabat. Ludeus, qui foris cubabat extra Plessium castellum: de cursoris aduentu primus cognouit & quòd honesto loco erat apud Regem, obtinuit à cursore literas, quibus de prælio Nanceno significabatur. Prima statim luce, Regi dat eas literas. De morte Caroli nemo confirmabat: in hoc autem omnes consentiebant, eum fugisse. Rex eo nuncio sic fuit exhilaratus, vt nihil su-

hil suprà. Hoc vnum modò verebatur, quòd si captus esset à Germanis, ne cum eis, data pecunia, paciscereturr: deinde, ne prorsus euasisset, metuebat. Proxima deliberatio fuit, an ditiones illius esset occupaturus, in eaq; reminiscam esse putabat difficultatẽ, pleriſq; omnibus, qui resisterent, per illa superiora prælia, interfectis. Qui cum Rege erant, omnes dabant significationem lætitiæ: sed pleriq; videbantur sibi vim ipsi facere, & vtcumq; dissimularent, maluissent certè Caroli res meliori esse loco. Cuius quidem rei causa fortasse fuit, quòd Rex natura timidior erat, & idcirco verebantur, ne solutus omni metu, multa moueret domi atq; turbaret. Ex ijs etiã qui aderant, nonnulli vnà cum Galliæ principibus & Carolo, ipsum oppugnauerant. Habita deliberatione, post peractum sacrum, in cubiculo prandet, multis ad mensam pro sua consuetudine adhibitis. Inter prandendum loquebatur de rebus nouis. Hîc ego cum alijs nonnullis obseruabam diligenter vultus eorum, qui prandebant: sed ne vnus quidem hilariter sumebat cibum. Mœroréne istud fecerint, an lætitia: non facilè dixerim. Pudore certè nullo faciebant: nam consueuerant omnes cum eo prandere sæpiùs. A prandio secedens aliquandiu, nonnullis, Caroli possessiones quasdam, si mortuus esset, donabat.

Amirallium autem & me, cum amplis & necessariis mandatis dimisit, vt eos, qui se vellent in ipsius clientelam atque fidem dare reciperemus: potestate nobis facta, vt quicunque inter eundum nobis occurrerent nuncij: eorum resignaremus literas, quò de rebus omnibus certi aliquid cognosceremus. Ingressi iter asperrima hyeme, vix dimidij diei viam processimus, cùm occurrit tabellarius. Acceptis ab eo literis, intelligimus Carolum inter alios repertum fuisse morruũ, & agnitum à quodã adolescente cubiculario, & medico Lusitano, per quẽ Campaniæ præfectus certior factus, hoc ipsũ Regi significabat. Progressi contendimus ad Abbeuillæ suburbia. Per nos primùm iis locis resciuerunt de illius morte. Oppidani iam cœperant pacisci cũ Torcio, viro nobili, quem à multis annis magnoperè diligebant. Qui præsidio relicti fuerant ibi à Carolo: per internunciũ à nobis præmissum, de compositione nobiscũ agebant, & nostris pollicitationibus confisi quadringentos cataphractos illinc remouerunt. Hanc opportunitatẽ conspicati ciues Torcio patefaciunt vrbem, non absq; magno dispendio eorum, quos antè diximus, quibus mandato Regis, & pecuniam, & annuam eramus polliciti pensionem. Sed earum rerũ nihil acceperũt, propterea quòd per ipsos non

erat

erat facta deditio. Est autem Abbeuilla, ex his oppidis vnum, quæ Ludouici pater Philippo principi dederat, ea lege, vt si nulli extarẽt masculi hæredes, ad imperium Gallicum redirent. Non debet igitur videri mirum: si facilem nobis aditum præberent. Inde profecti Dorlanum, sollicitamus Atrebatum, Arteſiæ primã vrbem, ac vetus Comitum Flandriæ patrimonium, cuius quidem regionis imperiũ, ad fœminas non minùs, quàm ad mares defertur. Raueſtenus & Cordæus, adiunctis aliquot primarijs ciuibus, collocutioni nobis diem conſtituunt, in vicina quadam Abbatia. Mihi cum nonnullis alijs iniunctum fuit, vt actioni interesſem. Et quia parũ erat ſpei, confici poſſe negocium, non ibat Ammirallius ipſe. Noſtra poſtulata hæc erant, vt vrbem nobis patefacerent: prouinciam illam omnem, morte Caroli, ad Regem pertinere: ſi recuſant, periculum eſſe, ne cogantur: cæſum eſſe principem, & exercitum tribus aduerſis prælijs deletum propè omnem. Illi contrà, per eius vrbis atq; ſenatus præſidem demonſtrant, quemadmodum inde à Margarita, quam Philippus, cognomento Fortis, in matrimonio habuit, iure ſucceſſionis, Arteſia omnis delata ſit ad Caroli filiam hæredem: orant igitur, ne quas cum Carolo Rex feciſſet inducias, violaret. Non fuerunt

multa inter nos commutata verba: nec inopinato nobis responsum istud oblatũ fuit, & præcipua causa collocutionis hæc erat, vt per eam occasionem quosdã ad nostras partes traduceremus. Nec infeliciter quidem iste conatus cecidit. Reuersus ad Ammirallium: cognoui Regem aduentare, qui paulò pòst nos ingressus fuit iter, & literas huc illuc, tam suo, quàm alieno nomine scripserat, quibus euocabat certos homines, quorum opera sperabat se posse ditiones illas omneis in suam potestatem adducere. Magnam enim animo cõceperat lætitiã, quòd aduersarios omnes videbat è medio sublatos esse. Connestabliũ, & Ducem Nemorensem, & alios nõnullos capite mulctauerat. Frater, Aquitaniæ Dux, è vita discesserat: Andegauensis familia omnis erat extincta: cuius, postremi fuerunt Principes, Renatus Sicilię Rex, Ioannes & Nicolaus Calabrię Duces, eorumq; propinquus, Cenomanorũ & Prouincię Comes. Horum omnium facultates ad ipsum erant delatæ. Sed quò potentior erat Burgundica domus omnibus alijs, & quò grauiora bella gessit, Anglorum ope, in Gallijs, per annos triginta duos: & quò maiores habebat ob propinquitatẽ occasiones diuexandi Galliã: eò grandior etiam fuit & vberior Regis lætitia, oppresso Carolo sic, vt vicinos circùm populos nihil iã

magno-

magnoperè formidaret. Pacem enim nuper fecerat cum Anglis, & eam ſtudebat confirmare. Sed dum in hac ſecuritate verſatur: hoc ſolum ad integram felicitatem ei defuit, quòd nō ex æquitate negocium gubernabat. Nam etſi Deus multis & claris indicijs oſtenderet, graviter & acerbè ſe velle Burgundicam domū affligere: non idcirco tamen eſt, vt aliquis dicat, Regem, ita vt oportet, in ea re progreſſum eſſe. In prouincias enim illas nihil habebat iuris, verùm amore & beneuolentia, perq; connubium, aut iuſtum aliquem titulum, licebat eas adiungere Gallijs, & facillimè quidē, in ea cōſternatione, & propè omniū deſperatione, rebus afflictiſſimis. Eam rationem ſi fuiſſet ingreſſus: firmā & diuturnam pacem in Galliam intuliſſet, & populū continuis bellis exinanitū, magnoperè recreaſſet. Dū viueret adhuc Carolus: nō ſemel mihi Rex cōmemorabat, poſt mortē illius, ſi vita ſuperaret ipſe, filiū ſuum in matrimoniū ſe daturū eſſe illius filiæ: etſi propter teneriorē filij ætatem illa recuſaret: ſe procuraturum tamen, vt è Galliæ principibus alicui nuberet: quò & hac ratione pacatā haberet omnem eam regionem, & illa, quæ putabat ad ſe pertinere, abſq; grauiori vllo motu recuperaret. Hæc erat eius adhuc ſententia, die octauo priùs, quàm de morte Caroli allatum

esset: verùm ab ea discessit, & longè aliter constituit, quo tempore Ammirallium & me in Picardiam mittebat. Et quum nos deinde sequeretur: deferebantur ad eum crebri & iucũdi nuncij. Nam arces duæ Connestablij, Haniũ & Bohenium in eius potestatẽ illicò venerunt: Sanctoquintinum vltrò deditionem fecit: de Perona nihil dubitabat: & de voluntate Cordæi spem certam habebat. Tonsorem quendã suum Oliuarium miserat Gandauum, & alios aliò, magna cum spe; sed pleriq; non respondebant expectationi. Cùm propiùs ad Peronam veniisset, ibam ei obuiam. Præfectus oppidum mox patefecit: per eum diem restitit ibi, & à prandio incidit in mentionem eius, quod Ammirallius & egò apud Atrebates egimus, neq; satisfactum erat eius voluntati, & indicabat nihil nos propemodùm effeciisse. Incipit deinde commemorare, quemadmodum tonsorem suum Oliuarium misisset Gandauũ, cuius opera & virtute sit adepturus eam vrbem: idem se sperare consequi posse multis alijs locis, per eos, quos dimisisset: atq; vt stimulum aliquem adderet, Ludeum summisit, & quosdam alios, qui coram ipso, mecum super ea re disceptarent. Quanquam verò meum non erat, eius opinionem impugnare, tamen respondi, me veteri, ne Oliuarius, & alij quos nominasset, in

ijs vr-

ijs vrbibus non perficerent, quod vellent. Id autem ideò dicebam, quòd viderem, eum sententiam mutasse, de qua suprà diximus, & confisum secundiori fortuna, spem ingentem cõcepisse, omnia sine contentione occupandi. Cupiebat enim in primis Burgundicam domum delere totam, & eius imperij prouincias omnes in multos huc illuc partiri: simul eos nominabat, quibus Namurcum & Hannoniã, finitima Galliæ loca, daturus esset. Quantum ad maiores illas ditiones pertinet, Brabantiam & Hollandiam: constituit nonnullis Germaniæ principibus, vt eas acquirerent, auxiliari, quos à se putabat non alienos, quorum deinde opera vti posset ad perficiendum ea, quæ moliebatur. His de rebus omnibus mecum nõ semel loquebatur, eò quòd hortatus eram, vt alteram rationem, de qua suprà dixi, susciperet: & voluit, vt causas, quamobrem id non faceret, quod suaseram, intelligerem: affirmans, hoc suum consilium esse longè vtilissimum Galliæ, quæ per eam familiam, propter ipsius potentiam, vehementer fuisset, multis nunc annis afflicta. Certè, si quis humana tantùm intueatur & ciuilia, graues erant & magnæ, quas adferebat, rationes. Ad æquitatem autem mihi respicienti, longè diuersum videtur, tametsi tanta erat in eo vis ingenij, vt magis prouiN

dus & acutus nemo quisquam esset. Verùm in rebus tam arduis, Deus Principum & Regum voluntates gubernat, ita vt consilia sequantur accommodata ijs, quas cogitant deinde perficere, actionibus. Nam si beneficio Dei perstitisset in ea sententia, quam ipsemet ante mortem Caroli iudicabat idoneam esse: non fuissent ea consecuta bella, quæ tum temporis orta, ne hodie quidem consopita sunt. Sed actiones nostræ pacem nullam diuturnam merentur, qua fruituri eramus alioquin: & huc, tanquam ad fontem, referri debent calamitates nostræ, non autem ad incogitantiam Regis, qui sanè circumspectissimus omnium hominum erat. Hæc omnia paulò prolixiùs recito, vt demõstrem, super eiusmodi rebus diu multumq; & grauiter esse deliberãdum, vt quod honestissimum est & æquissimum, amplectamur. Sed in primis interpellandus est Deus atq; rogandus, vt quod optimum est, nobis suggerat. Nam ab eo cuncta pendent, vt & scripturæ testimonijs, & ipso rerum vsu doceri potest. Non hoc equidem ago, vt Regem incusem aut criminer, quasi minùs rectè fecerit: nam fortasse multi alij ipsius familiares in eadem cum illo erant sententia, quanquam hoc certò scio, neq; tum, nec vsquam alibi super ea re disceptatum fuisse. Verùm ita res habet, vt

ber, vt qui scribunt historias, non respiciant ad laudem eorum, de quibus loquuntur, & multa sæpe, quæ non exactè norunt, prætereant. Et quantum ad me pertinet: nihil sum dicturus alienum à vero, nihil quod vel ipse non viderim, vel ab hominibus fide dignissimis acceperim, in eoq; nullam habebo rationem affectatæ laudationis. Certò enim constat, nullum esse principem tam prudentem, qui non erret & labatur aliquando, imò sæpenumerò, si longior ei vita contingat, vt ex illorum actionibus ac consilijs, si verè perscriberentur omnia, facilè iudicari posset. Omnes profectò omnium temporum senatores ac viri præstantes, qui vel fuerunt aliquando, vel hodie sunt, errarunt, & sæpe errare possunt atq; labi. Testatur hoc experientia quotidiana. Rex cùm prope Peronam in quodam vico substitisset: profecturus in oppidum, mandabat mihi, vt ad Pictones & Britanniæ fines proficiscerer: simul hoc priuatim & secretò dicebat, quòd & Oliuarius apud Gaudauos nihil perficeret: si Cordæus etiam ad se non transiret: tum se incendijs vastaturũ esse Atrebates, omnemq; vicinũ agrum, & ad Turones rediturum. Antequàm abirem, commendabàm ei quosdã, qui meo impulsu & hortatu ad ipsum transierant. Iis annuam pensionem pollicitus erã: & cùm

ipsorum nomina accepisset à me notata, promissa præstitit. Erat cum ipso Ludeus, homo sui priuati commodi valde studiosus, & Regi multis in rebus nõ iniucundus. Ille sic erat natura, vt sicut temerè ipse alios fallebat: ita quoque leuiter persuasus, à multis sæpe ludificaretur. Educatus fuerat cum Rege, à prima statim adolescentia, & artes, quibus ei placeret, optimè callebat. Is abituro mihi ad Pictones, mandato Regis, vt dixi: Quid, inquit subridens, tu nunc discedis in hoc tempore, quo pulcherrimæ sese offerunt occasiones amplificandi tuas facultates? Deferuntur ad Regem quotidie varia negocia, in eiusq; manu est, quibus bene vult, & quos complectitur, temporis ferè momento locupletare: quantum ad me pertinet: spero me futurum esse Flandriæ præfectum, & totum me inaurabo. Magno cum risu pronunciabat ista: verùm ego, quòd metuebam, ne à Rege manasset, nihil minùs auebam quàm ridere, & pro re pauca locutus, respondi, fore mihi longè gratissimum, si res benè succederent: sperare me, Regem mei futurum esse non immemorem. Paulò antè, quidam ex Hannonia nobilis ad me venerat, & de quibusdam alijs, quos, vt ad Regem transirent, literis sollicitaueram, certi aliquid attulit. Est mihi propinquus ille, & viuit adhuc,

itaq;

itaq; nomen non proferam. Is inter alia paucis verbis indicabat rationes, quibus firmissima quæq; loca Hannoniæ daret in regis potestatem. Abiturus hæc aperio Regi: locutus cum eo, dicebat mihi, nec hunc nec alios, de quibus dixeram, esse idoneos: nec vllus erat, in quo non aliquid desideraret: ipsorumq; pollicitationes iudicabat esse vanas, & ea quæ deferrent omnia, putabat se facilè posse & breui, citra ipsorum operam occupare. Ludeus tamen ipsius mandato, cum eo nobili collocutus, initio statim rogabat, ecquid muneris habiturus esset ab ijs ciuitatibus, vt ipsorum causam Regi commendaret? Erant sanè diuersæ admodum vtriusq; rationes. Alter ex Hannonia venerat, vt amplificaretur: hic verò non modò nihil promittebat: verumetiam quasi beneficium vltrò præstaret, volebat remunerari. Aspernabatur tum eos Rex, verùm incidit posteà tempus, quo magnò redemisset ipsorum operam: & opinor diuinitus hoc etiam accidisse, vt ne ex animi voto omnia ei cederent, aut ne ditiones illas, quæ pertinent ad imperium Germanicum, occuparet. Quod ei duabus de causis licitum non erat: primùm, quòd ius nullum haberet: deinde, propter antiquum fœdus, pactum inter Cæsares atque Galliarum Reges, quod ipsum Rex videbatur

non ignorare. Cùm enim Cameracum, & Quercetum in Hannonia, & quædam alia teneret: ex iis aliqua reddidit, & Cameracum, eò quòd esset imperij ciuitas, pristino iuri ac libertati restituit. Et quanquam id temporis aberam, missus ad Pictones, vt suprà dixi: tamen ab iis qui interfuerunt, omnia plenè cognoui. deinde, quòd vtriusque regionis morem atque naturam ex æquo noueram: non erat mihi difficile, quid ageretur, & quis esset futurus euentus, intelligere. Oliuarius tonsor Regis Gandauum profectus erat, vt diximus, cum literis & mandatis ad Caroli filiam, vt priuatim ei loqueretur, eamque ad partes Regis traduceret. In eo autem summam sciebat esse difficultatem, nec etiam istud potissimùm agebat: verùm eò spectabat, vt Gandaui, quam vrbem nouit ad seditiones propensam esse, magnum aliquem motum excitaret, præsertim, cùm in ordinem essent redacti superioribus annis, & exuti priuilegiis: à Philippo quidem Principe, belli tempore, quod cum eo gesserunt: à Carolo autem, quum debellatis Leodiensibus rediisset ad eos victor. Hæc nõ ignorabat Oliuarius, atque ideo in maiorem spem venit, & secretò multos interpellabat, pollicitus, effecturum se, vt à Rege priuilegia omnia recuperarent. Publicè verò nihil agebat, & hoc solùm tentabat,

bat, si quid apud puellam posset anteà conficere. Post aliquot verò dies, iubetur legationis causam exponere. Venit igitur ad concilium, splendidiùs aliquantò vestitus, quàm pro ipsius conditione. Erant cum puella dux Cliuensis, & Leodiensis Episcopus, & alij proceres, magno numero. redditis puellæ literis, iussus est exponere mandata. Refert sibi iniunctum esse, vt soli puellæ loqueretur. Illi contrà, & inusitatum hoc esse dicebant, & indecorum, eò quòd & adolescentula esset, & innupta. Cùm persisteret in sententia: illi incipiunt minari, & velle cogere. Opinor, quo tempore literas in concilio reddidit, nondum præcogitasse illum, quid diceret. Adhunc modum igitur discessit, non absque ludibrio. Plerique enim ridebant eum, & propter generis obscuritatem (nam originem habebat ex quodam vico, non procul à Gandauo) & ineptum sermonem. Certior autem factus, imminere sibi periculum, & fore, vt in flumen abijceretur: profugit Tornacum. Quæ ciuitas, tametsi tum vtebatur libertate: valde tamen erat studiosa Regis, ad cuius imperium ita pertinet, vt quotannis ei sex francorũ millia persoluat. alioqui libertate sua fruitur, & omnis generis homines admittit. Ciues etiã & Ecclesiastici ordinis viri, possessiones ac facultates suas habent per

Hannoniam & Flandriam, vicinas regiones: Ideoque per ea bella, quæ Philippus Burgundiæ Dux gessit cum Carolo septimo, Galliarum rege, soliti erant ei dependere quotannis ad decem francorum millia, eamque pecuniæ summam vidi, quum etiam Carolo persoluerent. Sed in hoc tempore, quum Oliuarius eò veniisset, immunitatem obtinebant. Atqui non tam Oliuiarius, quòd munus iniunctum suscepisset, quàm alij, quòd iniunxissent, reprehendendi erant. Et quanquã is fuit eius legationis exitus: tamen virtutem aliquam declarauit posteà. Videbat Tornacum esse finitimam vrbem vtrique populo: rebus gerendis & diuexandæ Flandriæ opportunam, modò præsidio aliquo teneretur equitũ, quos in propinquo Rex continebat. Vt autem oppidani præsidium aliquod vltrò reciperent: sciebat frustrà sperari, propterea quòd neutrius erant factionis. Nunciat igitur Oliuarius præfecto Sanctoquintini, vt suas cohortes equitum, & alias è vicinis locis, Tornacum adducat. Ij quum ad horam præscriptam eò venissent: offendunt Oliuarium, & cum eo circiter quadraginta viros, qui partim fauore, partim imperio & vi obiectum sepimentũ amoliti, equitatum omnem intra portas admittunt. Eam rem non multitudo quidem ciuium, sed vrbis præ-

præfecti grauiter tulerunt, è quibus octenos Lutetiam misit. Post equites, alij quoque sunt ingressi, qui villas & ædificia multa vastabant incendiis, maiori fere cum detrimẽto ciuium, quàm hostium. His iniurijs incitati Flandri, Geldriæ ducem, è carcere, in quem à Carolo coniectus fuerat, eripiunt, & copijs præficiunt. Vbi Tornacum venissent: primo statim concursu in fugam coniecti fuerunt, multis interfectis, & ipso quoque Principe occiso, dum postremis laborantibus opem ferre conatur. Alius quispiam, maiori ingenio præditus quàm Oliuarius, non erat fortasse rem tantam perfecturus. Apparet certè, Deum, in ista quidem actione, perturbasse mentem Regis. Nam si maiori deliberatione fuisset vsus, & illam cupiditatem atque vindictæ studium, quando Burgundicam domum voluit delere totam, deposuisset: dubium non est, quin hodierno die prouinciæ illæ omnes penderent ab imperio Gallico. Recuperata Perona, legati ad ipsum eò veniũt, à filia Caroli, omnes pariter, in quibus aliquid cõsilij aut dignitatis erat, idq; non admodùm prudenti sanè consilio, quòd tam frequentes simul venirent. Sed ita erant afflicti & cõsternati calamitatibus, ac morte sui Principis, vt quid potissimùm agerent aut inciperent, ignorarent. In iis legatis erat eius ditio-

nis Cancellarius, Guilielmus Hugonetus, summæ vir authoritatis apud Carolum, & Imbercortus, quo non alium ex nobilitate vidi, vel prudentiorem, vel maximis rebus tractandis magis idoneum. Antequàm publicè Rex audiret, sollicitabat eos priuatim. Omnes dimisse & reuerenter admodùm, pro se quisque, separatim responderunt, vt solent qui metuũt. Sed illi, quorũ facultates atq; possessiones longiùs aberant à Gallia, nolebant vllo pacto adstringi, nisi de matrimonio Delphini & puellę, cuius erant legati, Rex paciscereturr. Cancellarius etiã & Imbercortus, quia cupiebãt retinere authoritatẽ & quòd facultates habebãt in finibus Galliæ: hic in Picardia, ille autẽ in Burgundia: dabant se Regi, & ab eius postulatis erant nõ alieni, suãq; operã ei pollicebantur: & si matrimonium perficeretur, quin ad ipsum planè transirent, non recusabant. Ea ratiõ quãquam optima erat: displicuit tamen Regi, qui & ægrè ferebat, quòd non è vestigio ad se transissent: verumtamen, quia cogitabat eorum vti quacunque opera, dissimulabat. Cordæum, Atrebati præfectum, iam pridem habebat suis rebus fauentem. Eius consilium secutus, petebat à legatis, vt quò facilior esset ad compositionem via, tradgerent sibi alteram Atrebati partem. Est enim vrbs bipartita, muro, & fossa, &

sa, & portis dirempta. Post multam disceptationem, assentiuntur legati, in primis autem Cancellarius & Imbercortus, ac datis literis, Cordæum à fide & religione custodiendæ vrbis eximunt, & vt eam in potestatem Regis tradat, iubent. Libenter ille & cupidè imperata facit. Rex intromissus, illicò mandat extrui propugnacula & vallum, aduersus alteram vrbis partem. Cordæus cum suis cohortibus & signis militaribus oppido excedit, & liberum erat vnicuique sequi quascunque vellet partes. Ipse, quoniam arbitrabatur se non amplius iam obstrictum esse puellæ, propter acceptas ab eius legatis literas: constituit se totum Regi dare. Nam originem ducebat ex Bellouacis, & quoniam morte Caroli vrbes illæ omnes ad Somiam flumen redibant ad imperium Gallicum: putabat se, qui nomen & ortum ex ijs locis haberet, ad Regem honestè posse transire. Hac igitur ratione factus est regius, absq; crimine quidem, vt arbitror, nisi fortè nouo iureiurando sese puellę deuinxerat. Alij aliter sunt hoc illius factum interpretati: quantum ad me pertinet, nihil affirmo. Hoc solum habeo compertum, fuisse eum à Carolo perductum ad summam dignitatem & maximas opes. Nam & totius Picardiæ, & multorum oppidorum erat præfectus:

& à morte Caroli, eandem apud Regem obtinuit administrationem. Rebus Atrebati confectis, Hesdinum Rex illicò circumsedit, & erat cum eo Cordæus, qui ante treis modò dies, eius arcis & oppidi præfecturam gesserat, & suorum militum præsidio tenebatur adhuc locus. Qui intus erant, præ se ferebant initiò non velle mutare imperium, eò quòd religione & fide essent deuincti puellæ. Sed cùm per dies aliquot impetum sustinuissent: in collocutionem cum Cordæo, sub cuius imperio nuper fuerãt, veniunt, ac deditionẽ paulò pòst faciũt. Nam consultò gerebantur omnia. Boloniam deinde Rex proficiscitur, & simili planè ratione occupat, tametsi periculi plenum erat hoc institutum, si modò præsidium vllum in oppido fuisset. Dum ibi per quinq; circiter dies in oppugnatione commoratur: Atrebates incipiunt agnoscere & videre periculum: nam vndiq; cincti erant hostibus. Vicinas igitur vrbes, Douacum & Insulas, de auxilijs interpellant. Douaci erant aliquot equitum cohortes, & cum his Vergæus, nobili genere natus. Hi omnes euaserant ex prælio Nanceno. Constituunt igitur Atrebatum proficisci, coactis circiter trecentis equitibus, & sexcentis peditibus. Douacenses oppidani, ferociores id temporis, cogebant eos inuitos, meridiano tempore

pore discedere, stulto planè consilio. Nam omnis illa regio est planissima, & longè lateq; patet prospectus, & est interuallum quinque milliarium. Quòd si de nocte fuissent profecti: perfeciissent quod cogitabant. Qui Atrebati erant in præsidio, Ludeus & alij nonnulli, certiores facti de illorum aduentu, statuunt obuiam eis properare, & omnia potiùs periclitari, quàm vt sinant eos in vrbem ingredi. Videbant enim, se non posse alioqui alteram oppidi partem, quam custodiendam acceperant à Rege, tueri. Et licet periculosum esset ipsorum inceptum: strenuè tamen & magna cum virtute hostem adoriuntur & profligant, plerisq; omnibus aut interfectis, aut captis, in quibus fuit etiam Vergæus. Postridie, Rex illuc accessit, magnoperè exhilaratus eo nuncio. Captiuos omneis in suam potestatem recipit, & expeditum numero multos interfici iubet, vt alijs, qui circùm erant, terrorem atq; metum inferret. Vergæum autem in carcere diu detinuit, qui tametsi arctissimè custodiretur & vinctus erat: adduci tamen non potuit, vt ei fidem daret, cumq; per annum & eò amplius in vinculis fuisset, vix tandem expugnatus precibus matris, morem gessit, & prudenter quidem. Rex & amissas facultates ei restituit omneis, & quas ad se pertinere dicebat, conces-

fit,& auxit annuis prouentibus, ad decẽ Francorum millia,& munera multa publica donabat. Qui in eo prælio fuga euaserant:in oppidum perueneruut. Rex igitur tormentis,quorum vim maximam habebat, eos oppugnat, & quia milite carebant atque præsidiis, magnus eis timor incessit. A Cordæo plerique oppidani erant non alieni: deinde, fieri non poterat, vt cùm vnam oppidi partem Rex teneret:altera sese tueretur diutiùs. Faciunt igitur deditionem certis legibus,quæ parum tamen religiosè fuerunt seruatæ, Ludei præsertim culpa. Plurimi enim ciues & alij honesti homines, in ipsius conspectu, supplicio fuerũt affecti, & Ludeus ipse mihi confirmauit, se tũ fuisse auctum viginti aureorum millibus. Oppidani præterea mutuò Regi dabant ad sexaginta aureorum millia, sed opinor eam pecuniæ summam eis fuisse redditam, vt Cameracensibus, qui quadraginta millia priùs dederant. Interea dum Atrebatum obsidetur: filia Caroli erat Gandaui in potestate ciuium, magno certè suo cum detrimento, & Regis maximo commodo. Sic enim comparatum est, vt quod vni prodest, alteri ferè noceat. Nam Gandauenses,nunciata,Caroli morte,insolentiores facti, quòd extra periculum se positos esse credebant: seditiosè & proteruè multa de-

signa-

signabant, senatoribus præcipuis, numero viginti sex, interfectis. Eius rei causam hanc adferebant, quòd pridie capitis pœna mulctassent quendam plebeium, ac licet eam pœnam ille meritus esset: dicebant tamen eius rei potestatem ad ipsos minimè pertinere, extincto Carolo, per quem fuissent in eum ordinem asciti. Ex necessarijs quoq; Caroli multos afficiebant supplicio, quorum nonnulli, me præsente, Carolum aliquando placauerant, ne, quod constituerat, eius vrbis bonam partem vastaret. Ab his supplicijs ad puellam transeunt, & cogunt, vt priuilegia, quæ & pater & auus Philippus ademerant, confirmaret. Ea priuilegia perpetuam ipsis materiam litis & contentionis præbent aduersus Principem suum. Natura enim student suorum Principum vires infirmare, quos, dum paruuli sunt, amant: grandiores autem auersantur. Mortuo Carolo, si motus omneis vitassent, & Reipub. salutē spectassent: præsidio militum haud dubiè munijssent Atrebatum, & fortasse Peronā. Sed ad turbas tantùm & rebellionē, animum habebant intentū. Verumtamen cùm obsideretur Atrebatum, venerunt ad Regem legati. Nam ex omni populo delecti fuerunt nonnulli, qui de summa Reipub. tractarent. Gandauenses tamē, qui puellā haberent in potestate,

pro suo arbitratu omnia gerebant. Ii legati, inter alia commemorabant, ea quæ de compositione proposuissent, à puella esse profecta, quæ in rebus omnibus decreuisset obtemperare consilio & authoritati delectorum populi. Petebant igitur, vt à bello tam Burgundico, quàm Atrebatensi abstineret: vt ad certũ diem indiceretur concilium, & de pacificatione ageretur, atq; vt interea belli administratio omnis consisteret. Rex, quoniam & se peruenisse putabat, quò volebat, & milites omnes atq; duces non ignorabat vel occisos esse, vel grauiter afflictos: & quia multi puellam deseruerant, in primis autem Cordęus, quod summi erat momenti. (Nam huius opera paucis diebus plus profecit, quàm alioqui longo tempore potuisset vi armorum.) His, inquam, de causis, legatorum postulata leuiter æstimabat. Deinde, si Gandauenses principatum & administrationem obtinerent: non dubitabat, quin reliquos omnes perturbaturi essent, quò minùs rectè & feliciter bellum gererent. Nam homines virtute aliqua præditos, & qui apud principem, honestum obtinuissent locum, non modò nõ adhibebant illi suis cõsilijs, verumetiam acerbè persequebantur. Burgundiones autem in primis, eò quòd in honore fuissent apud Carolum atq; Philippum, oderant infestissimè. Ad

hæc,

hæc, sciebat quo essent ingenio, & quemadmodùm cuperent singulis temporibus principum suorum potentiam debilitari, modò ne detrimentum aliquod, aut incommodum ipsi acciperent. Constituit igitur alere seditionem, & ipsos, vt tumultuosè omnia facerent, impellere. Nam erant imperiti rerum plerique omnes, nec vllum habebant vsum, præsertim in negocijs tam arduis, quum ipso interim nihil esset acutum magis & prouidum. Dixerant legati, vt suprà docuimus, puellam velle morem gerere consilijs, & stare voluntati delectorum. Eum sermonem Rex, veluti fundamentum aliquod sibi sumpsit actionis, affirmans, non rectè ipsos, quæ vel puellæ mens esset, vel eorum, à quibus illa penderet, accepisse: certò sibi constare, illam ex arbitrio pauciſſimorum quorundam esse facturam omnia, qui pacis minimè sint cupidi, & fore, vt hanc ipsorum orationem, illa non habeat ratam. His auditis, legati, vt homines parum exercitati, subitò respondent: constare ipsis eorum, quæ dixissent, rationem, & si res ita postulet, exhibituros quæ accepissent à suis, mandata. Huic objicitur, proferri posse literas, quæ confirment, puellam omnia sua commisisse quatuor duntaxat hominibus, quorum sequi velit authoritatem. Quum illi in sententia persisterent:

Rex monstrari literas iubet, quas Cancellarius & Imbercortus attulerant, quo tempore apud ipsum Peronæ fuerunt. Eæ literæ scriptæ erant, partim à puella, partim ab eius nouerca, Eduardi Angliæ Regis sorore, partim à Raesteno: sed exierant nomine & mandato puellæ, & quò maior esset earum vis atq; fides: triplici erant scriptura notatæ. Earum hæc erat sententia: primùm, vt ijs, quæ Cancellarius & Imbercortus dicturi essent, Rex fidem haberet: deinde, hanc suam esse mentem, vt negociorum administrationem omnem, vellet esse penes nouercam suam, & Raestenum, & Cancellarium, & Imbercortũ. ideoq; petebat à Rege, vt per eos quatuor tantùm, ageret secum de rebus omnibus. His literis inspectis, valde fuerunt illi commoti; & vehementer offensi, eamq; indignationem nostri etiam idoneis vocibus augebant. Tandem fit eis potestas literarum, ac nihil prætereà cum ipsis actum fuit. Neq; verò ipsi multùm de eo solliciti erant, & ad res nouas tantùm spectabant, nec qui futurus esset exitus, præuidebant. Vrbis Atrebati iacturam & amissionem debebant potiùs deplorare: sed quantum accepissent vulnus, ob imperitiam & rerum nouandarum studium nõ sentiebant. Gandauum igitur redeunt, vbi cum puella tunc erat Dux Cliuensis,

uensis, eius propinquus, ætate grauis, qui & in ea familia fuerat educatus, & pensionem annuam habebat, sex aureorũ millia, & frequenter ibi versabatur, honoris & officij causa. Per id verò temporis ibi hærebat, spe matrimonij. Cupiebat enim in primis puellam nubere filio suo: & si mores illius placuissent, facilè, vt opinor, impetrasset: verùm erat domesticè notus, ac fieri potest, vt ea quoq; res impedimentum aliquod attulerit. Præter hunc aderat etiam Leodiensis Episcopus, è familia Borboniorum, & alij complures. Indicto igitur concilio, cui puella præsidebat, legati quid egissent, exponunt: & illud in primis, quod ad ipsorum institutum pertinebat, quemadmodùm inter ipsos & Regem, magna fuisset & acris, de voluntate puellæ disceptatio, & quid tandem accepissent ab eo responsi. Eo sermone offensa puella, quum existimaret literas non fuisse exhibitas, constanter negat. Ibi statim ex ipsis quidam è sinu profert eas literas, & palàm in conspectu omnium dat puellæ. Quo sanè facto, quàm esset illiberali ingenio, clarè docebat, nempe qui modestissimam virginem ad eum modum pudefaceret. Nam etiamsi quid illa peccaret: ad ipsum tamen castigandi partes non pertinebant. Quantus autẽ fuerit puellæ pudor, facilè quiuis intelligat.

Diuersum enim apud omneis dixerat, & ij, quorum facta fuit in literis mentio, Raueſtenus & nouerca, & Cancellarius, & Imbercortus aderant. Cliuenſi & alijs nonnullis iniecta fuerat aliqua ſpes matrimonij: hi ſinguli magnoperè fuerunt offenſi, & tunc primùm graues ortæ ſunt inter eos diſſenſiones. Cliuenſis putauerat Imbercortum ſuis rebus fauere: cognitis autem his literis, ac re deſperata: quòd ſe ludificatum eſſe videbat, odium in illum cõcepit. Sed & Leodienſis Epiſcopus, propter ſuperiora bella minùs amabat eum. Conneſtablij verò filius, Sanctopauli Comes, & ipſum & Cancellarium, eò quòd parentem ſuum Peronæ tradidiſſent in poteſtatem Regis, oderat infeſtiſſimè: deinde, Gandauenſes erant inimico in ipſos animo, nulla de cauſa, niſi quòd apud Carolum in ſummo fuiſſent honore. Nocte igitur illa, quæ concilium hoc eſt inſecuta, capti ſunt ambo, & licet præmoniti fuiſſent: periculum tamen vitare non poterant, quod alijs multis ſæpe accidit. Vt autem caperentur, opinor aduerſariorum impulſu aliqua ex parte factum fuiſſe. Gandauenſes, obſeruata aliqua iuris formula, præter morem ſuum, è ſenatu nonnullos deligunt, qui de cauſa cognoſcant. Et primùm quidem interrogantur, cur Atrebatum Regi per Cordæum tradidiſſent?

Ei quæ-

Ei quæstioni non multùm inhærebant. Nam neq; mouebat eos debilitata potentia puellæ, neq; detrimenti magnitudinem intelligebant. Postposita igitur ea quæstione, duo potissimùm obijciebant: primùm, quòd in quadam controuersia & lite, sententia secundum ipsos & Rempubl. lata, pecuniam accepissent. Ad hoc illi prudenter respondebant, se iudicasse in ea lite secundum ipsos, quod æquitate & iure vincerent: non se prostituisse iudicium, nec vllum affectasse munus: oblatum verò nõ recusasse. Alterum crimen erat, eiq; potissimùm insistebant: ipsos & præsente Carolo, & per eius absentiam multa feciisse aduersum ciuitatis priuilegia: quod apud eos sanctissimo iure sit capitale. Hæc sanè criminatio nulla nitebatur ratione. Nam neq; ciues erant illi, nec ipsorum subiecti imperio, & si qua vel Carolus, vel eius pater ademerant eis priuilegia, pactionibus illud factum erat, post diuturna bella. Sed quantumuis illi se purgarent: tamen, duabus postremis de causis, damnati sunt capitis. Hac tam crudeli sententia perterriti, quod vnicum supererat remedium: prouocant ad Regem & senatum Parisiensem, vt ea interposita mora, per amicos & necessarios eriperentur periculo. Dum captiui detinerentur: subiecti fuerunt quæstioni & tormentis, ac in-

tra ſextum diem de capite ipſorũ fuit pronunciatum, & nulla ratione habita prouocationis, tres tantùm horæ fuerunt eis conceſſæ, intra quas de ſuis rebus ac ſalute cogitarent, poſteà deducuntur ad ſupplicium. Filia Caroli certior facta, ſenatum adit, & propemodùm ſupplex deprecatur mortem. Quum nihil proficeret, venit in forũ, vbi multitudo erat omnis in armis: & vt miſerabilior eſſet, cultu corporis admodùm neglecto, ſummum teſtabatur dolorem. Lachrymans igitur, paſſis crinibus, magnoperè ſollicitabat populum, vt illos ſibi donaret. E ciuibus multi eò inclinabant, alij contrà, ſic vt ad contentionem res atq; præſentem pugnam ſpectaret. Eorũ autem, qui ſupplicium volebant, maior erat numerus. Ii ſublato clamore, carnifici mandabant, vt acceleraret. Deſperata igitur ſalute, triſtis & afflicta, propter iacturam ſummorum virorum, domum redit. His rebus perfectis, Gandauenſes Raueſtenum & nouercam, eò quòd in ijs erant notati literis, quarum ſuprà meminimus, à puella ſubmouent, & authoritatem omnem in illã ſibi ſumunt, quò miſerior erat eius conditio, tum propter amiſſas vrbes, tum quòd in ipſorum eſſet poteſtate. Videre autem licet in ipſorum actionibus inſignem ſtoliditatẽ cum malitia coniunctam. Nam qui magiſtratum

apud

apud ipsos gerunt, & authoritatẽ habent: plerumq; sunt opifices ac homines plebeij, earũ rerum omnium, quæ pertinent ad Reipublicæ gubernationem, imperiti. Malitia duabus in rebus potissimùm cõsistit: primùm, quòd suos Principes cupiunt esse quàm maximè infirmos & tenues: alterum, quòd simul atq; facinus aliquod admiserũt, ac se inferiores vident: artem optimè tenent deprecandi culpam, veniamq; petendi, in eoq; nec sumptui parcunt vlli, nec labori, & quibus vti debeant intercessoribus, omnium hominum optimè norunt. Interea dum Rex in Picardiæ finibus feliciter rem gerit: alter ipsius exercitus, in Burgundiã quoq; bellum infert. Delectibus agendis præerat Auraicæ Princeps, qui tametsi è superiori Burgundia genus duceret: tamen ab amicitia Caroli iam secundò discessit, & quoniam in vtraq; Burgundia plurimùm valebat & facultatibus amplissimis & gratia & clientelis: peropportunè Rex illius vtebatur opera. Summę autem belli præfectus erat Cranius, qui præmisso Auraicę Principe, per ipsius industriã & gratiã, non modò Diuionem, ijs locis firmissimã vrbem: sed alia quoq; inferioris Burgundiæ omnia, & superioris nonnulla oppida deditione cepit: verùm Auxona, & alia quædam castella strenuè sese tuebantur. Auraico magnæ fuerũt

propositæ conditiones,& amplissimi honores designati. Mouerat ei litem auunculus de possessionibus aliquot & bonis, eaq; controuersia fuit ad Carolum introducta, qui conuocato concilio nobilium & doctorum hominum aduersus ipsum pronunciauit. Ea re commotus,transijt ad Regem, qui inter alia promittebat ei restitutionem eorum, quæ sibi per iudicium erepta esse dicebat. Sed Cranius, Regis legatus, eorum bonorum nactus possessionem, tametsi crebrò interpellaretur, etiam à Rege, tamen recusabat ea reddere, neq; fore putabat, vt Auraicus omnem illam prouinciam ad defectionem & rebellionem aliquando permoueret. Gandauenses cùm ad eum modum,vt diximus,essent tumultuati,& puellam in potestate haberent:nouum constituunt magistratum,veteres loco submouent & proscribunt,in primis autem Burgundicæ domus necessarios, nulla prorsus meritorum habita ratione. Illos autem omnes, qui ex Burgundia genus ducerent, acerbissimè persequebantur: Et cùm Rex totus in hoc esset, vt è familia Caroli plerosq; ad se quacunq; ratione traduceret:illi suis moribus & ingratitudine, & asperitate hoc ipsum præcipuè agebant, vt libenter ipsi ad Regem transirent. Sed Gheldriæ Ducē in primis, qui mandato Caroli diu captiuus

fuerat,

fuerat, eximunt è carcere, & ijs copijs, quas vnà cum socijs aduersum Tornacenses educebant, præficiunt, & Tornaci suburbia vastant incendijs, imperitè sanè & imprudenter. Quòd si Atrebatum maturè firmassent præsidio: rectè cùm sibi, tùm toti prouinciæ consuluissent. Nam eo genere belli, quod gerebant, nullum inferre poterant Regi detrimentum, qui pecuniam nullam ijs locis, aut vectigal, aut tributũ imperabat. Gheldrus igitur, vbi Tornacũ venit: ignẽ in suburbia coniecit. Erant vrbis præsidio relicti circiter quadringenti cataphracti, qui discedentem hostem persecuti, in fugam verterunt. Sed Gheldrus, magno vir animo, & singulari virtute, conuerso equo inuectus, vt viam suis expediret, interficitur cum multis. Filia Caroli dicitur, eo accepto nuncio valde fuisse exhilarata. Nam fama percrebuit, Gandauensium hoc esse propositum & voluntatẽ, vt ei, nisi occubuisset, in matrimonium illam darent. Qui lecturi sunt ista, mirabuntur, non dubium est, quòd à morte Caroli, ad hunc vsq; locum, Anglorum mentionem nullam feci, & alienum eis videbitur, quòd illi Regem ita sint passi occupare Boloniam, Atrebatum, Hesdinum, & alia loca munita, prorsus ad ipsorum fines, nec id modò, verumetiam obsidione cingere Sanctomarum. Causa nimirum est in

promptu. Rex ingenij vi, multis partibus Eduardo præstabat: quanquam certè præclarus & hic erat Princeps, octo prælijs victor, quibus ipse pedes interfuit omnibus. Verùm ea diuersis temporibus facta fuerunt, neq; magnã aliquam ipsius industriam requirebant. Semel enim parta victoria, vtebatur deinde pace, donec nouum exoriretur bellum: & Angliæ consuetudo fert, vt intra pauciſſimos dies, commisso prælio, de summa belli decernatur. Galliæ autem rationes longè erant diuersæ. Nam præter administrationem bellicam, oportebat Regem multis locis intentum habere animum, & quid vicini Principes molirẽtur, summo studio cognoscere & obseruare. Sed in primis danda ei fuit opera, vt Angliæ Regi satisfaceret, & crebræ mittendæ legationes, & donis ac pollicitationibus tentanda res, vt ne nostris ille negocijs & occupationibus sese immiſceret. Anglis enim omnibus est quędam animi incitatio & alacritas naturaliter innata bellum in Galliam inferendi. Primùm, quòd illam ad se iure pertinere dicunt: deinde, propter ampliſſimã prædam. Maiores enim ipsorum multas obtinuerunt insignes per Galliam victorias, & continuata possessione per trecentos ac quinquaginta annos, bonam & Aquitaniæ & Normanniæ partẽ tenuerunt. Et quanquam

quam à Carolo septimo, Ludouici patre, profligati sunt: tamẽ redierunt domũ, onusti spolijs opimis,& nostris exuuijs amplificati, cõcepta spe certissima redeundi aliquãdo. Sed profectò vix ægrè tales erant nostris temporibus habituri occasiones. Ludouicus enim Rex nũquã erat periclitaturus fortunã, nec eò descensurus, vt prælio cum ipsis dimicaret, quod alicubi factũ fuit infeliciter, & magno cum Galliæ detrimento. Verùm multò prudentiùs omnibus prouidisset rebus, vt videre licet ex eo, quod suprà commemorauimus de pacificato Eduardo. Et quoniã hanc illorum cupiditatẽ ac ardorẽ gerẽdi belli nõ ignorabat: hoc sibi modis omnibus laborandũ esse videbat, vt ipsos in amicitia cõtineret, eos præsertim, qui videbãtur ad pacẽ magis inclinare, & oblata munera nõ esse recusaturi. Pensionẽ igitur illã, quinquaginta aureorum millia, quotannis Londini, ad diẽ, & liberaliter persoluit Eduardo, & in ipsius familiares distribui iussit ad sedecim aureorũ millia, & legatos illius, etiãsi minùs iucũda nũciassent, omni humanitatis genere, & donis placatos dimittebat. Et quanquã aliqui sentiebãt hoc ab eo fieri, temporis extrahendi, & perficiendi belli causa, quod ijs locis gerebat: tamẽ quęstus & emolumenti magnitudine deliniti, dissimulabant. Præter annuas enim pensiones

dabat etiam intimis consiliarijs luculentissima dona,& is,de quo sæpe diximus,Hauartus, accepit ab eo intra biennium, præter pensionem,ad vigintiquatuor aureorum millia. Et hi quidem omnes, accepta pecunia, regijs quæstoribus dabant chirographa, quæ in ærario ponebantur. Vnus tantùm Hastingus, Eduardo familiarissimus,ægrè potuit adduci,vt pensionem à nobis acciperet,ac vix tandem ei persuasum à me fuit. Nam quo tempore cum Carolo versabar:perfeci, vt ad eius amicitiam adductus, mille aureos pateretur sibi ab eo dari quotannis.Id vbi Rex à me cognouit: mãdat, vt eum ad se traducerem, oblata etiam maiori conditione, Regem verò sic oderat, vt etiam à morte Caroli, rebus filiæ magnoperè faueret, ac Eduardum,vt illi cõtra Regem adesset, hortaretur. Cœpi igitur eum sollicitare literis, & Rex pensionem ei designabat, duo aureorum millia quotannis, cùm à Carolo mille tantùm accepisset. Eam pecuniæ summam deferebat Petrus Claretus, vir nobilis & industrius, cui mandatũ à Rege fuit,vt tradita pecunia,chirographũ postularet, quo demonstrari aliquando posset atq; videri, quemadmodùm & summus Angliæ Regis cubicularius, & Cancellarius,& Ammirallius,& magister equitum,& alij multi proceres, pensionem à Galliarũ Rege ac-

ge accepissent. Claretus diu multũq; & familiariter cum eo Londini locutus, posteaquam mandata exposuit: obtulit ei, quam acceperat pecuniã: simul chirographum sibi dari petit. Quod cùm ille recusasset facere: alter orat, vt saltem breuibus aliquot verbis Regi significaret, se pecuniam accepisse, ne Rex, qui suspicionibus indulgeat, putet à se fraudẽ aliquam esse commissam. Tum ille: Quod petis, inquit, æquum est quidem: sed tuus Princeps donum hoc vltrò mihi misit, non rogatus à me. Si vis vt capiam, opus est, vt in vestem ipse mihi imponas: testimonium autem à me nullum aut literas es habiturus. Vt enim illud de me iactetur, & chirographũ meum inter rationes quæstorum ærarij conspiciatur, minimè committam. Claretus, cùm aliud non posset, relicta illi pecunia, domũ reuersus, quid egisset, exponit. Rex ægrè tulit, quòd literas ab eo nullas obtinuisset: ipsum verò, qui recusasset dare, magni faciebat, eaq; fuit causa, cur ei deinde pensionẽ absq; chirographo persolueret. Ad hunc modum tractabat Anglos: verumtamen filia Caroli, fidem Eduardi & auxiliũ implorabat, eò vsq;, vt ille misso ad Regem legato, peteret vel pacẽ vel inducias cum ea fieri. Cõuocato enim concilio, illi qui præmium aut pensionem nullam habebant ex Gallijs, hortabantur eum, ne

puellam desereret, sed auxilijs omnibus iuuaret. Eadem fuit multitudinis & populi sententia, qui & ludificari se à nobis, & matrimonij spem nullam subesse dicebant. In collocutione prope Piccenium ita conuenisse, vt Ludouicus Eduardi filiam ad se reciperet intra annũ, ac deinde suo filio, cùm tempus postularet, in matrimonium daret: iampridẽ venisse diem, nec vllam dari significationem seruandi promissi. Verùm, quantumuis acriter illi bellum suaderent: Eduardus tamen incitari nõ potuit. Nam & obesior erat, & ociũ atq; delicias amabat, & laborem militarem vix ægrè sustinuisset, & annua pensio mitigabat eum, & quos in Galliam mittebat legatos, ij tam humaniter excipiebantur à Rege, omnis generis beneuolentia, vt ab eo alieni esse non possent, & cum eiusmodi mandatis ferè dimittebantur, vt suspicio nulla suboriretur, tẽpus à Rege captari & extrahi. Nam hoc semper addebatur, fore, vt Rex intra paucos dies in Angliam mittat legatos, homines idoneos, qui controuersias omneis componant. Et cùm ad hunc modum eos dimisisset: tribus circiter hebdomadis pòst, aut ampliùs eò, mittebat rursus ad illum, ac semper diuersos à superioribus, vt si quid illi promisissent, quod seruatum non esset: hi facilem haberent excusandi rationẽ, vt qui aliorum

rum pollicitationes nõ posſent neq; deberent præſtare. Atq; intereà tamen hi ſermonem omnem ita temperabant, vt Eduardus pateretur ſibi perſuaderi, neq; rem nouam tentaret vllam. Matrimonium enim, de quo pactum erat, adeò vehementer cupiebat: vt hac potiſſimùm de cauſa, nõ audiret eos, qui bellũ ab ipſo prætermitti dicebant, magno cũ Angliæ detrimento. Et quò cõtemptiùs nõnulli per Angliã de nuptijs illis loquebantur: eò magis ipſe metuebat, ne is rumor in Galliã delatus, impedimentũ áliquod inferret. Quantũ verò ad Ludouicũ Regem pertinet: nunquàm erat aſſenſurus, eò quod Eduardi filia Delphinum ætate antecedebat. His artibus aliquot conſumptis menſibus: iam adminiſtrandi belli pręterierãt occaſiones. Niſi igitur ſpes illa matrimonij cõtinuiſſet Eduardum: dubio procul nõ erat paſſurus Regem ita progredi. Et ſi ſtatim initiò puellam propugnaſſet: Rex, qui ſua noluiſſet in periculum deuocari, non ſic erat Burgundicam domũ debilitaturus. Hęc autem eò commemoro, vt quantæ ſint rerum humanarũ viciſſitudines, demonſtrẽ: & vt illi, qui Reip. gubernationi pręſunt, habeant quod intueantur. Nam etiam vt ingenio maximè pręſtent: eiuſmodi tamẽ rerũ notitia, nõ eſt ipſis futura inutilis. Quòd ſi filia Caroli voluiſſet nubere fratri

vxoris Eduardi: magna fuissent ei subministrata auxilia. Sed impar erat matrimoniũ, quòd ipsa omnium esset sui temporis locupletissima puella: ille verò tenuior, & opibus & generis nobilitate. Varijs autem de rebus inter se Ludouicus Rex & Eduardus agitabant, & si copias vellet coniungere Eduardus ac partem aliquam ditionum Caroli occupare, non recusabat Rex, quò minùs Flandriam liberè teneret. Ad hæc, promittebat se periculo suo traditurũ ipsi esse quatuor potissimas Brabantiæ ciuitates, ac stipendia præbiturũ ei, per menses quatuor, in decem hominũ millia, quò belli sumptum eò facilius toleret: subministraturum etiam tormenta & currus, & quicquid vsui esse posset, & interea dum ipse Flandriam oppugnet, se diuersa parte bellum ipsis facturum esse. Eduardus ad ea respõdit, Flandriæ & Brabantiæ vrbes, ob magnitudinem & firmitatẽ, habere difficilem oppugnationem: & vt captæ sint, ægrè tamen posse defendi: & bellũ istud, Anglis, propter mercaturam esse prorsus inutile & intolerabile. Verùm, si ex ijs oppidis, quæ iam in Picardia Rex cepisset, nonnulla sibi tradat: missurum se copias auxilio. His actionibus extrahebatur tempus, atq; interea viribus puellæ multum decedebat in dies. Nam ex ijs belli ducibus, qui à morte Caroli superstites

erant,

erant, complures ad Regem transfibant, in primis autem Cordæus, & cum eo multi alij, partim necessitate coacti, quòd facultates haberent in ijs ipsis locis, quæ Rex iam occupauerat: partim spe & cupiditate augescendi. Liberaliter enim Rex tractabat eos, & iam paulatim magis atq; magis accendebantur in vrbibus factiones, Gandaui præsertim. Dum hæc geruntur: multus erat omnium sermo de puella, aut reperiendum ei maritum esse, cuius virtute & industria, quod reliquum habebat, tueretur: aut nubendum filio Regis, quò totum seruaret. Et hęc quidem ratio multis videbatur longè commodissima, etiam ipsi puellæ, ante mortem Imbercorti & Cancellarij. Nonnulli verò, quòd filius Regis adolescentulus admodùm erat, vix nouem annorũ, dehortabantur: alij de Anglia, de Cliuensi alij loquebantur, alij Maximilianum Cæsaris Friderici filium proferebant. Puella, quòd Regem, patefactis literis, authorem esse iudicabat necis Imbercorti & Cancellarij: oderat eum acerbiùs, præsertim, cùm & ipsa fuisset palàm eo nomine pudefacta, & intimis suis ac necessarijs hominibus esset exuta per Gandauenses, quorũ tanta fuit intemperantia, vt ijs, quæ cum puella erãt, fœminis, integrũ non esset, vllas accipere literas, aut etiam loqui puellæ: nisi primùm indicas-

sent. Leodiensium Episcopus, de quo non semel diximus, magnoperè cupiebat matrimonium Gallicum perfici, & si filius Regis fuisset ætate maior, erat fortassis vtriq; parti futurum non incommodum. Ille verò deposita spe, factus alienior domum redit. Suberat haud dubiè maxima difficultas in ea re, & opinor illos, qui procurationem eius cogitabant suscipere, parùm fuisse laudis tandem habituros. Id cùm plerique deprehenderent, abstinebant ab omni actione: verumtamen coacto concilio deliberatum fuit. Ei cum cæteris intererat nobilis matrona, quæ facilè primum dignitatis locum apud puellam obtinebat, Halluinam vocant. Ea, cùm disceptaretur: Nobis, inquit, opus est aliquo viro, non autem puero. Iam ea est ætate puella, vt liberos gignere possit, quod nobis, & toti Prouinciæ maximè necessarium est. Ea vicit in concilio sententia, tametsi nonnullis videbatur esse locuta liberiùs. Alij verò commodè interpretati, dicebant eam de matrimonio solùm dixisse. Hoc vnum igitur restabat, vt idoneus inueniretur maritus. Opinor equidem, si modò Rex voluisset, eam libenter fuisse nupturam Duci Angolismensi. Gallicam enim affinitatem valde cupiebat. Sed aliter Deo visum fuit, cuius rei quæ sit causa, ne hodie quidem nobis constat, nisi quod ex

rebus

rebus anteactis videmus, per Austriacũ illud connubiũ maxima grauissimaq; fuisse introducta bella, quibus & Brabantia & Flandria nõ fuissent diuexatæ, si quidẽ Angolismensis eam in matrimonio habuisset. Dum ita deliberatur, Cliuensis magnoperè pro filio sollicitabat, verùm illius mores nec puella, nec ipsius necessarij probabant, vt suprà quoq; demonstrauimus. Cœptũ est igitur cogitari de Maximiliano, nũc Romanorũ rege. Nã huius patri, cum Carolo, eius rei mentio quædã aliquãdo interceſſerat, & ipse literas habebat ad se missas à puella, iussu patris, & adamantẽ, quibus literis illa promittebat, se nuptijs illis, vt à parente suo cõstitutũ erat, assentiri. Fridericus ergo Cæsar, Maximiliani pater, legatos ad eã mittit. Ii cùm Bruxellã veniſſent: iubentur expectare, donec nuncietur. Istud à Cliuensi profectum erat, qui aduentum illorum grauiter ferebat, eoq; spectabat, vt aliquam eis præberet occasionẽ offensionis, quò discederent. Verùm illi, tum ab alijs, tum à puellæ nouerca in primis, admonebãtur, vt eius, quod nunciatũ esset, nulla ratione habita, pergerẽt, & Gandauũ proficiscerentur: simul quomodò esset instituenda, cùm eò veniſſent, actio, docentur, & firmo iubẽtur esse animo, quòd ipsorũ rebus, non puella tantùm, sed & ex ipsius familiaribus multi fauerent.

Hoc consilium illi secuti, veniunt Gandauum, inuitissimo Cliuensi. Dictus est igitur dies, quo de ipsorum postulatis cognosceretur, puella etiam, quomodò se gerere debeat, edocetur: ac primùm quidem, vt illos, vbi mandata exposuissent, humaniter exciperet: deinde, vt diceret, se deliberatione habita, quid sui propositi sit & voluntatis, declaraturam. Intra hos veluti cancellos includebant eius orationem, nec vt longiùs egrederetur, permittebant, ipsa non dissentiente. Vbi legati in concilium venerũt: redditis literis, exponunt, quemadmodùm inter Fridericum Cæsarem & Carolum de matrimonio cõuenerit, ipsa puella nõ repugnante, quę & literas & adamantem ad Maximilianum eius rei gratia misisset. Rogant igitur nomine Cæsaris, vt & patris illa voluntati, & suæ promissioni satisfaciat. Literas etiam & adamantem proferunt, vt hac via certum aliquid ab ea veluti extorquerent. Illa, non interposita deliberatione, statim respondit, & scriptas à sẽ literas, & missum adamantem, iussu patris, & placere sibi, quod tum promisisset. Eum sermonem magnis gratiarum actionibus exceperunt legati: Cliuensis autem indignissimè illum ferebat, iratus etiam puellæ, quòd aliter, quàm constitutum anteà fuerat, esset locuta. Verùm ipsa respondit, sibi non esse integrum

aliter

aliter facere, aut violare promissa. Ille igitur omni abiecta spe, cùm plerosq; omnes puellæ sententiam videret approbare: statuit paucis pòst diebus redire domum. Intereà Maximilianus Coloniam petit, quo in loco legati aliquot puellæ ad ipsum venerunt, & pecuniam, nisi fallor, subministrabant. Patrem enim habebat longè parcissimum. Vbi cum octingentis circiter equitibus Gandauum veniisset: rem obtinuit, & quia tenuior erat: non magnam habebat authoritatem, & potentiæ ac splendori Regis conferri non poterat, eiusq; familiares & comitatus omnis, & lingua, & moribus, & institutis, plurimùm à Burgundionibus differebant. Vixerant enim hi apud Principes longè florentissimos, in summa lautitia & elegantia. Germani verò sunt asperioris naturæ, nec eam obtinent, quam nostrates, ciuilitatem. Quò magis opinor, singulari beneficio Dei factum esse, quòd Imperium Galliæ non defertur ad fœminas, vt ne summa regni sit penes aliquem externũ Principem. Vix enim vlla est natio, quę diu ferat peregrinum imperiũ. Galli certè non tulissent, & vbicunq; populus est aliqua mediocri potentia, videmus eum ferè ab indigenis gubernari. Ante annos quadraginta, maximas in Gallijs possessiones tenuerunt Angli. Hodierno autem die, præter

Caletum,& duo quędam caſtella,quorum tuitio ipſis magno conſtat, nihil habent, & temporis ferè puncto amiſerunt omnia. Galli poſſederunt aliquando, & noſtris etiam temporibus,per complures annos, Siciliam & Neapolim.His autem omnibus ita nunc ſunt exuti:vt præter maiorum ſuorum ſepulchra, nihil ibi reliquum habeant.Nam etiam vt Princeps aliquis externus bene rem gerat: & commodè gubernet:tamen quia moribus & ingenio differt: nec eam erga populum repræſentare poteſt beneuolentiam, ac ſi eſſet indigena:faciles oriuntur diſſenſionum occaſiones. Itaq; fit, vt ille,quò principatum ad ſe delatum,ſuasq; fortunas tueatur:aliunde militem & copias adducat,eorumq; ſe præſidio muniat,qui beneficijs deinde ſingulariter ab eo, & honoribus aucti, magnam multitudinis inuidiam & odium in ſe concitant. Quocirca, qui externæ alicuius gentis imperium ſuſcipit, niſi magna quadam & eximia ſit præditus dexteritate: multis haud dubiè, & longè grauiſſimis implicabitur difficultatibus.

PHI-

PHILIPPI COMINÆI COMMENTARIORVM LIBER NONVS.

PERFECTO eo matrimonio, res ipsorũ nihilo meliùs habebant: Maximilianus enim, & per ætatem, & quòd externus erat, nec ad res magnas institutus esset, exiguum habebat vsum, eiusq; familiares non erant ij, qui magni aliquid perficerent. Itaq; in summis erant difficultatibus prouinciæ illæ omnes, hoc nomine in primis infelices, quòd externum Principem, cuius ope defenderentur, cogebantur accersere. Dum hæ nuptiæ fiunt, amissa fuit Artesia, & ad Regem magnæ quotidiè fiebant accessiones. Nati sunt Maximiliano liberi, Philippus, Margaritha, & Franciscus, qui Britanniæ Ducis nomen repræsentabat. Quarto demum anno decessit illius vxor è vita, dum ex equo delapsa, grauiter fuit affecta, & simul febri iactaretur. Incommodè sanè illud accidit populo. Nam erat egregia virtute mulier, & sui coniugis amantissima, & populo valde accepta, sic vt in maiori esset, quàm maritus, honore & obseruãtia. Tenebat

Rex in Hannonia Quercetum & alia quædā, sed de possessione decessit, quod mirum plerisque videbatur, cùm nec pacificare vellet, neque reliquum aliquid eius familiæ videretur esse facturus. Sed quanquam internecionem eius domus moliebatur, duabus tamen de causis oppida illa restituit. Primùm dicebat ita ferè comparatum esse, vt Reges habere firma & munita loca malint intra suos fines, quàm foris. Deinde, inter Cæsares & Gallorum Reges iureiurando sancitum est, vt pacem colant, & alter alterum in suo iure non impediat aut interpellet. Hæc etiam erat causa, quamobrem Cameracum, in quam vrbem bona fide receptus anteà fuerat, suis legibus vti sineret. In Burgundia verò bellum gerebat minùs feliciter, propterea quòd Germani mercede conducti, fauebant Auraico Principi, qui iam ab ipso defecerat. Pro Maximiliano vix quisquam arma tunc sumpsit. Vicini enim Burgundionibus Heluetij, eorumq; socij minùs bene volebant Austriacæ familiæ. In Sigismundo autem ipsius patruo, magnum erat præsidium, si modò vellet, propter propinquitatem loci & Pfirtensem ditionem, quam Carolo priùs venditam, centum aureorum millibus, recuperauerat, non reddita pecunia. Sed parum erat in eo mētis & ingenij, ac prorsus fuit ex eorum Principum

cipum numero, qui in suos familiares omnia reiiciunt, ipsi planè desides, & ad imperium inutiles. Et qui tales sunt, vix est, vt amicos in necessitate subleuent. Hic etiam impulsus à suis, deserto nepote, Regis sequebatur partes in eo bello, nec id modò, verùm etiam cogitabat facultates omnes adimere suis necessariis, & dare externis, cùm liberos nullos haberet. Sed permotus ab aliis, & ad sanitatem reuersus, in Maximilianum nepotem contulit omnia, sibique tantùm seruauit pensionem annuam, circiter trientem bonorum, deposita omni administratione, cuius ipsum deinde sæpenumero pœnituit, vt accepi, & est credibile. Sed is ferè est exitus eorum, qui voluptatibus & ocio dediti, nihil ex virtute faciunt. Qui cùm authoritatem summam, beneficio Dei teneant, maximè sanè sunt vituperandi, quòd officio suo desint. Iis, qui furore & amentia quadam vexantur, exprobrari nihil potest: qui autem ingenio non sunt destituti, & commoda vtuntur valetudine, ij minimè deplorari debēt, quando per ignauiam & ocium in calamitatem aliquam incidunt. Qui verò ita se comparant, vt maximam temporis partem seriis occupationibus, reliquum autem liberalibus & honestis oblectationibus impendant, magnam illi sanè laudem merentur: & ô felicem

populum, cui talem contingit habere Principem. Ducebatur in Burgundia bellum, propter auxilia Germanorum, vt diximus, quæ tamen erant exigua, neque Regis potentiæ conferri poterant. Deerat autem eis pecunia, & à nobis plerique sollicitabātur ad defectionem. Cranius Regis legatus Dolam, superioris Burgundiæ primarium oppidum, ad Dubim flumē, parua manu circumsedit, cùm hostem despiceret: verùm infeliciter accidit. Nam subita eruptione ab illis facta, partem aliquā tormentorum amisit, & è suis nonnullos desiderauit. Eo accepto nuncio, Rex cogitare statim cœpit de nouo per Burgundiā cōstituendo præfecto, tum propter hāc cladē, tum ob illius rapacitatē & expilationes immoderatas. Verùm antequā loco submoueretur ille: paruulo quodā prælio feliciter rem gessit, in quo Castelgionius, summę vir nobilitatis & potētiæ iis locis, captus fuit. Cranius erat pinguior, & re satis lauta, ideoq; nō libenter domū reuertebatur. Rex autē neq; de facultatibus quicquā ei detraxit, & sex cataphractos cum duodecim sagittariis ei attribuit, qui domum deducerent. Ei summisit Carolum Amboſium, consilij magni & virtutis virum. Is animum statim adiecit, vt Germanos, qui Burgundiam à Rege defendebant, ad se traduceret, non tam, vt ipsorum

rum auxilijs bellum faceret, quàm vt dato illis stipendio, faciliùs, quod adhuc restabat, caperet. Missis igitur ad Heluetios legatis, magnas proposuit & luculentas conditiones. Primùm, dabat quatuor illorum ciuitatibus, Bernæ, Luceriæ, Tiguro & Friburgo, & qui sunt his coniuncti, pagis, ad viginti francorum millia quotannis. Ipsis verò magistratibus, & alijs, quorum priuatim vtebatur opera, tantundem. Deinde petijt in ciuium numerum apud ipsos ascribi, & primum inter socios voluit obtinere locum, eaque de re petebat confici literas. Ægrè quidem illi principiò istud admittebant, eò quòd Sabaudiæ Dux antiquitùs primas partes inter confœderatos haberet: sed tandem assentiebantur, simul promittebant Regi continenter subministrare ad sex hominum millia, quibus menstruum ille daret stipendium, treis aureos. Et hic quidem illorum numerus alebatur à Rege, quamdiu vixit. Tenuior aliquis Princeps non habuisset eius rei perficiendæ facultatem: Regi verò longè vtilissimum fuit hoc institutum, ipsis autem Heluetijs opinor aliquando nociturum esse. Cùm enim ante id tempus exiguum haberent vsum pecuniæ, præsertim auri: nunc ita sunt illecti eius cupiditate, vt à factionibus

& dissidio ciuili, minimum absint. Alioquin enim, quia locis continentur natura munitis & asperis, & quoniam ad arma sunt assuefacti, facilè & ipsi vim aliis inferant, & illatam defendant. Eo perfecto fœdere, cùm Germanorum auxilia Burgundionibus essent detracta: omne robur illorum fuit attenuatum, & vt paucis dicam, plurimis tentatis rebus, Ambosius arcem quandam munitam, non procul à Dola, vocant Rupem fortem, vbi circumsedisset, deditione cepit. Inde profectus, Dolam à qua reiectus fuerat Cranius, vi expugnat. Ex iis autem Germanis, qui iam ad Regem transierant, nonnulli dicuntur in oppidum ingredi voluisse, vt à Rege illud defenderent: sed quoniam vnà cum ipsis maxima nostrorum sagittariorum manus irrupit, non intellecta fraude, pariter ingressi, ad direptionẽ omnes properabant. Incensum deinde fuit oppidum, & paucis interpositis diebus, Auxonam circumuallat. In eo multi erant non alieni à nobis, & nostri pro nonnullis ciuibus munera publica petebant à Rge, antequàm illos obsiderent, ac facilè impetrarunt. Ipse quidem ei bello non interfui: sed quid ageretur, ex iis, quæ ad Regem deferebantur, intellexi, & è literis ad eum scriptis, quæ sæpiùs erant mihi legendæ, vt ad eas, ipsius mandato responderem. Tenebatur oppi-

oppidum non magno præsidio, & paucis die-
ous, voluntate ducum, qui cum Amboſio iam
ante pacti fuerant, in deditionem venit. Itaq;
præter aliquot caſtella, rupibus affixa, nihil re-
ſtabat expugnandum. Eſt iis locis Veſontio,
quæ quidem ciuitas, etſi ad imperium Germa-
nicum pertinet: tamen quia cingitur vndique
Burgundia: ſtudet ferè gratificari eius regio-
nis Principi. Hanc igitur ingreſſus eſt Ambo-
ius, abſque maleficio, & ab oppidanis aman-
er exceptus illinc diſceſſit. Ad hunc modum
Burgundiam omnem illecepit, magna ſanè
nduſtria. Nam inſtigabat eum Rex crebris
iteris atque nunciis, vt ad extremam diligen-
iam nihil reliquum faceret. Verebatur enim
ne remiſſiùs ageret, néve pateretur aliquam ſi-
oi difficultatem obiici: primùm, vt eò eſſet il-
uſtrior ipſius & magis neceſſaria opera: dein-
le, ne reuocaretur aliò. Locuples enim eſt
atque copioſa Burgundia, & Cranius, cui ſum-
miſſus ipſe fuit, multùm ibi ſuas facultates am-
olificauerat. Vrebatur aliquandiu pace ea re-
gio, ſed tamen Belna & Virodunum, quod eſt
oppidum ad Araris & Dubis confluentem, re-
bellionem faciebant. Amboſius autem ea
non multò pòſt, ſingulari quadam dexteritate
recuperauit, dum aduerſarij ſuis rebus parum
prouiderent. Atq; ita videre licet, homo homi-

ni quid præstet. Sed profectò sic est, vt quamcumque partem Deus vult amplificari & florere: ibi quoque prudentes homines ac industrios excitet. Illa quæ diximus oppida, rebellionem quidem fecerunt: sed ij, quorum præsidiis oportebat ea teneri, non fuerũt statim ingressi, & spacium dabant nostris contrahendi copias. Et quo die nostri Virodunum petebant: illi quoque se receperunt eò circiter sexcenti, quibus inter alios præerat Simon Quintius, vt Belnam inde profecti tuerentur. Quòd si nulla interposita mora fuissent progressi: recuperassent illam dubio procul, & à nobis facilè defendissent. Verùm inopia consilij, per noctem ibi commorati, & circumsessi à nobis, vi capti fuerunt, atque ita Belnam & quicquid erat reliquum, absque contentione recepimus. His rebus omnibus tunc interfui. Ad Regem fuit à nonnullis perscriptum id temporis, aliquid me feciſſe in gratiam quorundam ciuium Diuionensium. Ad eam criminationem cùm & aliæ quædam paruulæ suspiciones accederent: è vestigio missus ab eo fui Florentiam, propter excitatas ibi seditiones & motus, inter Pacensem & Medicensem familias. Nam illi, cùm niterentur amicitia Romani Pontificis, & Ferrandi Regis Neapolitani, coniuratunt in caput Laurentij Medices, ac omnis ipsius clientelæ:

quum ab ipso, quem petebant, aberrassent: ratrem eius Iulianum, & Fuginetum quenam, virum nobilem, eius familiæ clientem, ui se Iuliano obiecit, vt eum protegeret, in rimaria eius vrbis æde sacra, interficiunt. aurentius autem graui vulnere affectus, in estiarium templi se recepit, cuius portas ipsius ater aliquando curauerat ex ære totas extrui. Commissum fuit hoc facinus, dum peragitur x more sacrum: & inter ipsos coniuratores de igno conuenerat, quo dato, cædē facerent. Sed ongè aliter quàm instituerant, accidit. Nam x ipsis nonnulli, cùm rectè putarent omnia rocedere: curiam petebant, vt in ea Senatoes, quorum magistratus est solùm trimestris, rucidarent. Postquàm eò venerunt, ac in superiorem locum ascendissent: fores quidam ost illos occlusit, & vbi coràm constitissent, c se parum esse comitatos viderent: vehenenter fuerunt attoniti, nec quod dicerent, habebant. Senatores autem ac ipsorum famui, cùm è sublimi conspicerent motum per vrbem, & Iacobum Pacensem audirent cum sociis ante vestibulum tumultuantem, euocato opulo nequicquam ad libertatem: confestim llos, qui cædis faciendæ causa eò peruenerant, orripiunt, & ex fenestris curiæ suspendunt. n his fuit Archiepiscopus Pisanus. Deinde

cùm pacatam vrbem, suas ac Medicensiũ partes sequi viderent: datis illicò literis, & dimissis nuncijs, mandant per ditionem totam, vt omnes, qui fugientium aliquam speciem prę-berent, comprehensi adducerentur. Iacobus igitur Pacensis, & cum eo quidã à Sixto Pontifice Romano missus, belli Dux, ex fuga retracti sunt: & ille quidem suspensus, hic autem capite fuit mulctatus. Alij deinde multi per vrbem capti, in primo illo impetu & iracundia necati fuerunt, & in his Franciscus Pacensis. Non multò post hunc motum eò veni, missus à Rege, & postquàm è Burgundia discessi, biduum duntaxat apud Sabaudiæ dominam, nec multò ampliùs apud Mediolani Ducem restiti, vt Florentinis, quorũ erant socij ac confœderati, auxilia impetrarem. Illi tum in gratiam Regis, tum vt officio non deessent, liberaliter responderunt, missis initiò trecentis cataphractis, ac deinde etiam maioribus copijs. Pontifex, vbi de rebus omnibus accepit, Florentinis interdixit sacris, & simul exercitum misit, tam suum, quàm Neapolitani Regis, longè maximum, cui præerant egregij Duces, qui castellum quoddã, Senæ propinquum, & alia multa loca facilè ceperunt. Florentinorum res in magno sanè tum erant discrimine, propter insolentiam belli, & diuturnitatem ocij,

ocij, quæ causa fuit etiam, vt periculi, in quo versabantur, magnitudinem non intelligerēt. Laurentius Medices, ad quem delata fuit belli summa, & ij, quorum ipse regebatur consilijs, per ætatem, rebus necessarijs prouidere non poterant, & exiguas habebant copias. Exercitui verò Pontificis præfectus erat Vrbini Dux, vir magna & excellenti virtute. Aderant etiam Regis Neapolitani ambo filij. Et quoniam à rebus omnibus erant paratissimi: multa passim oppida & castella, quæ circumuallassent, capiebant, sed non tam facilè, neque tam breui tempore, quàm nostri milites faciunt, propterea quòd expugnandi loca, & tuendi scientiam illi non tam exactè norunt: instruendi autem & continendi exercitus, & ea omnia, quæ vsui esse possunt, procurandi rationem, meliùs quàm nos tenent. Subleuabat nonnihil Florentinos fauor & amicitia Regis, sed non quantum ipse cupiebam, qui præter domesticos famulos nullam prorsus habui coactam manum. Per anni spaciū apud eos commorabar, humanissimè tractatus, ita quidem, vt ad illorum erga me beneuolentiam quotidiè aliquid accederet. Reuocatus autem à Rege, cùm per Insubriam iter facerem: Mediolani ducem, Ioānem Galeacium, quòd Genuam teneret, fide & iureiurando Regi obstrinxi.

Quum in Galliam redijſſem: excepit me Rex peramanter, & multò familiáriùs, quàm vnquam ante id tempus mecum agebat. Videbatur autem mihi ſenium aliquod contraxiſſe,& vti nõ admodùm commoda valetudine, ſed non ſtatim prodidit ſeſe morbus,&magna prouidentia bellum Picardicum adminiſtrabat.Maximilianus Romanorum Rex, adiutus à Flandris per id tempus, Terouannam, Morinorum oppidum longè munitiſſimum, obſidione cingebat. Cordæus igitur Picardiæ præfectus & Regis legatus, omnes copias,quę paſſim erant in illis finibus,& octo ſagittariorum millia collegerat, vt obſeſſis opem ferret. Eius de aduentu certior factus Maximilianus, obſidione ſoluta, cum exercitu ad illum contendit. Habebat ex Flandria circiter viginti millia, & manum aliquam Germanorum, & ad trecentos Anglos,quibus præerat Thomas Abriganus,qui Carolo militauerat aliquando. Noſter autem equitatus, qui numero ſuperabat, equeſtres illorum copias,quibus Raueſtenus erat præpoſitus, diſiecit, & fugientes Aream vſque conſectatus eſt. Intereà peditibus ſeſe Maximilianus coniungit. Ex noſtris cataphractis,qui erant circiter mille, & eò plures, Cordæus ipſe & Torcius perſequebantur hoſtem.Quod tametſi fortiter ab eis & cum virtute

tute fiebat: tamen erat contra disciplinam militarem & Ducis officium. Nonnulli ex primo & vltimo agmine, dum simulant velle se tueri castella & oppida vicina: discedebant è prælio, complures alij apertè sese fugæ mandabant. Pedestres Maximiliani copiæ, etsi nonnihil vacillabant, cõstiterunt tamen. Nam cum ipsis erant circiter ducenti nobiles, egregia virtute, pedites omnes, qui in officio multitudinem continebant. In his fuit & comes Romontius, è familia Sabaudiæ Ducum, & comes Nassouius, & alij complures, qui adhuc viuunt. Eorum singulari virtute & authoritate, peditatus restitit, quod alioqui mirũ videri possit, præsertim fugiente & disiecto equitatu. Cumque sagittarij nostri in calones ac impedimenta fecissent impetum: aliquot hostium cohortes, quosdam ex ijs interficiunt. Maximilianus, etsi plures eo prælio quàm nos desiderabat: stationem tamen suam in campo, veluti superior, turabatur. Et si Terouannam denuò circumuallasset, sine contentione, vt opinor, fuisset ea potitus, atque etiam Atrebato. Sed non audebat periclitari fortunam, & habuit aliquam metus causam, & in eiusmodi rebus, non semper quod volumus, aut quod necessarium est, prouideri à nobis potest. Ei prælio non interfui quidem ipse: verùm à

fide dignis accepi: & vt series narrationis cohæreat, aliquid omninò mihi dicendum de eo fuit. Eram cum Rege, quando nuncius hic deferebatur. Grauiter admodùm tulit, nec enim assueuerat vinci, aut aliquam iacturam facere: ac perpetua quadam vtebatur felicitate, quam singulari virtute & industria sibi comparabat ipse. Nec enim tentabat temerè fortunam, & à prælijs magnoperè cauebat. Hæc autem pugna planè contra ipsius voluntatem commissa fuit. Ac quoties bellũ gerebat, paratissimus erat à rebus omnibus, & ingentem comparabat exercitum. In primis autẽ dabat operam vt repentè & ex inopinato aliquid hosti eriperet, ea præsertim loca, quæ videbat parum esse munita: & posteaquàm illa cepit, ita firmabat præsidijs militum atque tormentis, vt recuperari non possent. In locis autem munitioribus, & quæ fraudi vel iniuriæ minùs erant exposita, si quis præfectus pecunia redimi sese pateretur: ei dabat liberalissimè, nec vllo quãtumuis magnoprecio deterrebatur. Initiò cùm de facto prælio audisset: magnoperè fuit commotus, ac verebatur maiorem subesse cladem, quam si accepisset, quicquid iam in ea regione ceperat: id omne videbat deperditum esse. Verùm vbi rem omnem, sicut erat gesta, planè cognouit, patienter tulit, & cogitabat deinceps

ceps prouidere, ne quid tale, nisi cum ipsius voluntate & iussu fieret. Ab eoque tempore cœpit animum adijcere ad pacem, modò illam facere posset conditionibus, planè ex suo vsu. Populum eius ditionis sciebat studere nouis rebus: ideoque cogitabat, quemadmodum eo adiutus præsidio, Maximilianum coërceret, eique facultatem adimeret renouandi belli. Totus igitur mente & animo in hoc erat, vt optimis legibus Gallia constitueretur, & litium forensium tolleretur prolixitas. Et initiò quidem, Senatui, qui ipsorum lingua Parlamentum vocatur, securim aliquam iniecit, nõ quidem vt eorum vel authoritatem vel numerum imminueret: sed varijs modis decreuerat illorum fidem & administrationẽ explorare. Volebat etiam eiusdem generis pondo & mensuram obtinere per omnem Galliam, & consuetudines omnes ad eandem normam conscriptas, in volumen aliquod redigi, patrio sermone, ad euitandum fraudes & expilationes Aduocatorum, quę maiores profectò sunt in Gallijs, quàm in quauis alia regione, quæ mihi quidem nota sit, atque hoc ipsum tota ferè nobilitas liquidò testari potest. Quòd si longior ei vita contigisset, nec incommoda fuisset vsus valetudine: magno quodã beneficio Galliam affeciſſet, quam sanè plus, quàm è suis maiori-

bus vllus alius, afflixerat. Vt autem saniorem aliquam Reipubl. formam institueret, eisque mederetur incommodis, quæ partim ipse, partim ipsius maiores, partim temporis longinquitas inuexerat: authoritate quidē & admonitione alicuius minimè potuisset impelli, sed relinquendū erat totum ipsius arbitrio & consilio. Volebat enim ipse vnus & princeps & author esse huius mutationis, & facturus erat haud dubiè aliquid præclari, si firmiorem ei valetudinem Deus fuisset largitus. Itaq; dum suppetit facultas & ocium, & quamdiu mentis atq; corporis sanitatem concedit Deus, benefaciendum est. Pacem, de qua diximus, Rex instituit facere per Gandauenses, his omnino conditionibus vt ipsius filius, nunc Galliæ Rex, in matrimonium duceret Maximiliani filiam, vtque Bolonienſem, Matisconenſem, Altissiodorenſem, & Carolotenſem ditionem in sua potestate retineret. Ipse vicissim Atrebatum agrum omnem promittebat restituere, seruata sibi tamen vrbis ea parte, quam muniuerat. Vtriusque verò Burgundiæ, & eorum quæ sunt ad Somiam flumē, nulla fuit ab eo facta mentio. Gandauenses, qui animo essent ab his omnibus non alieno, duriùs agebant cum Maximiliano & eius vxore, aliarumque ciuitatum legatis. Ac dum his de rebus agitur, induciæ erant,

erant, & pacem omninò Rex volebat fieri, præsertim ijs locis, verùm ex arbitratu suo, vt suprà quoq; diximus. Cœpit autem per idem tempus minùs commodè valere, & iam ad senectutem vergebat, cumque esset in officinis ferrarijs prope Cinonium, agri Turonensis oppidum, repentè fuit morbo correptus & af- 1480.
flictus, ita quidem, vt loquendi facultatem amitteret. Sublatus à mensa, propiùs ad ignem admouetur, clausis vndique fenestris, ad quas cùm accedere vellet, cohibitus fuit à familiaribus. Per Martium istud accidit, & destitutus erat omni planè cognitione, quo quidem in temporis puncto, illustris fuit opera tua, doctissime præsul, qui per annum iniecto illi pharmaco, abebas aperiri fenestras, & aërem admitti. Quo facto, statim ille & sermonem aliqua ex parte, & intelligendi vim recuperauit, & conscenso equo, redibat ad ferrarias, à quibus non procul in morbum inciderat. Dum ibi moratur, nutibus & signis, quid vellet, indicabat, & inter alia iussit Officialem Turonensem, vt peccatis veniam impetraret, ac me, qui aberam in prædio quodam meo, decē ab eo loco milliaribus, accersiri. Postquam veni, ad mensam eum reperi, cum duobus medicis. Eorum, quæ dicebantur, vix paucula quædam intelligebat: dolorem verò non

sentiebat vllum, & mihi significabat, vt in ipsius conclaui cubarem. vocem verò nullam articulatam formabat. Eram cũ eo totos quadraginta dies in hac ipsius valetudine. Biduo pòst, cœpit loqui meliùs, & cognoscere, seque putabat à me omnium optimè intelligi, ideoque volebat me continenter adesse, & me præsente sua delicta religiosè commemorabat ei, quem diximus Turono euocatum fuisse. Nam opus erat ipsi interprete. Sed paucis antè diebus, cùm ex more Galliæ Regum curasset ægrotos, qui struma vexabantur, expiauerat pro sua consuetudine peccata, ideoque nihil ei magnoperè dicendum restabat. Vbi se commodiùs valere sensit: cœpit inquirere, à quibus fuisset in morbo vi retentus, vt suprà docuimus. Quum essent nominati, statim eiecit omneis, quosdam etiam loco mouit & honoribus, alios verò discedere iussit, & vetuit, ne quando redirent. Hanc ipsius asperitatem plerique reprehendebant, eò quòd optima fide rem egerant. Et verè quidem isti: sed Principum variæ sunt cogitationes, nec quiuis eas intelligit. Ille verò in primis metuebat, ne, quam hactenus obtinuit authoritatem longè maximam, eam per hunc morbum amitteret, néve populum deinceps haberet minùs obsequentem. Ipsius pater, quo tempore cœpit ægrotare, suspicionem

nem conceperat, venenum sibi paratum esse, quo tolleretur è medio, & ita quidē vehementer hoc in animum impressit, vt prorsus abstineret à cibo: sed de medicorū consilio, per vim ingesta illi fuit alimonia, neque multò pòst è vita cessit. Hanc autem violentiam Ludouicus magnoperè semper vituperauerat: & nunc in ægritudine constitutus, ac suo motus periculo, magis etiam detestabatur, grauissimeq; tulit, se fuisse vi detentum à suis, nec id obscurè præ se ferebat. Hoc enim vnum verebatur, ne ipsius necessarij & familiares, authoritatem sibi sumerent & administrationem rerum, quasi ipse propter mentis alienationem non esset ad imperium idoneus. Posteà diligenter perquirit, quid interea, dum ipse quieuit, priuatim & publicè actum esset. Summam rerum obtinebat Episcopus Albiensis, eiusque frater Burgundiæ præfectus, & Ludeus. Nam hi, cùm inciperet ægrotare, aderant, & eisdem in ædibus cum illo morabantur. Literas omneis, & quicquid per ipsius morbum erat allatum, voluit cognoscere & videre, in eoque me vtebatur interprete, & quum recitarem, simulabat se intelligere, & vbi in manus accepisset, videbatur eas ipse perlegere, tametsi nihil ferè intelligeret, & verbulis aliquot pronunciatis, quid responderi vellet, signis indicabat. Sed dum eius

morbi finem expectamus: consistebat omnis rerum administratio. Nam erat nobis apertè cum eo agendum, & omnis vitanda offensionis causa. Post dies quindecim, quibus ita fuit afflictatus, loquendi quidem facultatem & intelligendi recuperauit: sed erat vehementer infirmus, ita quidem, vt commodioris valetudinis spem exiguam præberet, & alioqui sic ferebat eius consuetudo, vt maximam partem medicis non obtemperaret. Cùm haberet aliquātò meliùs, illicò iussit Cardinalem Baluensem è carcere liberari, quem per annos quatuordecim detinuerat captiuum, ac sæpè frustrà, cùm ab alijs, tum à Pontifice Romano interpellatus: nunc vltrò nō solùm exemit è vinculis, verùm etiam eius culpæ veniam à Pontifice deprecabatur. De consilio autem Cordæi, Picardiæ præfecti, maximam & intolerabilem pecuniæ summam toti Galliæ nuper imperauerat, vti perpetuum aleret exercitum, ad decem millia peditum, & supra duo millia fossorum, qui ad omneis casus parati essent ac instructi. His addebat mille quingentos cataphractos, qui cùm vsus posceret, relictis equis, pedites se coniungerēt illis. Carros etiam maximo numero parari iussit, quibus includerentur omnes cōpiæ, & tabernaculorum vim ingentem. Hanc rationem acceperat à Carolo,

& constabat omnis hic apparatus, quindecim Francorum millibus quotannis. Rebus omnibus paratis, in Normanniam profectus, apud Pontarcium, quod est supra Rothomagum, quatuor milliaribus oppidum, ad Sequanam, in valle quadā spectabat omnem exercitum. Aderant autem Heluetiorum sex millia, quem numerum illi promiserant subministrare, quo tempore cum Carolo Amboso, Burgundiæ præfecto, pacti fuerunt, vt suprà demonstrauimus. Eo delectu habito, reuersus in Turonos, recidit in morbum, ac per horas duas mortui hominis præbebat speciem, decumbens in storea, quodam in deambulacro. Quo primùm tempore cœpit ægrotare, prope Cinonium oppidum: qui cum ipso erant, quòd pro mortuo haberent, missis huc illuc literis, cogitabant irritum facere illius edictum, quo pecuniam illam, vt diximus, mandauerat. Sed quum iam denuò affligeretur, Bocagius & ego, & ex ijs qui aderant, alij multi, votum pro ipso fecimus, diuo Claudio. Mox recuperauit vocem, & statim cœpit huc illuc per ædes, licet multùm infirmus, deambulare. Non multò pòst etiam foras prodijt, & Argentonium in ædes meas diuertit, quo in loco per mensem vnum grauiter decubuit, atque ibi constituit Sanctoclaudium, qui est vicus in monte

Iura, proficiſci, vt ſe religione voti ſolueret. Cùm Turono diſcederet: miſit me certis de cauſis in Sabaudiam,& aliquantò pòſt iuſſit,vt in Boijs ad ſe venirem. Poſteaquàm eò veni: mirabar illius maciem & deformitatem, multò magis etiam, quòd equitandi laborem ferret.Erat quidem corpore vehementer afflicto & debili,ſed animi præſentia & virtus eum nõ nihil ſubleuabat. Dum eſſet apud Boios: accepit de morte vxoris Maximiliani. Eum nuncium illicò mihi recitabat ipſe, lætus admodùm,ſimul hoc addebat, liberos illius, Philippum & Margaritam,à Gandauenſibus educari,quos Burgundicæ familiæ ſciebat multùm eſſe infeſtos.Et quoniam Maximilianus adoleſcens erat, & patrem habebat minùs liberalem,& vndiq; premebatur bello, & quia quòd in his regionibus erat hoſpes,pauci admodùm ipſius rebus fauebant: idcircò putabat Rex, oblatam ſibi tunc eſſe rei bene gerendæ occaſionem. Cœpit igitur mox per Cordęum ſollicitare Gandauenſes, & agere de matrimonio ſui filij & Maximiliani filiæ, Margaritæ, quæ nunc eſt Galliæ regina.Cordęus aditum ad reliquos habebat,per vnum & alterum eius ciuitatis ſcribam,homines plebeios,quorum magna erat authoritas. Rex Turonum reuerſus, abdebat ſe totum, & conſpiciebatur à paucis,

& de

& de omnibus malè ſuſpicari cœpit, & magnoperè metuebat, ne ſibi vel adimeretur imperium, vel imminueretur poteſtas. Itaque ſuos familiares omnes à ſe remouit: de fortunis autem illorum nihil detraxit, & ijs qui tum ipſius actiones intuebantur, videbatur eſſe parum ſanæ mentis: verùm iſti fallebantur, neque ſatis nouerant eius ingenium. Nam ad ſuſpiciones quantum pertinet: obnoxij ſunt ei morbo plerique omnes Reges, maximè verò prudentiores, & illi qui multos habent aduerſarios, & qui complures offenderunt. Ipſe verò non ignorabat, pleroſque Galliæ Principes inimico eſſe in ſe animo, & ex reliquis ordinibus ſciebat multos eſſe exacerbatos. Nam priorum Regum nemo Galliam ſic afflixerat vt ipſe: quanquam ſanè cupiebat eam recreare tandem ex iſtis ærumnis, vt ſuprà diximus: verùm debebat incepiſſe maturiùs, nec tãtam interpoſuiſſe moram. Eius pater Carolus, qui ſingulari virtute ſuorum, eiectis Anglis obtinuit Normãniam & Aquitaniæ partem, primus omnium pro ſuo arbitratu pecuniam imperauit, ſine conſenſu populi. Et tunc quidem aliqua ſuberat cauſa, cur id faceret: primùm, vt prouincias recuperatas præſidijs muniret: deinde, vt cohortes militares, quę paſſim diripiebant agros, diſſiparet. Vt autem voluntate Principum ſibi li-

ceret exigere pecuniam per ipsorum ditiones: promittebat eis pensiones annuas. Magnum ille profectò vulnus inflixit Galliæ, quod non facilè curabitur, suæque & successorum saluti malè consuluit. Cohortes etiam equitum, vt est Italicæ consuetudinis, instituit, quibus perpetua dantur stipendia. Postremo vitæ anno, collegit in vniuersum ad decies & octies centena Francorum millia, & alebat circiter mille & septingentos cataphractos, & eos quidem ad custodiam & tuitionem Galliæ: non autem ad detrimentum illius in officio continebat. Ludouicus autem longè maiorem summam exegit, nempe ad quadragies & septies centena Francorum millia, & equitatum alebat, tertia ferè parte maiorem illo, quem diximus, ac peditatum præterea longè maximum. Non debet igitur videri mirum, si cùm tales haberet metuendi causas: varia secum cogitabat, tametsi ex beneficiarijs & clientibus plerique non erant eum, vt opinor, in vllo rerum statu deserturi. Cùm igitur omnibus propè diffideret: in Plessium castellum, vrbi Turono propinquum, vbi tum erat, neminem ferè admittebat, præter famulos domesticos, & sagittarios numero quadringentos, è quibus multi simul ad eius loci custodiam excubabant. Generi ipsius, nunc Borboniæ Dux, nonnunquam eò venie-

veniebat: ex reliquis autem Principibus nemo ferè. Vestibulum castelli totum, cancellis admodùm densis circumsepsit, & qua parte patebat introitus, verua præfixit muro, præacuta multis cuspidibus, & pro fossa ædificabat quatuor ædiculas ferreas, iisque sagittarios quadraginta imposuit, qui non minùs interdiu quàm noctu ibi excubarent. Ijs mandauerat, vt in omnes, qui de nocte, vel etiam manè, priusquàm aperiretur porta, propiùs accessissent, eiacularentur. De suis enim familiaribus hanc opinionem habebat, facilè ipsos, data occasione, vt authoritatem & administrationem sibi arrogarent, excitari posse. Nec temerè quidem ita suspicabatur. Nõnulli enim cogitabant inuadere in castellum, & in ocio illo, dum nihil priuatim aut publicè fieret, sumere procurationem negociorum: sed ea deliberatio non venit in actum: & vt aliquid illi fuissent moliti, frustrà tamen id futurum erat, in magna illa Regis prouidentia. Præter ea, quæ diximus, crebrò mutabat etiam cubicularios & famulos domesticos, affirmans naturam hominis delectari rebus nouis. Vnũ & alterum, exiguę conditionis, & parũ laudatos homines, admodùm habebat sibi familiares, qui nihil omniũ rerum ad eũ deferebant, nisi fortè quid ad summam imperij pertineret. Hoc enim

modò ſpectabat, vt pacem aliquam vel inducias conſtitueret. Medico dabat menſtruum ſtipendium, decem aureorum millia, ſic vt intra quintum menſem ille acciperet ab eo ad quinquaginta quatuor millia. Maximas facultates & opes donabat Eccleſijs: verùm illæ donationes, quoniam erant immodicæ, vim nullam obtinuerunt. Inter alios vitæ ſanctimonia claros, audiuerat de quodam Eremita, Roberto. Hunc ex Calabriæ finibus ad ſe accerſiuit, & in eius gratiam, qui nunc rerum potitur, Carolus Octauus, templum prope Pleſſium ædificauit. Is duodecim annorum adoleſcens, ſpelũcam ſubijt, & in ea commoratus fuit ad quadrageſimum tertium ętatis annum, quo tempore primùm rex eum euocauit, per quendam è nobilitate, cui comitem ſe adiunxit Princeps Tarẽtinus, Neapolitani Regis filius. Niſi enim Pontificis Romani & ſui Principis mandatum atque conſenſus interueniret, non erat profecturus. Poſteaquàm ad illud vitæ genus acceſſerat, abſtinuit ab omni ferè cibo, quo plerumque veſcimur omnes. Erat illiteratus, nec eruditionis vllam partem vnquam attigerat & tamen prudenter admodùm ac ſanctè, ſuprà quàm credi poſſit, de rebus omnibus loquebatur. Quum Neapoli iter faceret, maximo fuit à Rege & ipſius liberis affectus honore, ac de

pleriſ-

pleriſq; rebus ita differebat, quaſi per omnem vitam in Principum familijs fuiſſet educatus. Quum Neapoli Romam veniſſet: inuiſebant eum Cardinales omnes: ac ter cum Pontifice, per interualla priuatim diu multumque loquebatur, aſſidens in ſella propius illum, ſplendidè exornata. Cuiuſcunque rei mentio incidiſſet: ad eam ita reſpondebat, vt omnes pariter obſtupeſcerent. Eius autem colloquio ſic afficiebatur Pontifex, vt ei permitteret inſtituere nouum ordinem eorum, qui dicuntur, Eremitæ diui Franciſci. In Galliam vbi veniſſet: Rex non minùs quàm Pontificem ipſum Romanum, honorabat, procumbens illi ad pedes, & vehementer obſecrans, vt vitam ſibi proferret. Ille verò, ita vt hominem prudentem decet, ad ea reſpondit: Audiui non ſemel cùm Carolo Regi qui nunc præeſt, in corona multorum principum loqueretur: ſed profectò videbatur eſſe diuino numine afflatus, alioqui non erat dicturus tam multa, planè ſupra fidem humanam. Et quia adhuc viuit, eoque fieri poteſt, vt aut melior, aut etiam deterior euadat: idcircò nihil amplius addam. Ex noſtris plerique ridebant eius aduentum: ſed ij prudentiſſimi Regis conſilium & cauſam, cur euocaſſet, non intelligebant. Suprà diximus, quemadmodum Rex incluſus Pleſſio caſtello, præter ſagittarios,

nullum ferè comitatum haberet. Augescebant in eo quotidie suspiciones, ideoque magnoperè prouidebat, ne quis omnium, de quibus parum benè sentiret, aut in vrbem admitteretur, aut etiam propiùs ad eam regionem accederet. De rebus omnibus nihil quicquam ad eum deferebatur, nisi quid propriè ad ipsum, & ad regni summam pertineret. Corpore sic erat attenuato & exhausto, vt vix hominem repræsentaret: atque vt eam maciem & deformitatem tegeret, splendidè vestiebatur, ex ijsque vestibus vltrò sæpe dabat suis familiaribus. Quóque maiorem obtineret authoritatẽ, grauissima constituit supplicia, & in eos qui deliquissent, seuerè admodùm animaduertebat. Hoc adeò mihi referebat ipse. Deinde creabat nouos præfectos, remouebat veteres, & nihil ferè domi, aut etiam foris relinquebat intactum, & alioqui sic erat natura, vt huiusmodi occupationibus delectaretur. Atque vt crederetur esse firma valetudine: magnam sui famam per omnem ferè Europam excitabat. Conspiciebatur enim à paucissimis, vt dixi, eóque fiebat, vt externi, quum de illius quotidianis actionibus audirent, vix crederent ægrotare. Legatos autem intereà multos huc illuc dimittebat. Quas Angliæ Regi & illius consiliarijs debebat pensiones: eas liberaliter persoluit,

uit,& alebat eos perpetua ſpe matrimonij de quo iam ſæpe diximus. Hiſpanias quoque modis omnibus in amicitia & fide continere ſtudebat. In Britannia vel Hiſpanijs, grandi pecunia comparabat ſibi canes: in Sicilia mulam aliquam egregiam: Neapoli ſpecioſos equos, in Affrica genus quoddam paruulorum leonum, magnitudine vulpis: è Dania iuſſit adduci duo quædam genera ferarum: ex ijs vnum eſt magnitudine bubali, corpore cerui, breuibus & ſpiſſis cornibus: aliud damas refert corpore & pilo, niſi quòd ampliora habet cornua. Pro ſingulis pendebat quatuor aureorũ millia & quingentos. Verùm vt erat operoſus & ſollicitus in ijs omnibus conquirendis: ita etiam leuiter æſtimabat ea, quũ eſſent adducta, & plerũque ijs, qui adduxiſſent, nõ lo quebatur. His rebus efficiebat, vt nõ à ſuis tantũ, verùm etiã ab externis valde metueretur. Sed nũc ad matrimoniũ Delphini & Maximiliani filiæ, nobis redeundũ eſt. Maximo cũ dolore ferebat iſtud Eduardus, Anglię rex, poſteaquàm ſe ludificatũ eſſe vidit. Nã & ipſe & coniũx maximoperè cupiebãt ſuam filiam nubere Delphino, ſicut anteà conſtitutum fuit: adeoq; magnã eius rei ſpẽ conceperãt, vt ijs, qui dubitare videbantur, fidẽ non haberent. Nam re ad commune cõcilium introducta, quo tempore

Picardiam Rex oppugnabat, plerique omnes dicebant fore, vt eo bello confecto, Caletum & loca propinqua tentaret. Idem confirmabant Maximiliani & Britanniæ Ducis legati. Verùm Eduardus, vt id crederet, adduci non potuit: quod ab eo factum fuisse puto, nõ tam inscientia rerum, quàm vt ne pensionis annuę iacturam faceret, atque vt ne delicias, ocium & voluptates, quibus totum se dederat, intermittere cogeretur. Per Flandriam ergo cogitur concilium, ejus matrimonij causa, & aderat Maximilianus ipse: quem Gandauenses parum habebant reuerenter, dum & nonnullos proscriberent, & ipsius filio nouam attribuerent familiam. Quibus rebus confectis, quid sui esset propositi, declarabant, & ipsum, vt matrimonium illud, quod suis fortunis necessarium esse dicebant, approbaret, cogebãt. Nam & adolescens erat, & qui consilio vel re potuissent eum iuuare, proximo Tornacensi bello, interierant propè omnes, & alioqui destitutus erat hominibus idoneis: & quoniam è vita cesserat eius vxor, non tam liberè, quàm consueuerat, loquebatur. De voluntate Gandauensium, & quid esset actum, Regem illicò certiorem facit Cordæus. Itaque constituitur dies, ad quem puella deduceretur Hesdinum. Paucis antè diebus, Aream, oppidum Artesiæ,

quidam

quidam è familia Croiorum, eius loci præfectus, accepta pecunia tradiderat Cordæo, & quoniam est ad Flandriæ fines, ea quoque res matrimoniũ ipsum magis accelerabat. Nam etsi Gandauenses cuperent sui Principis debilitatam esse potentiam: tamen vt Regem haberent finitimum, minimè sibi ferendum esse putabant. Legatos igitur Flandri in Galliam mittunt communi consensu: verùm negocij summa dependebat à Gandauensibus, quòd & viribus reliquos præcederent, & sui Principis liberos haberent in potestate, & quòd rebus nouis alioqui præ cæteris valde student. His quoque Maximilianus adiunxerat aliquot è suis, homines adolescentes, ac tantis rebus explicandis parum idoneos. Rex tum grauissimè afficiebatur morbo, & vix ægrè sui cõspectum præbebat, & vt pacis conditiones iureiurando sanciret, difficillimè potuit adduci, idque eò faciebat, vt ne conspiceretur à legatis. Verumtamen iurauit tandem, & erant ei conditiones multùm vtiles. Nam sæpiùs antè, matrimonium hoc expetiuit, eoque nomine poposcerat solùm vel Artesiam, vel Burgundiam superiorem. Gandauenses autem non solùm vtramq; ditionem illi dabant: verùm etiam Matisconensem & Carolotensem, & Altissiodorẽsem agrum concedebant ei, libenter quoque datu-

ri, si fuisset eis integrum, Hannoniam & Namurcum, & quàm latè per Burgundicum Imperium Gallica lingua patet, vt eò humiliorem & infirmiorem principem suum redigerent. Rex pro sua prudentia satis intelligebat, Flandriam, nisi coniuncta sit Artesiæ, quæ Galliæ finitima est, non se posse tueri. Nam ex Artesia cogi potest mediocris manus optimorum militum, quibus Flandri tumultuantes coërceantur. Quò fit, vt Flandriæ comes, Artesia denudatus, minimum possit, & à Gandauensium arbitrio totus pendeat. Vbi domum reuertissent legati: puella statim deducta fuit Hesdinum, vbi Cordæus illam excepit. Erat in eius comitatu, præter alios, vxor Raestenī, filia illegitima Philippi Burgundiæ Ducis. Aduenientem in Galliam, exceperūt deinde Borbonius cum vxore, & alij multi Principes, mādato Regis, & Amboſam, vbi filius Regis erat, adduxerūt. Maximilianus libenter eam, si potuisset, erepturus erat ijs, qui deducebant, antequam è Flandria discederent. Verùm Gandauenses omni ratione prouiderant, & iam illius minuebatur in dies authoritas, & ad Gandauensium partes multi quotidiè transibant. Erat autem cum Philippo Maximiliani filio, quem illi educabant, Raestenus, frater Ducis Cliuensis, tanquam ipsius moderator atque rector.

rector. Connubium hoc acerbissimè, & summæ ignominiæ loco tulit Eduardus, Angliæ Rex, veritus, ne pensionem ex Galliá deinceps nullam acciperet: multò magis etiam, ne iam despiceretur à suis, qui rectè monentibus, & euentum rei præsignificantibus fidem nõ habuisset. In primis autem metuebat, ne per hãc occasionem, populus rebellionem faceret, præsertim in ea propinquitate Regis, quem magna moliri videbat. Cùm igitur eius rei cogitatione vehementiùs perturbaretur: incidit in morbum, neque multò pòst è vita decessit. Inscienter nimirum faciunt Principes ac inconsultè, quãdo suam priuatam sententiam multorum iudicijs anteferunt. Dici enim non potest, quantum sæpe malorum ex eo proueniat. Rex aliquãtò pòst certior factus de illius morte, nullam dabat lætitiæ significationem, & paucis pòst diebus accepit literas ab Eduardi fratre Richardo, Duce Cloceſtrio, qui necatis sui fratris duobus filijs, principatum occupauerat, & Regis ambiebat amicitiam, pensionis, vt opinor, consequendæ causa. Rex autem propter immanem ipsius & execrandam crudelitatem, neque legatos audire, nec ad eius literas voluit respondere. Nam mortuo Eduardo, fidem & iusiurandum ille suo nepoti, maiori natu dederat: quod in eo fieri consueuit,

quem vt magistratum & principem agnoscimus, neque multò pòst, atrocissimo parricidio, ambos è medio sustulit: nec id modò, verùm etiam sorores illorum, suas neptes, frequenti conuocato senatu, pronunciauit illegitimas. Sed non diu tulit impunè. Nam Deus illi confestim excitauit aduersarium, qui in summa rerum omnium necessitate positus, imperium Anglicanum nullo iure sibi poterat arrogare: sed statura corporis & forma erat eleganti, & multa perpessus fuerat, maximam partem captiuus in Britannia minori. Is adiutus à Rege Ludouico modica pecunia, & coactis per Normanniam circiter tribus hominum millibus, traiecit in Walliam, quo in loco socer ipsius cum viginti sex millibus hominum sese illi adiunxit, & cùm intermissis aliquot diebus, Richardum haberet obuium: interfecto illo, regni possessionem adeptus est. Hoc eò pertinet, vt ostendam, Deum esse scelerum vltorem, nec crudelitatem vllam impunitã dimittere. Confecto matrimonio Flandrico, Rex omnem illam ditionem habebat pacatam. Britanni etiam pace vtebantur, sed tamen, quia copias equestres propiùs ad ipsorum fines Rex continebat: in magno erant metu. Pacem quoque colebat Hispania cum eo. Ditionem Ruscinonensem, quæ pertinet ad Pyrenæos montes, ac

mare

mare mediterraneum, acceperat à Ioanne Arragoniæ Rege, patre Regis Castiliæ, qui nunc rerum potitur, & acceperat certis conditionibus, quæ nondum impletæ sunt. Hispanus igitur, ob eam propinquitatem, cogebatur & metuere, & sumptus facere. Italiæ proceres ac ciuitates, erant ab eius amicitia non alieni. De Heluetijs pro suo ferè iudicio statuebat. Scotus & Lusitanus ab eo toti pendebant. Gallia omnis ad nutum & voluntatem eius omnia faciebat. Quicquid iussisset, è vestigio conficiendum erat, nulla vel mora vel excusatione interposita. Quæ putabantur ad ipsius valetudinem aliquo modo pertinere: mittebantur ad eum, ex omnibus mundi plagis. Pontifex Romanus, Sixtus, vbi cognouit, cũ religiosa quadam propensione desiderare linteum illud, cui panem azymum sacrifici superimponunt, quo diuus Petrus, dum sacrum faceret, vtebatur: misit ei cum alijs multis diuorum reliquijs. Illa, quę in Rhemorum vrbe seruatur pyxis, cum oleo sacrato, quum ante id tempus non fuisset è loco submota, in ipsius tunc cubiculum delata fuit. Cõstituerat enim velle inungi, ad eundem planè modum, quo fuit vnctus, cùm inauguraretur regno. Plerique putabant eum velle toto corpore inungi: sed vix est credendum, propter exiguitatem olei, quod in ea py-

xide conseruatur. Qui nunc est Turcarum Cæsar, per legatum mittebat ei descriptas reliquias, quæ adhuc supererent Constantinopoli. Eas omnes, ac ingentem præterea vim auri pollicebatur ei, quò fratrem suum, qui tum per Gallias erat in potestate Rhodiensium equitum, & nunc à Romano Pontifice captiuus detinetur: diligenter seruaret. Vbi legatus in prouinciam Massilienſem venit: Rex illicò mandabat, ne longiùs progrederetur, neque voluit audire. Quæ singula satis demonstrat, in quanto esset honore per omnem Europam. Quicquid enim omnino pertinebat ad ipsius incolumitatem, id omne magno studio fuit impensum. Contulerat certè in ipsum Deus maximas dotes, prudentiam, liberalitatem & fortitudinem. Et quemadmodùm reliquos Principes, coæuos suos, virtute præcedebat: ita quoque illos propè omneis, & aduersarios in primis, vitæ curriculo superauit. Nam & Carolus eiusque filia, & Eduardus Angliæ Rex, & Galeacius Mediolani Dux, & Ioannes Arragoniæ Rex, paucis annis ante ipsum, è vita migrarunt. Ac in his omnibus erat, quod & laudares & reprehenderes, hoc enim humanum est. In Ludouico autem Rege plurima certè erant, & vera Principis ornamenta, quod sine adulatione omni dictum esse velim. Nam eos,

de

de quibus loquor, omnes propè familiariter noui, neque leuem aliquam auditionem, vt rem certam pono. Dum hæc geruntur, voluit cum Delphino filio colloqui. Eum à multo iam tempore non viderat, & ab hominum frequentia remouerat: partim ob teneram & imbecillã ipsius pueri valetudinem: partim quòd metuebat, ne Principes illo abuterentur, ad moliendum res nouas, & imperij commutationem. Quum enim ipse esset vndecim annorum adolescentulus, procerum aliquot impulsu, bellum aduersus parentem suscepit. Eo igitur domestico exemplo mouebatur, & filium, simul atque fuit adductus, commendabat nonnullis familiaribus, eique magnoperè mandabat, ne quid omnino mutaret in administratione regni. Et quò magis persuaderet, adferebat in medium, quemadmodum ipse à morte patris rerum potitus, complures excellenti virtute viros mulctasset: qua quidem ex re periculum sibi creatum esse dicebat, exorto principum bello, & cõmuni aduersum se coniuratione facta. Paulò post hoc colloquium, & confecto matrimonio, recidit in morbum, ad eundem planè modum, vt anteà, & iam sic erat adflictus, vt manum ægrè posset ori admouere, & sine lachrymis vix poterat à quoquam aspici. Cõtinuò igitur iubet accersiri generum

ſuum, nunc Borboniæ Ducem. Ei mandat, vt Amboſam, ad filium ſuum, Regem, proficiſcatur: ſimul oſtendit, quos homines ad eum admitti, quos arceri velit & excludi, & multa dabat egregia præcepta, quæ ad filij inſtitutionē pertinebant, quorum ſi vel partem aliquam ille ſeruaſſet, magno id factum fuiſſet & publico Galliæ, & priuato ipſius emolumento. Poſt Borbonium mittit Cancellarium, & quicquid ad eius cliētelam pertinet, cum ſigillis, partem etiam aliquam ſuorum ſatellitum, & è ducibus nonnullos, item aucupes ac venatores, & quicquid eſt eiuſmodi rerum. Hos omneis abeuntes rogat, vt filio bonam & fidelem operam præſtent, ac ſingulis ferè mandabat aliquid, quod ad filium deferrent. Vbi loquendi facultatem deinde ſemel recuperauit, obtinuit eam ad extremum vſque ſpiritum, & intelligendi vim habebat inſignem. Crebris enim euacuationibus purgabat cerebrum. Non lamentabatur autem, vt pleriq; ſolent ægroti, ſed prudenter multis de rebus diſſerens, ſexto demum die per hunc morbum deceſſit è vita.

PHI-

PHILIPPI COMINÆI COMMENTARIORVM LIBER DECIMVS.

COMPONAM ergo illius acerbitates ac dolores, quos pertulit ante mortem, cum ijs malis & incommodis, quibus alios affecit. Magnitudine quidem inter se differunt, ac longè aliud etiã fuit ipsius munus: verùm, quò prosperiori fuit vsus fortuna, & quò maior extitit eius per omnẽ Europam authoritas: eò quoque vehementiùs fuit afflictus, dum præter consuetudinem suam & naturam aliquid perferre coactus est. In eo, quem diximus, Eremita, summam perpetuò spem habebat, ac subinde missis nuncijs interpellabat eum, vt vitam sibi produceret. Nam etsi res suas, quasi iam moriturus, constituerat: tamen redintegrato animo, sperabat se posse euadere. Quod si accidisset, facilè dissipaturus erat consilium illorum, quos Amboſam ad filium præmiserat. Et quia spem adeò magnam in Eremita defixerat: visum fuit Theologis & alijs nonnullis, apertè illi dicendum esse, nihil

humani præsidij restare, & vt de salute sua cogitet: ei quoque sermoni debere interesse medicum ipsius, Iacobum Cocterium, cui menstruum dabat stipendium, decem aureorum millia. Ipse duos Galliæ principes Ducem Nemorensem & Connestablium, capite mulctauerat, & quòd alterum necasset, iam cùm esset moriturus, ipsum pœnituit. Et quemadmodum illis per homines delectos, denunciatum fuit supplicium, paucis verbis, & breue temporis spacium, quo de salute sua statuerent, concessum: ad eundem planè modum isti, nulla verborum vsi circuitione, cùm ei præsignificarent mortem: Vt officio nostro satisfaciamus, aiebant, res ipsa postulat. Spem nullam deinceps collocare debes, vel in Eremita, vel in quouis alio. Nam actũ est de te prorsus. Itaque de vitæ exitu cogitare velis. Nihil enim supereſt remedij. Ea pronunciata sententia, cùm pro se quisque breuiter aliquid ad rem dixisset: Ille, spero, inquit, adfuturum mihi Deum, ac fortasse non sum tam imbecillus, quàm existimatis. Quàm acerbum ei fuisse credibile est, eam audire vocem? Nam mortem nullus vnquam vehementiùs exhorruit: nemo etiam maiori studio & ratione de remedijs vnquam cogitauit, quàm ipse. Familiaribus suis per omnem vitam, & mihi quoque sæpenumerò man-

mandauerat, si quando ipsum in ea necessitate positum esse conspiceremus, vt nulla prorsus facta mentione mortis, ad peccatorum expiationem solummodò adhortaremur, ac videbatur esse nunc tẽporis molliori animo, quàm vt adeò duram sententiam audiret. Pertulit tamen omnia magno & constanti animo, ad extremum vsque spiritum. Filio, quem tunc Regem vocabat, multa varijs de rebus nunciabat, & vbi sacramẽta nostrę religionis ex more percepisset: multum habuit sermonẽ de iis quæ ad filium & regni administrationem pertinebant. Hoc autem in primis flagitabat, ne Cordæus ante sextum mensem à filio discederet, néve filius aliquid aduersum Caletos, aut quosuis alios moliretur. In concilio quidẽ decretũ fuisse dicebat, vt Caletũ tentaretur: & alia quædam loca: sed periculosum id esse iudicabat, quòd Angli, per hanc occasionem, denuo possent in Galliã excitari. Mandabat igitur, vt per annos quinque, vel eò plures, pacem filius coleret cum vicinis omnibus, quam tamen ipse, dum viueret, ferre nõ potuit. Et sanè, tametsi magna sit & copiosa Gallia: tamẽ propter superiorum annorum calamitates, pacem aliquam diuturnã valde desiderabat. Illud etiam magnoperè cauebat, ne Britanniæ Dux Franciscus bello lacesseretur, néve præberetur

ei vlla belli suspicio. Dixi, quẽadmodum moriendi necessitas ei nonnihil inscienter & asperè denunciata fuit. Verùm mensibus aliquot antè quàm moreretur: omnes planè habuit suspectos, inprimis autem homines aliqua excellenti virtute. Filio, quòd eum quoque metueret, magnas posuit custodias: nec erat vlli integrum colloqui cum eo, nisi ipsius concessu & mandato. Sed & filiæ tandem cœpit diffidere, & genero suo, & indicari sibi voluit eos, qui castellum ingrederentur. Instituerat anteà senatum in eo castello, cui Borbonius gener prærat: ne hunc quidem tulit, & in ijs suspicionibus totum aboleuit. Borbonius & comes Dunensis, legatos Flandriæ, qui nuptijs Delphini interfuerant Amboſę, honoris causa, quod fieri solet, deduxerant. Vbi Plessium reuertissent magno cum comitatu è stipatorum, & satellitum suorum prefectis quendam accersit, & explorare iubet, an essent armati sub veste, sed vt dissimulanter faceret, mandat, interea dum familiariter cum ijs loquitur. Multos ipse, per omnem vitam, perpetuo metu & sollicitudine excruciauerat: & nunc ecce videmus eum ad consimilem planè modum affligi. Cui enim se committat, qui liberis etiam suis, & genero fidem non habet? Hæc autem nõ ad ipsum modò pertinent: verumetiam ad eos omnes principes

cipes, qui metui volunt. Qua quidē in re quanta sit seruitus, quum ad senectutem peruenerunt, tunc demum apertè sentiunt, quia cogūtur inuicem plurimos formidare. Quàm fuit autem illi acerbum & durum, in eiusmodi metu versari? Medico suo menstruum dabat stipendium, vt suprà quoq; diximus, decem aureorum millia: nec id modò, verumetiam Episcopatū Ambianensem eius nepoti, & munera publica multa largiebatur eius propinquis & amicis. Et tamen medicus tam erat verbis in eum asper & durus, vt nihil suprà: valdè igitur eum Rex metuebat, & ad suos familiares, de illius asperitate nimia, sæpe querebatur, neq; tamen audebat eum à se dimittere. Nam ille pro sua consuetudine seueriùs aliquādo interpellans: Non dubito, quin me quoque sis eiecturus, ait, sicuti reliquos omneis: verùm sanctissimo iureiurando tibi confirmo, post meum abs te discessum, non te victurum esse supra octauum diē. Ea voce magnoperè perterrefactus, adulabatur illi modis omnibus, & ampliſſima donabat munera. Sed qui tantam plurimis annis ad omneis Principes atq; populos habuit authoritatem, ei non potuit non esse ea seruitus longè acerbissima. Iis, qui deliquissent, graues admodùm pœnas constituit, vt suprà diximus, ideoq; carceres parauit hor-

rendos,& valde tetros, nempe caueas aliquot, partim ferreas, partim ligneas, ferreis laminibus coopertas, latitudine octo pedũ, & altitudine paulò maiori, quàm est statura hominis. Excogitauerat hanc rationem Cardinalis Baluensis, & in eam, quæ primùm perfecta fuit, inclusus est ipse, perq; totos quatuordecim annos detentus. Post hunc alij multi sunt eas execrati,& ego quoque captiuus in iis, per mẽses octo fui, mandato Regis, qui nunc præest. Compedes etiam ferreas longè grauissimas à Germanis fieri curauit, quibus illigarẽtur crura. Pedes vinciebantur annulo ferreo. ab eo pendebat immanis quædam cathena, & ad eius exitum maximi ponderis globus. Vidi non paucos magna virtute viros iis vinculis constrictos, qui posteà liberati summos ab eo consecuti sunt honores ac fortunas amplissimas. Et sicut per ipsius imperium carceres illi funesti fuerunt inuenti: ad eundem planè modum ipse quoque ante mortem, consimilibus omnino vinculis sese induit, inque maiori versabatur metu, quàm illi, quos aliquando captiuos detinuerat. Quod eò pertinet, vt ostendam neminem esse omnium hominum, qui non aliquo dolore & incommodo afficiatur. Postremò, densis ac ferreis cancellis totum castellum cinxit. Hi cùm essent proximè murum,

rum, ad vestibulum pertinebāt, vt suprà quoq; diximus. In fossā perpetuò excubabant deni sagittarij, quibus mandauerat, vt in omneis, qui alieno die tempore appropinquassent, tela conijcerent. Sciebat quidē, hanc munitionem nō posse maiori alicui vi resistere: verū eò spectabat potiùs, & omni ratione prouidebat, ne Principes, coniuratione facta, partim vi & imperio, partim gratia castellū occuparēt, & sumpta authoritate, in ordinem ipsum cogerent, vt hominē parum sanæ mentis, & administratione indignum. Ante octauam horā non aperiebatur porta castelli, & tunc solùm admittebātur eius domestici famuli, & præfecti, ac centuriones: qui & ad vestibulum & portā disponebant custodias, quemadmodū in locis, quæ sunt ad hostiū fines, fieri consueuit. Ingrediendum autem erat omnibus, nō quidem per patentem portam, sed per paruulum ostium, & præter paucos aliquot familiares, quorum erat opera necessaria, nemo quisquam, nisi voluntate ipsius, introibat. Quid? an aliquis arctiori custodia coërceri possit, quàm ille seipsum cohibuit? Eæ, quibus alios complures aliquando constrinxerat, caueæ, erant altæ pedes octo: & ipse tantus Princeps habebat perexiguū, in quo deambularet, vestibulū. An non maximas credibile est eius fuisse acerbitates, qui se ad eū mo

dum inclusit ipse? qui propinquos & necessarios omnes ita metuebat, vt suam salutem nō auderet eorum fidei permittere? Quantò autem maior erat ille carcer quo se induit, quàm sunt pleriq; alij: tantò quoq; præstantior erat ipse & amplior, quàm alij captiui. Sunt fortasse, qui putent, fuisse aliquando principes, magis quàm ipse fuit, suspicioſos. Equidem puto, nostris quidem temporibus, neminem suspicionibus indulsisse magis, quàm illum, & vix est, vt aliquis tam prudens, & qui populum habeat tam obsequentem, quàm ipse habuit, in eam partem sic incumbat. Et vt aliqui sint hodie tales, aut extiterint aliquando: ij fortasse malè sibi conscij, propter anteactam crudelitatem, magnas habuerunt metuendi causas. Ipse verò neminem, nisi à quo primùm esset lęsus, offendit. Et hæc omnia recito, non solùm, vt in quanto vixerit pauore ac metu, demonstrem: verùm etiam vt ostendam: primùm, fuisse in his afflictionibus consimilem illius tolerantiam, qualis fuit eorum, quos ipse aliquā-do diuexauerat: deinde, vt qui post eum venturi sunt, maiori clementia & humanitate miserum populum tractent, neq; tam seuera supplicia statuant, quàm ipse fecit. Quanquam alioqui nescio, an meliorem viderim Principē. Nam etsi magnoperè suos premebat: tamen

in alio

in alio non erat idem laturus. Ab ijs tandem acerbitatibus eripuit ipsum Deus, absq; vllo maiori corporis cruciatu, qui quidem deprehenderetur. Loquebatur autem continenter, ad extremum vsq; spiritum, deq; sepultura cõstituit, & à quibus deduci vellet funus, præcepit: ac subinde dicebat sperare, non se moriturum ante diem Sabbati, idq; beneficio diuæ Virginis, quam religiosè admodum per omnem vitã coluit, & ita quidem accidit. Cùm enim die Lunę postremo correptus esset morbo: sequenti posteà die Sabbati è vita decessit, secundo calendas Septembris. Parum certè spei & præsidij vulgus hominum in rebus humanis reliquum sibi esse videt: posteà quàm tantus Princeps defunctus plurimis grauissimisq; laboribus & curis, coactus est tandem omnia relinquere, neq; momentum aliquod temporis vitæ curriculo potuit adijcere, quantumuis etiam cuperet. Familiariter eum & domesticè noui: sed nullum habuit ferè tempus à labore & sollicitudine vacuum. Venationibus autem & aucupijs multùm delectabatur. Intereà dum vixi cum eo, non sectabatur alienos amores. Nam quo primùm tempore ad ipsum accessi: mortuus est ei filius, grauissimo ipsius cum dolore, atq; tum me præsente votum Deo faciebat, nullius fœminæ notitiã

se habiturum esse, præterquàm vxoris. Et quanquam hoc ad eius officium alioqui pertinebat: tamen ea virtus & constantia multùm in ipso laudanda fuit, præsertim, cùm & obsequentes haberet pleraſque omneis, & ipsius vxor non esset ea forma, quæ magnoperè aliquem afficeret, tametsi alioquin egregia & honesta fœmina. In venationibus autem non minus molestiæ, quàm voluptatis percipiebat, ex ingenti labore, dum incitatis equis consectabatur ceruos. Expergefactus enim prima luce, prodibat in campum, & longiùs aliquando, quouis etiam cœlo: & nonnũquam domum redibat multùm defatigatus, & maximam partem iratus alicui suorum comitũ, vt in eo genere exercitationis fieri consueuit. Huic studio vacabat plerunque, donec noua re aliqua oblata reuocaretur. Nam per æstatem ferè intercedebat aliquid inter ipsum & Carolum diffidij: hyeme verò paciscebantur inducias. Erat ei de Ruscinonensi ditione controuersia, cum Ioanne Arragoniæ Rege, patre Regis Hispaniarum, eius qui nunc principatum obtinet. Qui licet exiguis esset facultatibus, & Barcinonenses, cuius ciuitatis est longè ampliſſima authoritas illius oræ maritimæ haberet aduersarios: tamen quoniam Ruscinonensi populo erat acceptus, diu multumque

restitit. Premebatur ergo Ludouicus perpetuis curis, vt antè diximus, & in ocio, quod fieri solet, erat maximè negocioſus. Varijs enim occupationibus distinebatur, nec ſua tantùm curabat: verumetiam alienis ſeſe immiſcebat. Exorto bello, cupiebat pacem aut inducias: facta verò pace, vix cõtinere ſe poterat, quin aliquid denùò moliretur. De minutiſſimis etiam rebus, & quæ facilè alioqui poterãt negligi, prorſus voluit cognoſcere: & ſic erat eius natura, vt iſta curioſitate quodammodò aleretur. Ac ſanè valebat memoria, ſuprà quàm credi poſſit, & quid per omnes Europæ prouincias gereretur, maximè autem in finitimis regionibus, optimè tenebat: magnus profectò vir, & idoneus qui nõ vnum aliquod regnũ adminiſtraret, ſed toti terrarũ orbi conſilio ſuo prouideret. Quæ fuerit eius adoleſcentia, nõ dicam, eò quòd nihil habeo cõperti. Verumtamẽ cùm eſſet vndecim annorũ, inſtigatus à nonnullis, inimicitias aduerſus parentem ſuſcepit. Grandior autẽ factus, vxorem duxit inuitus Scotiæ Regis filiã, & quamdiu illa vixit, grauiter hoc matrimoniũ tulit. Ab eius morte, factionibus nobiliũ adductus, in Delphinatũ, quæ quidem prouincia ad ipſum pertinebat, ſeſe recepit. Sectabantur eum multi honeſti & egregij viri, plures etiam, quàm pro ipſius facultatibus.

Dum ijs locis moratur, contraxit matrimoniũ cum filia Sabaudiæ Ducis: neq; multò pòst, ortum est inter ipsum & socerum graue dissidium, & bellum valde asperum. Carolus septimus, parens, cùm videret eum nimis habere magnam optimorũ ducum & nobilium manum: statuit eò proficisci cum exercitu, vt his præsidijs ipsum denudaret. Ingressus iter missis literis, & magnis ex more constitutis pœnis, denunciabat nobilitati, vt è vestigio ad se redirent. Ei mandato complures obtemperabant, inuitissimo Ludouico, qui patris iram veritus, tametsi coactas haberet copias: relicta prouincia, & per Burgundiam facto itinere, paruo comitatu, contulit se ad Philippum Caroli patrem, à quo liberaliter fuit & amanter exceptus. Et quanquam hac ratione subleuabatur aliquantulum: tamen quotidianis impensis diminuta pecunia, cogebatur sæpe ab alijs mutuari, non absq; magna sollicitudine, ne desereretur à suis. Quod certè graue admodùm est & acerbum ijs, qui difficultatibus eiusmodi non assueuerunt. Itaq; nec in Burgundica quidem familia vixit absq; molestijs. Nam & Philippus Princeps erat ei obseruandus, & eius necessarij, ne fastidirent. Hæsit enim ibi per sex annos, atq; interea pater vrgebat Philippum per legatos, vt eum vel desereret, vel ad

se re-

se remitteret. Quo quidem tempore facilè intelligi potest, in quantis ille fuerit angustijs. Quodnam igitur quæso tempus habuit vacuũ à laboribus? Opinor equidem, inde à pueritia, perpetuis eum fuisse agitatum curis, ad extremum vsq; vitæ diem. Attigit annum sexagesimum primum, & iudicabat ipse, non se victurum esse supra sexagesimum, ac dicebat, Galliæ Reges, à multis temporibus eum terminum non excessisse. Nunc de Carolo videamus etiam. Is nihilò ferè melius habuit. Iuuenilibus quidem annis iucundè vixit, & ante vicesimum secundum ætatis annum, nullis immiscebatur negocijs. Posteà verò cœpit dissidere à præfectis domesticis, cumq; videret eos gratia & fauore patris subleuari: discessit in Hollandiam, & liberaliter exceptus à populo consilia sua cum Gandauensibus communicabat. Nullas ipse quidem facultates habebat: sed Hollandi locupletes atq; copiosi, plurima donabant. Idem erat studium aliarum quoque ciuitatum, vt ad ipsius beneuolentiam aditum sibi pararent. Sic enim est comparatum in rebus humanis, vt quorum augescere videmus potentiam: eos magis obseruemus, quàm illos, qui in supremo gradu positi, non possunt ampliùs progredi. Hoc etiam Philippus nõn ignorabat, qui cùm audijsset, Carolum esse

non ingratum Gandauenſibus, reſpondit, perpetuam eſſe eius populi conſuetudinem, vt futuros quidem principes diligat, vbi autem ad imperium acceſſerint, exoſos habeat. Et verè quidem iſtud dicebat. Poſteaquàm enim ad Carolum delata fuit ſumma rerum: mutarunt voluntatem atque ſtudia, nec id obſcurè ſæpiùs declararunt, & ipſius poſteritatem maximis affecerunt incommodis. Atque, vt ad inſtitutum reuertar, Carolus inde ab eo tempore, quo Galliæ Principibus confœderatus, bellum Regi fecit, quid, obſecro, in vita ſolidæ delectationis habuit? aut quibus non curis atque laboribus fuit obnoxius? Proſpero curſu fortunæ ſublatus initiò, cogitabat, quicquid erat vſpiam ſibi ſuisque finibus commodum & opportunum, occupare, & per æſtatem ferè continebat exercitum in acie, non abſque magno periculo. Sollicitudinem verò in ſe recipiebat omnē, ac licet erat potentiſſimus: ambiebat tamen multò maiora. Primus omnium ad laborem ſurgebat, & poſtremus quieti ſeſe dabat, non ſecùs ac ſi calonum fuiſſet omnium viliſſimus. Per hyemem, ſi quando à bello abſtineret, totus in hoc erat, vt pecuniam corrogaret. Eius conſuetudo ſic ferebat, vt ab hora ſexta, manè, plurimum temporis impenderet ſeriis occupationibus. Hoc ei iucundum

dum erat in primis. Magno etiam studio legatos externorum Principum audiebat, & in his defatigationibus vitam finijt, occisus ab Heluetijs, ante Nanceium, vt suprà docuimus. Posteaquàm igitur animum semel adiecit ad cupiditatem & ambitionem, quicquid esse potest in vita suauitatis, amisit. Quorsum verò pertinebat, vt ipse, qui tam erat potens, qui tam multas, tamq; copiosas & locupletes tenebat non vrbes modò, sed & prouincias, quæ ad omnem felicitatem ei satis esse poterant, eiusmodi sese laboribus cruciaret? Ad Angliæ Regem Eduardum nunc transeamus. Is adolescentulus admodùm, patrem suum, Ducem Eboracensem, vidit profligatum & interfectum in prælio, cumq; eo patrem Comitis Beruicensis, qui propter iuuenilem ætatem Eduardi, summam imperij tenebat, ac ipsum deinde Regem constituit, & Henricum profligauit, qui iam longo tempore potitus erat rei ũ, & mea quidem sententia, iure. Sed cùm esset parum prudens: natæ sunt factiones inter proceres, easq; fouebat illius vxor, Renati Siciliæ Regis filia, quando Sombresseti Ducis partes tuebatur, ac Beruicensem oppugnabat. Quòd si diremisset illa dissidiũ: sibi suisq; fortunis, & Angliæ rectè consuluisset. Nam exortum ab ea dissensione bellum,

viginti nouem annos durauit, ac multò maximam partem lectissimorum hominũ absumpsit, & illud immoderatum Reginæ studium in causa fuit, vt Beruicensis Comes, Eboracensem domum, odio Lenclastricæ familiæ deinceps propugnaret. Factiones nimirùm cõiunctæ sunt omnes cum periculo, inter nobiles præsertim, qui multum alioquin in eam partem incumbunt. Dicat fortasse quispiam, illas partium offensiones Regibus esse non inutiles: patefieri hac ratione omnia consilia: nihil esse, quod non efferatur ad Regem: & in maiori ipsum esse obseruantia? Nõ negarim equidem, si quis Princeps adolescens eiusmodi simultates ac contentiones in gynæceo suscitet: quin maximam sit habiturus ridendi suiq; oblectandi materiam. Nihil enim erit adeò secretum, quod in hac mulierc ularum æmulatione & inuidia non rescisc at. Verùm vt ea cõsuetudo recipiatur in cœtu virorum: ingens profectò periculum in eo versatur. Hoc enim verè sit ignem in tuis ædibus accendere, quem deinde non possis, nisi maximo tuo detrimento, restinguere. Nam qui Principem à se vident alienatum esse, ij ferè nouas incipiunt tentare amicitias, & illis libenter se coniungunt, quos diffidere putant ab eo, quem sui aduersarij partes tueri vident. Ac vt nullum extet aliud documen-

cumentum: certè factiones illæ Aurelianæ & Burgundicæ familiæ, periculi magnitudinem & luctuosos exitus demonstrare nobis possunt. Ex ijs enim ortum est bellum, quod per septuaginta duos annos durauit, cui permixti Angli, magnam Galliæ partem occuparunt. Sed vt reuertar, vnde sum digressus: Eduardus Rex erat omnium hominũ sui temporis longè formosissimus. Constitutis autem rebus, & profligatis aduersarijs, planè se dabat voluptatibus & ocio, & venationibus, atq; ad hunc modum per sedecim propè annos vixit suauiter, quo quidem tempore natum est dissidium inter ipsum & Beruicensem. Et quanquam ab eo fugatus fuit & eiectus è regno: breui tamen pòst tempore, redintegratis viribus, omnia recuperauit, eoq; bello confecto, redijt ad consuetum vitæ genus, eiq; multò magis etiam indulgebat quàm anteà, planè securus, & corpori curando solùm intentus. Verùm in ætate florenti pœnas dedit intemperantiæ, & repentino ferè morbo sublatus, perijt, filijs ipsius interemptis, & regni possessione ab eius ablata stirpe, sicut suprà demonstrauimus. Ab hoc veniendum est nobis ad alios. Hungariæ administrationem obtinuit nostra memoria, Ioannes Huniad è Moldouia, vir excellenti & præclara virtute, qui multis prælijs deuicit

Turcas, Hungariæ vicinos, propter occupatas in Græciæ finibus & Sclauonia, prouincias. Eo mortuo, grandior factus Lancelotus, Hungariam & Bohemiam ad se iure transtulit, & impulsus à nonnullis familiaribus, vt fertur, Ioannis Huniad filios duos comprehendit, affirmans, illum, se paruulo, nimiam vsurpasse potentiam, & periculum esse, ne filij patris insistant vestigijs. Maiore igitur necato, alterum, Matthiam Budæ seruari iussit, neq; multò pòst è vita decessit, veneno sublatus è medio Pragæ, quæ Bohemorum est vrbs amplissima. Consuetudinem habebat ijs locis, cum fœmina quadam nobili, quæ grauiter ferens, illum in matrimonium ducere Caroli Septimi Galliarum Regis filiam, contra datam sibi fidem & promissum: in balneo pomum ei dedit, per medium cultello diuisum, qui veneno tinctus erat. Ab eius morte, proceres Budæ conueniunt, Regis creandi causa: qui mos ipsorum est, quoties non relictis liberis, è vita Rex decessit. Dum ibi concilium habetur: venit eò Matthiæ mater, amplissimo comitatu, locuples admodùm mulier, quò facilius erat ei, breui tempore magnũ aliquod satellitiũ cogere. Credibile est, fuisse in eo Principũ & nobilium cœtu, & in vrbe, qui rebus ipsius fauerent, ob mariti recentem & claram memoriam.

riam. Posteaquàm eò venit, filium è carcere eximit. Ex nobilitate complures, & Ecclesiastici ordinis nonnulli, metu periculi statim profugerunt: reliqui Matthiam crearunt Regem, cuius maxima fuit & singularis tum virtus, tũ felicitas. Multa enim fecit secunda prælia cum Turcis, nullo cum Hungariæ detrimento, sed maximo illius commodo. Cæsari Friderico, qui rerum adhuc potitur, Austriã eripuit, eamq; tenuit quamdiu vixit. Summa prudentia & cõsilio, res suas, tam pacis, quàm belli temporibus, administrabat. Postremis vitæ annis, cùm hostem nullum ampliùs metueret: magnificè domum instruxit, & ornauit omnis generis exquisitissimis rebus. Quicquid esset grauium negociorum: aut ipse procurabat, aut quomodò fieri vellet, suis mandabat. Euasit tandem aliquantò crudelior, & metui volebat à suis. Morbo deinde correptus non sanabili: circiter vicesimum octauum ætatis annum, post multos & ærumnosos labores, Viennæ ad Danubium, mortuus est. Turcarum Cæsar Mahometus, nostra memoria, prudens fuit & insignis Princeps, verùm dolo contendebat, & insidijs nitebatur magis, quàm virtute. Cũ vigesimum tertium annum ageret, Constantinopolim vi cepit. Vidi depictã eius effigiem in illa ætate: & certè magnã aliquam indolem,

ac præstans ingenium videbatur repræsentare. Expugnauit eam vrbem, vt dixi, maximo nostri orbis dedecore & summo cum detrimento. Fuit interfectus ibi Cæsar ipse Orientis, cum infinita hominum multitudine: virgines vitiatæ complures, ac honestissimæ nobilissimæq; fœminæ maximo numero miserabiliter stupratæ: breuiter, immanitatis & non humanæ violentiæ genus nullum fuit ibi prætermissum. Prima hæc erat illius victoria, quam deinde summa felicitate prosecutus est. Nam memini, cùm Venetorum legatus recitaret Carolo, illum cepisse duo Imperia, quatuor regna, & vrbes ducentas. Loquebatur autem de Constantinopolitano & Trapezontino imperio, & Siria, & Armenia & Peloponneso, iuxta quam multas occupauit insulas, & in his Mitylenem. Albaniam quoq; ferè cepit omnem, atq; Sclauoniam, & hæc quidem omnia nobis, qui Christiano nomine censemur, ademit: suæ autem religionis Principes non minùs bello vexauit, quàm nos, & ex ijs complures ad extremã inopiam redegit. Maximam negociorum partem tractabat ipse, quemadmodùm & Ludouicus, & Matthias Hungariæ Rex. Ac sanè fuerunt hi tres omniũ suæ ætatis fortissimi prudentissimiq; Principes: verùm Ludouicus & humanitate, & honesta

nesta viuendi ratione illos longè præcedebat. Quantum ad delicias ac voluptates attinet, totus in illis fuit immersus Turcarum Cæsar, & maximam temporis partem illis impendit, & à nulla prorsus vitæ turpitudine aut fœditate abstinuit, eaq; intemperantia deinde morbum ei conciliauit longè grauissimum. Quot annis, ad initium ætatis, vt audiui ex ijs qui viderunt; intumescebat ei alterum crus, magnitudine ferè corporis: & plaga non apparebat vlla: remittebatur deinde tumor, nec vllus vnquam chirurgus aut medicus, quid esset morbi, dijudicare potuit. Hoc vnum affirmabant pleriq;, luxum & vitæ intemperantiam esse in causa. Conspiciebatur autem à pauciss imis, & in curru quodam artificiosè fabrefacto sese continebat, vt ne quàm esset macer & extenuatus, videri posset, & ne sui contemptus aliquis ex eo nasceretur. Ad quinquagesimum secundũ ætatis annum è vita decessit, repentina ferè morte. Testamentũ fecit, cuius exemplar ipse legi, ac inter alia dolebat ei, plurimùm, quòd extra ordinem suis prouincijs imperasset pecuniam. Quocirca mihi vide, quid nostri Principes facere debeant, qui certè ius nullum habent, onus aliquod imponendi inuito populo. Videmus hîc intra quàm breue tempus, quàm multi potentes ac summi Re-

ges mortui sint, posteaquàm ingentes sumpserunt labores, vt augescerent & locupletarentur, cum maximo procul dubio corporis, ac etiam animæ fortassis detrimento. Nihil igitur est præstabilius mediocri vitæ genere, quod qui potest assequi & tueri, is omnium certè est felicissimus. In rebus humanis ita cõparatum est, vt nullus ferè sit populus, cui non æmulum aliquem & aduersarium Deus excitarit. Gallis opposuit Anglos, & Anglis Scotos. Hispanis perpetua quædam simultas intercedit cum Lusitanis. Italiæ Principes magna ex parte retinent possessiones, nullo ferè titulo, & acerbè suis imperant. Iis aduersantur reliquæ potentiores ciuitates, Venetiæ, Florentia, Genua, nonnunquam etiam Bononia, Sena, Luca. Arragoniæ Reges oppugnantur ab Andegauorum Ducum familia, Mediolani & Insubriæ Vicecomites, ab Aureliana domo. Venetis sunt infesti Principes Itali & Florentini. Senenses autem & Genuates oderunt Florentinos. Genuates laborant & sunt diuisi ciuilibus factionibus Fregosiorum, Adornorum & Auriorum. In Germania magnæ sunt inter Austriacam & Bauaricam domum æmulationes, & quæ sunt ex Bauariæ Ducum stirpe natæ familiæ, inter se ipsi dissident. Austriacis Principibus magnum est & graue odium

cum

cum Heluetijs. Impugnantur à Cliuenſibus Gheldri, & hi valde ſunt iniqui Iuliacenſibus. Quæ ſunt ad Oceanum Germanicum & Balthicum mare ciuitates, bella ſæpe gerunt cum Daniæ Regibus. In Germania plurimæ ſunt arces atque caſtella munita: quæ res licentiùs agendi multis occaſionem præbet. Nam vnus aliquis, famulo tantùm comitatus, ciuitati cuipiam denunciare audet inimicitiam, confiſus aliquo caſtello, in quod receptum habet, & ſocijs aliquot equitibus. In hoc genus hominum, Germaniæ principes non admodùm animaduertunt, quoniam ipſorum opera nonnunquam vtuntur: ciuitates autem, vbi facultas eis datur, ſeueriſſimè puniunt, & facta coniuratione, circumuallant aliquando receptacula illorum & demoliuntur, ſimul in eos vſus aliquot equitum cohortes alunt. Atq; is eſt per Europam rerum ſtatus. Quid per Aſiam & Africam fiat, non habeo compertum: ſed dicuntur inter ſe, non minùs quàm nos, imò turpiùs aliquantò diſſidere. Nam in ſeruitutem ſe pertrahunt ipſi, ſeq; inuicem noſtris hominibus venundant, & videmus quàm multi quotidie ad Luſitanos deportentur. Apparet igitur, has diſſenſiones, veluti ſtimulum quendam, in rebus humanis eſſe neceſſarias, ac mihi quidem, tametſi literarũ

nullum vsum habeo, sic videtur, potissimùm verò, propter quorundam Principum ignauiam & malitiam, qui ingenij quidem satis habent & cognitionis: verùm abutuntur eis, neq; ad res honestas accommodant. Doctrina enim vel meliores reddit homines, vel deteriores pro cuiusq; natura & inclinatione: sed tamen verisimilius est, aliquem ea fieri meliorẽ. Nam quò quisq; magis, quid se deceat, intelligit, eò vehementiùs ipsum neglecti pudet officij: & etiam si non omnino sibi temperet à maleficio: tamen ne planè modum excedat, cauet. Ac istud quidem vsu compertum habeo. Multos enim noui, quos à prauis & illaudatis consilijs eruditio sola retraxit. Huc etiam accedit metus diuini numinis. Quanta enim sit peccati magnitudo, & quantoperè Deus offendatur flagitijs, docti non paulò meliùs, quàm homines imperiti, cognoscunt. Qui sunt igitur malè instituti Principes, quantum sit munus, quod acceperunt à Deo, non intelligunt, & ipsorum familiares, ne malam gratiam sibi concilient, dissimulant: & vt ex omnibus fortè sit vnus, qui fideliter admoneat: is tamen suæ sententiæ nullos habet approbatores, ac ferè fit, vt ridiculus habeatur. Est sanè quædam nobis innata prauitas, adeò magna quidem, vt nulla planè ratio nos ab iniurijs & violen-

violentia coërceat. Potentiores, vbi castellum aut oppidum eripuerunt alicui, quacumq; de causa, nolunt à possessione deinde discedere: & vbi semel aliquem obduxerunt colorem, cur ita fecerint, accedit posteà propinquorum & adulatorum assensus, qui hæc omnia collaudant. Magna certè est multorum Principum iniquitas, qui pecuniam pro sua libidine suis imperant, & amplum alunt satellitium, vt miseram multitudinem in metu contineant, eamq; deinde pecuniam temerè & voluptuariè profundunt, nullo cum Reip. bono, & de quotidianis sumptibus nihil remittunt, & suos exhauriunt, & assentatorum stipati sunt turba. Sed est Deus, qui flagitium nullum sinit impunitum, & crudelitatem in primis detestatur, qui tametsi non loquitur hominibus hodierno die, sicut priscis illis temporibus: tamen quæ sit sua perpetua sententia, & quid à nobis fieri velit, clarè perscriptum reliquit, ita quidem, vt nemo planè, qui modò sit sanæ mentis, & qui ad iustam aliquam peruenerit ætatem, excusandi sit habiturus locũ. Illi igitur, qui vi & armis imperia sua continent, & quoties aliquid mandant, capitis constituunt pœnam, ad supremum illud tribunal Dei quomodo cõsistent? Multa sæpe crudeliter & iniquè & insidiosè faciunt, dum speciem aliquam

iustitiæ prætendunt. Nam habent eos, qui ius dicunt, suarum cupiditatum plerumq; ministros, & quantumuis leue delictum exaggerãt. Si capitale nihil deprehendunt, rationes excogitant, vt eum, cui malè volunt, immensis varijsq; sumptibus defatigent, dum & accusatorem non sistunt, & testimonia non cognoscũt, & auidè expectant, num criminationem aliquis in eum, qui captiuus detinetur, instituat. Quòd si parum tuta videtur hæc via, neq; satis ad ipsorum voluntatem accommodata: nouis vtuntur perfugijs, & prę se ferunt, exempli statuendi causa tali fuisse opus animaduersione. Si quis autem est ipsorum cliens ac beneficiarius: in eum multò sunt asperiores, ac contra officium & fidem, qua sit obstrictus, eum aliquid egisse confirmant, & eò totis viribus incumbunt, vt aut facultatibus omnibus eum exuant, aut alioqui varijs modis affligant. E vicinis, qui sunt potentiores ac minimè stolidi, eos sinunt vti pace: verùm si quis est infirmior, eum sic perturbant & exagitant, vt quò se tandem recipiat, vix habeat. Causam facilè inueniunt: submiistrauerit ipsorum aduersarijs auxilia, vel tale aliquid. Quam ob rem aut in ipsius ditionem, coactam aliquam militum manum adducent, vt ibi sumptu miserorum alantur, aut alienam aliquam litem aduersus

cum,

eum, ſuam facient, aut eius inimicos ope ſubleuabunt, aut quamcumq; aliam nocendi rationem inuenient. Si quis ipſorum parentibus bonam & fidelem operam præſtitit: eum loco ſubmouent, & nouos ſibi parant beneficiarios. Eccleſiaſtici ordinis hominibus moleſtiam de ſacerdotijs creant, vt ſaltem aliquid extorqueant, quo deinde locupletent & augeant eos, qui plerumq; nullum ipſis honeſtum exhibuerunt officium. Nobilitatem multis varijsq; laboribus & impenſis exhauriunt, quando bella pro ſua libidine & arbitratu ſuſcipiũt, inconſultis ijs, quorum abſq; voluntate & conſenſu nihil tale mouere debebant. Cùm enim equeſtris ordinis homines ac viri nobiles, non modò facultates omnes, verumetiam vitam & ſanguinem in bella profundant: æquiſſimum eſt profectò, vt priùs, quàm ſuſcipiatur bellum, eius rei conſilia cum ipſis communicentur. Quantum ad promiſcuam & miſeram multitudinem attinet, nihil planè reliquum eis faciunt, & quum tributum ab eis præter omnem modum & æquitatem exigant: quominùs ab equeſtribus etiam cohortibus, quas alunt, diuexentur, non cauent: quæ quidem cohortes obequitant huc illuc perpetuò, & nõ ſolùm viuunt ſumptu miſerorum, ſed etiam proteruè & inſolenter in eos multa faciunt.

Nec enim contenti sunt iis, quæ passim in agris reperiunt, verùm miseris etiam hominibus vim adferunt, eosque cogunt longiùs abire, & aliunde adferre cibaria delicatiora: mitto quòd vxorum quoque & filiarum pudicitiam tentant. Huic autem incommodo facilè posset occurri, si bimestri quouis dependerentur eis stipendia, quibus aluntur alioquin ex publico. Sic enim nullam essent habituri causam, qua se purgarent de iniuriis illis, quas inferunt necessitate quadam, vt aiunt, eò quòd ipsis non persoluitur, Atque istud de Gallia propriè dico, quæ præter omnium aliarũ gentium morem, miserabiliter his direptionibus vexatur. Aliæ prouinciæ sua etiam habent incommoda. Et vt ad institutum reuertar, nemo est omnium Principum, qui ius habeat, vel teruncium vnum exigendi à suis, præter constitutum annuum censum, nisi populus assentiatur. Dicat aliquis fortasse, nõnunquam incidere tempus aliquod, vt non sit integrum, agere conuentus aut conscibere populum, eò quòd eiusmodi mora & coniuncta sit cum periculo, & belli rationes impediat? Nihil hoc certè ad rem facit. Nam vt bellum suscipiatur, graui quadam & matura opus est deliberatione, neque subitò vel præcipitanter aliquid in eo fieri debet: deinde, quando Reges de communi populi consensu

ſenſu rem gerunt, & ſunt potentiores, & ab hoſte magis metuuntur. Nullum enim tam ſubitum oriri poteſt aut moueri bellum ex longinquo præſertim, quin multò antè ſentiatur: & quoties tale aliquid incidit, populus libenter ſua conferre debet, ac modis omnibus auxiliari. Sed ipſorum Principum eſt etiam prouidere omni ratione, ne leue aliquod bellum pro ſua libidine & temerè ſuſcipiant, quò per hanc occaſionem pecuniam à ſuis extorqueant. Ad finium tuitionem opus eſt haud dubiè ſumptus facere, etiam pacis tempore, ne inopinantes opprimamur: ſed moderatè omnia fieri debent, atque totum hoc in Principis poſitum eſt prudentia. Per omnem Europam, quod ego quidem norim, belli temporibus minimùm affligitur in Anglia populus, & calamitas tota redundat in diſſenſionum ac belli auctores. Sunt Principes, quibus hoc frequens eſt in ſermone, vt dicant, habere ſe priuilegia, vt quantum velint exigant à populo. Certè Galliarum Rex, omnium minimè cauſam habet, vt iſtud de ſe iactet. nec enim vel ipſi, vel cuiuis alij licet. Qui verò comparandæ gratiæ cauſa, poteſtatem hanc illi tribuunt, ij certè parum liberaliter agunt & prouidè. Quid enim finitimorum voluntates alienare magis poſſit, quàm eiuſmodi voce atque

licentia? Verùm si rex ad hunc modum diceret, habere se populum fidelissimum, qui libenter imperata faciat: qui nullum onus recusset: qui patientissimè quiduis toleret: qui damnum acceptum moderatissimè ferat: maiorem sanè laudem ex eo sit habiturus, quàm si priùs illud dicat, suumq; priuilegium sibi diligenter seruandum esse contendat. Non sic loquebatur Carolus Quintus, Galliarum Rex, neq; verò aut Ludouicum, aut eius filium, qui nunc præest, sed ipsorum familiares audiui non semel in eam loquentes sententiam: & prudenter quidem ipsorum iudicio, sed reuerà faciebant hoc partim adulatione, partim inscientia rerum. A morte Ludouici Regis cõuenerunt omnes Galliæ ordines, vt de summa imperij statuerent: non deerant id temporis imperiti quidam, & tenuis conditionis, ac nullius vsus homines, qui dicebant eiusmodi conuentus ad crimen læsæ maiestatis pertinere, quòd Regum imminuatur eo ipso potestas. Verùm, qui sic loquuntur, scelere se polluunt, grauissimeq; dubio procul & Deum & Rempublicam offendunt. Nam eiusmodi voces solùm spectant ad priuatam vtilitatem eorum, qui nullo suo merito vel virtute, authoritatem obtinent, qui ad nullam rem honestam idonei, clandestinis susurrationibus Principum aures

aures demulcent,& gratiam eblandiuntur,qui conuentus idcircò metuunt, ne ipsorum detegatur improbitas. Dum istud apud Turones concilium habetur:Gallia vehementer erat afflicta.Nam per viginti & eò plures annos grauissimè vexata fuit exactionibus. Carolus enim Septimus, quod & suprà diximus, imperabat solùm duodeuigesies centena Francorum millia quotannis : Ludouicus autem filius, ad quadragies & septies centena millia, præter eos sumptus & operas, quæ faciendæ erant deducendis tormentis & consimilibus rebus. Itaque miserrimum erat spectaculum, videre multitudinis & populi ærumnas. Hoc tamen erat in eo boni, quòd auarè nihil agebat, omnemque pecuniam impendebat in ædificia, munitionesque locorum. Ecclesijs etiam plurima donabat, & præstitisset eum hac parte minùs fuisse liberalem. Spoliabat enim tenuiores ac inopes, vt eos, qui alioquin abundabant, locupletaret. Ab eius igitur interitu magnæ fuerunt natæ dissensiones. Principes enim ac reliqui ordines, facta rebellione aduersus filium eius, qui nunc præest, cogitabant alium Regem constituere, vel ita saltem coërcere illum, vt ne regiam obtineret potestatem. Sed mitigati tandem, iusiurandum & fidem illi ex more dabant,& ex omni numero

delecti fuerunt duodeni, quorum ille secutus consilia, tredecim annorum adolescens, regio more, quid fieri vellet, mandabat, & habito concilio proceres ac ordines multa postulabãt ab eo, quæ ad salutem regni pertinere dicebãt: verumtamen ad ipsius & delectorum voluntatem omnia referebant, cumq; vigesies & quinquies centena Francorum millia ille imperasset, assenserunt: nec id modò, verùm etiam, vt post biennium alij conuentus agerentur, petebant, & si ea pecuniæ summa non sufficeret eius necessitatibus, vltrò deferebant se daturos quantum vellet: ac si quis aliquid aduersus ipsum vllo tempore moliretur, se non facultates tantùm omneis, verùm etiam sanguinem & vitam paratos esse pro ipsius incolumitate profundere. Hæc eò pertinent, vt ostendam, quàm sit egregia Gallorum erga suũ Regem voluntas & beneuolentia. Num iniquum est igitur & inhumanum, si quis, cùm populum habeat tam obsequentem & liberalem, velit eos imperio coercere, quasi liceat sibi quãtum libet exigere? Nõne multò sit honestius, comitate quadam eos ad suam voluntatem adducere: quàm imperiosè agere pro sua libidine? Certè, quod suprà non semel diximus, nemini omnium licet absq; populi consensu vllam pecuniam imperare. Sed in vtramque partem

ferè

ferè peccatur. Nam & Principes immoderatè multa sæpe faciunt, & populus nonnunquam grauiter illos offendit, quando nec morem gerunt, & in necessitate deserunt, & rebellionem faciunt, planè contra fidem & iusiurandum. In Principibus autem conspicitur magis, & est illustrior Dei potentia, quàm in hominibus priuatis atq; plebeis. Nam hi multis opportuni sunt iniurijs, & nonnunquam præter ius & æquum mulctantur, vel prædæ consequendæ causa, vel culpa iudicis & errore. Aliquando etiam iure plectuntur, in eoq; nihil est reprehendendum. Quando verò Principes eorumq; familiares, aut ciuitates aliquid delinquunt, quis ea de re quæstionem habebit? & habita quæstione, quis ad iudicē deferet? quis iudicis personam sibi sumet? quis pœnā constituet? Quænam est autem huius tantæ licentiæ & prauitatis causa? vel cur in deteriorem partem sic propendemus omnes? Incredulitas nimirùm hoc efficit. Nā si certò statueremus esse Deū, qui scelus nullum sinit impunitum: esse perpetuas & sempiternas pœnas, quibus affliguntur impij: credibile est, neminem fore, qui violenter aut auarè, vel crudeliter aliquid ageret. Cùm ab hoste princeps aliquis detinetur captiuus. an aliquid habet in rebus omnibus tam carum ac precioſum, quod pro ſui liberatio-

ne non dependat? Certè quicquid vndiq; corrogare potest, tam è suis, quàm è populi facultatibus, totum hoc eò cõfert, quemadmodùm scimus accidisse temporibus Ioannis Valesij, Galliarũ Regis, qui captus ab Anglis, apud Pictones, dependit eis tricies centena Francorũ millia, & simul dabat tertiam ferè Galliæ partem, quæ tunc ad extremam inopiam redacta, corio, cui modicum erat infixum argenti, loco pecuniæ vtebatur. Hæc omnia ille pro recuperanda libertate persoluit, & vt nihil planè dedisset: Angli tamen non erant eum interfecturi: & vt id feciſſent, tamen quota fuisset illa, quæso, pars cruciatuum inferni, quibus afficiuntur post hanc vitam impij? Cur autem & se suosq; liberos & populum ad hanc egestatem ille redegit? Ideo sanè, quòd certò sciebat, non se alioquin euasurum esse carcerem. Et tamen fieri potest, vt quo tempore, flagitium illud, quodcumq; sit, admisit, propter quod in hanc tantam calamitatem incidit: securus planè fuerit, neq; crediderit, se Deum offendisse. Quiduis igitur ille fecit, vt è vinculis expediretur: at verò tam nulli ferè sunt aut pauci admodùm principes, qui posteaquàm semel aliquid occuparunt quocumq; modo, restituere illud velint. Nam neq; ratio, neq; iusiurandi religio, neq; metus diuini numinis, nec æquitas vlla,

nec

nec inferni cruciatus perpetui, mouere illos possunt, vt quod alienũ est, quod à se mala fide possideri sciunt, reddãt. Interrogaui paulò antè, quis habiturus sit quæstionẽ de potentibus, quis illos accusabit, quis litẽ definiet, quis pœnã irrogabit? Certè querimoniæ & lachrymæ miserorum hominũ, quos crudeliter vexarũt, item viduarũ & pupillorũ gemitus atq; suspiria, quos parentibus atq; maritis inhumanè spoliarunt, breuiter eorum, quos afflixerunt & fortunis omnibus denudarunt, lamentationes atq; plangor, erunt accusationis loco, quam illi coram supremo Dei tribunali sistent. Qui magnitudine scelerũ offensus, nõ semper cõcedit diuturniorem impunitatẽ, sed illos aliquando verberat præsentibus pœnis, ita quidẽ euidenter & clarè, vt dubitari nõ possit, ipsum esse iustissimum impietatis nostræ vltorem. Pleriq; verò principes, imperiti quidẽ illi & inconsulti, quamdiu prospera vtuntur fortuna, nihil tale metuũt, sed cùm maximè securi sunt omniũ rerum, tunc ecce Deus repentè illis aduersariũ aliquem excitat, de quo minimè suspicati fuerant. Et quoniam eius rei omnibus ferè libris, ac in his Commentarijs pulcherrima extant documenta, nihil est opus prolixiori demonstratione. Atq; vt ad finem aliquando perueniamus: nihil est in hac ærumnosa vita potiùs,

quàm vt metuamus diuinum iudicium, & ſtudeamus in rebus omnibus æquitati, & contenti ſimus mediocri vitæ genere, neq; defatigemur ijs curis, quales ferè ſuſcipiuntur à multis, nimia quadam cupiditate & ambitione augeſcendi. Hanc viam ſi poſſemus ingredi atq; tenere, & tranquilliùs viueremus, & minùs afflligeremur valetudine aduerſa, & mortem non adeò formidaremus. Etenim quanta ſit vitæ noſtrę miſeria, facilè poteſt ex eo colligi, quòd ſimul atq; mortuus eſt aliquis, quicumq; ſit ille, ſtatim omnes abominantur & exhorreſcũt ipſum cadauer, & euolat anima, ſiſtiturq; mox iudicio incuitabili.

IOAN-

IOANNES SLEIDANVS LECTORI S. D.

QVANTA *sit vtilitas huius historiæ, non dubito, quin satis intelligant omnes vel tenui ciuilium rerum cognitione præditi. Et quoniam ad illustrationem horum temporum, in quibus versamur, maximè pertinet, atque hanc ob causam potissimùm eius interpretationem suscepi: idcircò, vt planior sit & intellectu facilior, quædam paulò altius mihi repetenda sunt. Et principiò quidem, videmus duas potentissimas nostri orbis familias, Francicam & Burgundicam, continẽtibus ferè bellis conflictari. Eius verò mali causam ab ipsa stirpe & radice inuestigare oportet, vt videri possit, quanta vel molis, natum semel inter potentes principes dissidium ita componere, vt non semper*

aliquæ maneant reliquiæ. Sic igitur res habet. Ad Ioannem Valesium, Philippi Valesij filium, Galliæ Regem, qui ante annos centum & octoginta è vita decessit, delata fuit inferior Burgundia, quæ Ducatus nomen obtinet. Is in prælio captus ab Anglis, apud Pictones, ac deinde mortuus in Anglia captiuus, filios reliquit quatuor, Caroli, Ludouicum, Ioannem & Philippum. Ad Carolum, natu maiorem delatus est principatus. Fuit hic eius nominis quintus, ac propter insignem virtutem nominatus est Prudens. In diuidenda hæreditate, minimo fratri Philippo dedit Burgundiam à patre acceptam. Philippus igitur Burgundiæ Dux, cognomento Fortis & Audax, in matrimonium duxit, Ludouici Flandriæ Comitis filiam vnicam, & auctus per eam fuit Artesia, Flandria, Burgundia superiori, quæ Comitatus nomine censetur, Niuernensi & Rethelensi ditione. Ei successit Ioannes filius. Regnabat autem tum in Gallijs Carolus sextus, Caroli quinti filius. Qui cum exercitu profectus, vt Ioanni Britanniæ minoris Duci bellum faceret: vbi ad Cenomanos peruenit, inter equitandum, subitò in mentis alienationem incidit. Et quanquam per interualla morbus redibat: summa tamen gubernationis erat penes ipsius patruos. Fratrem

trem iſte habebat Ludouicum ducem Aurelianum. Inter hunc & Ioannem Burgundiæ Ducem, Philippi Audacis filium, patrueles, orta fuit æmulatio quædam atq; ſimultas de principatu, dum ambo, per ualetudinem Regis, primas adminiſtrationis partes obtinere ſtudent. Augeſcente uerò in dies magis atq; magis eo diſſidio, Dux Aurelianus, de nocte, quum paucis admodum comitatus domum rediret, Lutetiæ fuit interfectus. Qui eadem fecerant, profugerant in ædes, quas tum Flandriæ Comites ibi, ut plerique alij proceres, habebant. Hoc poſteà cognitum fuit, habita quæſtione. Poſtridie conueniunt patrui & propinqui Regis: in his etiam erat Burgundiæ Dux Ioannes. Cumque de perpetrata cæde grauis inſtitueretur ab omnibus querimonia: Biturigum Dux animaduertit, in Ioanne uultum atque colorem mutari. Secèdens igitur, priuatim cum eo & amicè loquitur: rogat an ſit ſibi conſcius? Ille ſuſpirans, & in lachrymas effuſus, fatetur ſummiſſos à ſe fuiſſe percuſſores. Tū Biturix, Hei me miſerum, ait, qui uno die duos amitto cōſanguineos. Burgundus illicò diſcedens ab eo, quaſi mox rediturus, conſcēdit equū, & paruo comitatu profectus, incredibili celeritate contendit ad Atrebates, ac pontem à ſuis, quà

transſibat, reſcindi iubet, atq; ita incolumis euaſit. Collectis deinde copijs, quoniã & deploratam Regis ualetudinem, & factionibus ſciebat diuiſos eſſe multorum animos: incurſionibus Galliam uexabat, & Pariſiẽſem populum habebat ſuis rebus fauentem, eoque deducta res tandem fuit poſt multam diſceptationem, ut Carolus ſextus, compoſitione cũ eo facta, publicis literis fateretur, eadem illam ſui fratris, iure, ac Reip. bono factam fuiſſe. Verùm, ut fieri ſolet in rebus quæ parũ firmo nituntur fundamento, quum reliqui principes & ordines, Aureliani Ducis filij potiſſimùm, hanc regis conteſtationem improbarent, & ab eo, qui parum eſſet ſanæ mẽtis, profectam eſſe dicerent: recruduit odiũ, præſertim cùm iã paulatim grandeſceret Caroli ſexti filius. Renouatis igitur diſſidijs, miſerrimus erat Galliæ ſtatus. Angli enim qui iã inde à Philippo Valeſio Regis proauo, illã uexauerant, hanc occaſionẽ conſpicati grauiſſimũ ei bellũ inferebant. In his acerbitatibus, cœptũ eſt cogitari de remedio & ſalute. Cũq; Angli Rothomagũ obſiderent, eò deducta res fuit, ut utrinq; data fide, Burgundus & filius regis (Delphinũ Galli uocant) qui poſteà dictus eſt Carolus, eius nominis ſeptimus, apud Mõſtrelum, uiginti ſupra Lutetiam milliaribus

ribus oppidum, ad confluentem Sequanæ & Ionæ, in collocutionē venirent. Ibi tum Burgundus, in conspectu Delphini, ad quē transierat, fuit interemptus à quibusdā Aureliani Ducis familiaribus, quos ad colloquium Delphinus adduxerat, anno duodecimo post Aureliani cadē. Hāc patris necem, Philippus filius, cognomento Bonus Vlciscens, fœdere se coniunxit Anglis, & illorum adiutus præsidiis, per triginta duos annos continenter bellum Galliæ fecit. Tandem summorum Principū interceßione, pax inter eum & Carolum septimum facta fuit Atrebati, excluſis Anglis, qui nimiùm acres & duras leges proponebant. Ea pacificatio prorsus erat ex vtilitate Philippi. Sic enim tūc afflicta fuit Gallia, vt tranquillitate & otio vehementer opus haberet. Inter alia Rex dabat Philippo Duci, & eius liberis maſculis, agrum illum omnē & oppida, quæ sunt ad Somiā flumen, sub certa conditione, vt ex his commentariis clarū eſt. Ea cōſtituta pace, rex, quod voluit, conſequebatur. Nam belli ſummam & omne robur in Anglos, qui tūc bonā Galliæ partem tenebant, conuertit, eosq; ex omnibus vndiq; locis tandem profligauit, ita quidem, vt ab eo tempore, præter Caletos, nihil hodie magnoperè citra mare poßideant. A morte Caroli

septimi, bellum quod anteà vix magno labore sedatum fuit, renouatum est inter eius filium Ludouicum vndecimũ, & Carolũ Philippi filium, vt ex his commentarijs constat. Quo interfecto prope Nanceium, Rex Burgũdicam domum acerrimè persecutus, non modò Burgundiam vtramq; sed & Picardia & Arteſia bonam partem occupauit, ac bellum deinde gessit cũ Maximiliano Friderici Cæsaris filio, qui Caroli filiam vnicam, & florentissimarum ditionũ hæredem, in matrimoniũ duxerat. Composito tandem & hoc bello per connubiũ, & mortuo Ludouico, Carolus filius, eius nominis octauus, grãdior factus, Margaritham Maximiliani filiam, sponsam suã, ante annos nouem ad se deductam, domum remisit, & Annã Franciſci, Britanniæ minoris Ducis, filiam vnicam, Maximiliano publicè in Ecclesia per internuncium desponsam, vxorem duxit, vt Britãnia cuius iam bonam partem occupauerat, sine contentione potiretur, eamq; pacatam haberet. Ibi denuo, quod nuper curatum erat vulnus, recruduit, & grauissima sunt exorta bella, propter hanc, quam Maximilianus factam sibi putabat esse cõtumeliam. Ac inter alia, cùm Carolus regno Neapolitano capto, domũ rediret: Maximilianus fœdere coniunctus cum

Alex-

Alexandro Pontifice Romano, & Hispaniarum Rege, & Venetis, & Ludouico Sfortia, Mediolani Duce, prope Forumnouum, ad radices Appennini montis, illum adortus est. Verùm ipse tametsi multò inferior numero, singulari quadam fortuna peruasit. In publicis etiam Imperij decretis, extat quoddam Maximiliani postulatum, vbi à Principibus Germaniæ opem petit aduersus illum, molientem res nouas contra Pontificem & Italiæ proceres. Ab eius morte, delatus est Galliæ Principatus ad Ludouicum, eius nominis duodecimum. Et quanquam de odijs nonnihil iam remissum erat: tamen certa nulla fuit inter eos, aut constans amicitia, turbante omnia Iulio secũdo Pontifice, qui cùm esset infestissimus Galliæ, traduxit ad se quæcunque potuit auxilia, & in his Maximilianum. Qui quoniã diutissimè regnauit: cum Francisco etiam Valesio, eius nominis primo, nunc Galliarum Rege, inimicitias exercuit. Et ab eius interitu, quæ sint consecuta bella inter Carolum quintum Cæsarem, Maximiliani nepotem, in quo Burgundica stirps, atq; Caroli posteritas renata esse videtur, & hunc ipsum Franciscum, in recenti est hominum memoria. Ac eò solùm hæc omnia ordine recitaui, & vt lucem aliquam adferrem his

commentarijs, & ostenderem, inde ab illa cade Ducis Aureliani, annis ab hinc centum & triginta octo, ferè perpetuum fuisse dissidiũ Francicæ familiæ cum Burgundica, quòd eò pertinet, vt Principes ac ipsorum familiares, magnoperè caueant dissensionum occasiones. Nato enim semel dissidio, necesse est multas deinde præberi causas offensionum, quod hîc accidisse videmus. Dum enim perpetuatis odijs, ab illa cade Aureliani & Burgundi, nouæ semper contentionum natæ sunt occasiones: dum Cæsar ereptam sibi suisque maioribus Burgundiam, & Galliæ Rex ademptum ab illo sibi Mediolanum queritur: dum insigni rerum facta vicissitudine, quas per Italiam nuper & nostra memoria Reges Galliæ tenuerunt prouincias, Neapolitanum regnum & Insubriam, Cæsar hodie possidet: videmus quò reciderint omnia, & quantum ab eo fonte prodierit malorum, ad hoc vsque tempus, adeò sumus experti, vt omnibus precibus à Deo petendum sit nobis, quò familias illas duas longè potentissimas, à quibus Europæ summa ferè tota pendet, anteà sæpe frustrà reconciliatas, firmis amicitiæ vinculis, ad sui nominis gloriam ita cõiungat, vt certò sperare possimus, ac nobis polliceri, tyrannidem illius, qui latrocinijs & immanissimo

belli

belli genere nos persequitur, non esse longius progressuram.

De Anglia nunc dicendum est, & quamobrem illi Galliã ad se pertinere confirment, vt in his commentarijs apparet. Philippus Gallia Rex, cognomento Pulcher, qui ante annos ducẽtos & triginta mortuus est, quatuor habuit liberos, Ludouicum Hutinum, Philippum Longum, Carolum Formosum, & filiam Isabelam, quæ nupsit Eduardo secundo, Angliæ Regi. Filij Principatum ordine tenuerunt, & cùm ê vita cessissent, non relictis liberis masculis: Eduardus tertius, filius Eduardi secundi ex Isabela, missis in Galliam legatis, petebat regnum ad se, qui nepos esset Philippi Regis è filia, deferri. Proceres ac ordines, conuocato concilio, dicebãt antiquitus ita & institutum & obseruatũ esse, ne fœminæ ad Galliæ Principatũ admitterentur: & quandoquidem ipsius mater in eo nihil habeat iuris, ipsum quoq; nõ posse vllum sibi ius vendicare. Et vt fœminæ omninò locum habeant: potius tamẽ esse ius filiarũ Ludouici, Philippi & Caroli Formosi, quàm sororis ipsorum: & meritò illas debere suis partibus succedere, si qua ratione fœminis ad regnum pateret aditus. Post multam vtrinque disceptationem, ij qui dicuntur Pares Francia, re-

gem constituunt Philippũ Valesium, Philippi Pulchri ex fratre nepotem. Eduardus igitur bellum statim denunciat, & acerrimè gessit, non ipse modò, sed & illius posteri: ita quidẽ, vt & Aquitaniã, & Normanniã maximam partem, & Lutetiam, & quicquid circũ est, plurimis annis occuparint: donec à Carolo septimo, Philippi Valesij abnepote, prorsus ciũcerentur, vt suprà diximus. Ab Eduardo igitur tertio, & à Philippi Valesij temporibus, qui ante annos centũ & nonaginta quinque mortuus est, Anglia reges, ea de causa, quam diximus, & Galliam ad se pertinere dicunt, & eius inscriptionẽ ac titulum sibi vsurpãt, in hunc vsq; diem. A Philippo autẽ Valesio hi fuerunt ordine reges, ex ea gente ac familia: Ioannes, Carolus quintus, sextus, septimus, Ludouicus vndecimus, Carolus octauus. Ludouicus duodecimus, & Franciscus primus. Galli eã legem, qua cauetur inter alia, ne fœminæ ad regni successionem admittãtur, Salicam vocãt, & est ipsis quodã modo peculiaris. Hungaria quoq; si non supersit filius, liberam habet electionẽ, Dania verò maioribus vtitur priuilegijs. Nam etiamsi multi sint filij regis: iure tamen successionis ad principatum ex ijs nemo quisquam admittitur, & totum ex arbitrio procerum ac ordinũ pendet,

sicut

ſicut ipſorummet ſcripta teſtantur. Eadem ratio dicitur eſſe per Poloniam: tametſi cùm idonei ſunt filij, ferè præferuntur omnibus alijs. Per Hiſpanias autem & Luſitaniam, & Siciliam, & Neapolim, & Nauarram, & Angliam, & Scotiam, à Principatu fœmina non excluduntur.

Proximum eſt, quãdoquidem Gallia plurima ſit, & locorum in his commẽtarijs mentio, vt exponam, quibus hodie finibus illa contineatur, quando regum ſubeſt Imperio, & in quas partita ſit prouincias, & quibus ea vocentur nominibus, & quos ille populos, quorum C. Cæſar & alij mentionem fecerunt, comprehendat. Et principiò quidem, quàm latè pateat, & quemadmodum poſita ſit, poſt C. Cæſarem nemo meliùs dixit. Manebit igitur illa deſcriptio immota & integra. Sed hodierno die has ditiones habet maiores, Burgundiam ducatum, Campaniã, Picardiam, Normanniam, Britanniam minorem, Xanthones, Guiennam, Vaſconiam, Languedociam, Prouinciam Maſſilienſem, & Delphinatum. Hæ ſunt velut extremæ oræ, quibus tanquam ſepimento quodam & muro, prorſus ambitur interior illa, cuius hi ſunt populi: Frãci, quorũ caput eſt Lutetia: Carnutes, Cenomani, Andes, Turones, Bituriges, Ambari

seu Niuernenses, Boij seu Borbonij, Auerni, Lemouices, Pictones, Petracorij, Vellaunij. Ducatus nomen obtinent Burgundia, Normannia, Britannia, Guienna, Bituriges & Borbonia. Normannia cõplectitur Neustrios, Ambilates, Bellocassos, Lexouios, Eburonices, Aulercos. Britannia continet Osismos, Diablintres, Venetos, Curiosolitas, Rhedones, Nanetes, Cadetes. Guienna Vibiscos, Cadurcos, Heluios, Ruthenos, Vasconia, Tarbellos, Datios, Bigerones, Auscos, Cantabros. Languedocia, Tholosates, Volcas, Nitiobriges. Delphinatus habet Blagonios, Brannonices, Eburodunos. Porrigitur vsque ad Allobroges qui nunc Sabaudi, & Taurinos qui Pedemontani hodie dicuntur. In Burgundia sunt Hegui, Mandubij, Lingones, & pars aliqua Sequanorum. In Campania Rhemi, Catalauni, Trecenses. In Picardia, Sueßiones, Ambiani, Bellouaci, Veromandui, Morini. His planè sunt vicini Atrebates & Neruij: sedij, propter Flãdriam, Cæsaris Caroli quinti parent imperio. Mediam Galliæ regionem obtinent Bituriges, æquali propè spacio vndique dirempti à finibus. Tenent igitur hodie Galliarum Reges omnem Aquitaniam & Celticam præter Heluetios & Comitatum Burgundiam, quos Gallorum siue Celtarum

nomine

nomine Cæsar comprehendit: Belgica verò partem, à Sequana & Matrona possident usque ad Atrebates & Pleumosios, siue Flandros, & Neruios, & ad Mosam flumen. Tenent prater Ruscinonensem agrum, Narbonensem omnem prouinciam, & quicquid est trans Rhodanum, &c; ad Allobroges & Taurinos, quorum tamen maximam partē Franciscus primus ante annos nouem bello cepit. Guienna & Vasconia propriè ad Aquitaniam pertinent, & eo solo nomine censebantur olim. Quo loco igitur mentio fit in Commentarijs, Ludouicum Regem fratri suo dedisse partem Aquitaniæ: hoc de Guienna solùm, non autem de Vasconia intelligendum est. Languedocia, pars est prouinciæ Galliæ, sicut Cæsar & antiquitus illam vocarunt. Eam verò partem, quæ est trans Rhodanum, versus mare mediterraneum, &c; ad Liguriæ montes, Galli peculiariter hodie vocant Prouinciam. In ea sunt Auenio, & Aquæ Sextiæ, & Massilia, & Arelate, & Tollonum. Britānia minor, sic appellata propter maiorem, nempe Angliā, eas cōtinet ciuitates, quas Cæsar vocat Armoricas. Totius autem Galliæ longè maximæ sunt & opulentissimæ, Normannia & Britannia. Earū extremi fines, sicut & Picardiæ, & Xanthonū, & Guienna, & Vasco-

nia, pertinent ad Oceanũ: Languedocia verò & Prouincia Massiliensis, ad mare mediterraneum. Normanniam à multis iam temporibus Galliæ Reges tenent. Burgundiam & Prouinciam quẽadmodum Ludouicus vndecimus acquisierit, ex his commẽtarijs notum est: Britanniam Carolus octauus adiunxit, quando Francisci Ducis filiam vnicam, Annam, vxorem duxit, quam deinde Ludouicus duodecimus, quum nulla Carolo superesset proles, in matrimonio habuit. Borboniam & Aruerniam, Franciscus primus, ob Caroli, earum regionum Principis defectionem ad Cæsarem, sibi vendicauit. Gallica lingua (qui nũc est illius vsus) principatum obtinent hodie Parisienses, Aurelianí, Carnutes, Turones. Ab ijs nonnihil variant Normanni, & aliquantò magis Picardi, ac Burgundiones, præsertim accentu. Britãnia pars illa, quæ est Andibus propinqua, minimũ differt. Interior autem illa prorsus alio sermone vtitur, sicut & Vascones, & Aquitani, & Lãguedocij, & Prouinciales, qui ad Italicã magis accedunt. In iudicijs autem publicis & senatibus, purè loquuntur omnes ac scribunt Gallicè, quanquam forensis ille stylus à Latina lingua maximam partem mutuatur.

Diximus anteà de Paribus Frãciæ. Ad eorum

rum arbitriũ & iudicium redit omnium rerũ & consiliorum summa, & constituẽdi regis, cùm de successione est controuersia, potestatẽ isti habẽt, vt accidisse videmus in Philippo Valesio. Sunt autẽ numero 12, antiquitùs instituti, vt ipsorũ inprimis cõsilio regis terẽtur, quẽadmodũ in Germania sunt Principes Electores, dignitate & gradu cæteris potiores. Ex ijs tres sunt Duces, Burgũdus, Normannus, Guiennus seu Aquitanus: Comites verò totidẽ, Flandriæ, Cãpaniæ, Tholosæ: Deinde sex Episcopi, Rhemensis, Laudunẽsis, Lingonensis, Nouiodunus, Bellouacus & Catalaunus. Ex priori ordine nulli hodie supersunt, præter Flandriæ Comitẽ. A multis enim annis, Normanniã, & Guiennã, & Campaniam, & Tholosanã ditionẽ, & à morte Caroli Ducis, Burgundiam tenent Galliarũ Reges, ac patrimonio suo coniunxerunt, Flãdria sola restat, quam Carolus quintus Cæsar, superioribus annis, quando cũ Francisco Valesio rege, Madricij, & posteà Cameraci pactus fuit, exemit à fide, qua Gallia priùs erat obstricta. Nã illinc ad Senatũ Parisiensem prouocari solebat, sicut octauo libro recitatur de Burgundiæ Cãcellario & Imbercorto, qui capitis dãnati à Gandauensibus, appellationem illam interponebant. Nunc autem, quando

Franciscus primus ei iuri cessit, prouocationes omnes, vel Atrebatum vel Mechliniam deferuntur. Porrò, tametsi nulli extant Pares: tamen cùm aliquid solenne peragitur, euocãtur alij Principes, qui sint ipsorum loco, quẽadmodùm quo tempore Ludouicus duodecimus, proximus ante hunc, regno fuit inauguratus: Dux Alenconius, & Borbonius, & Lotharingus, & Cliuensis, & Raulestenus, & Comes Fossensis repræsentabant sex illos primi ordinis. Quantũ ad reliquos pertinet, ij quoniã sunt Ecclesiastici: manent immoti.

De senatu quoque Parisiensi, & eius authoritate, mentio fit in his Commentarijs, libro 3. Sunt omninò septẽ eiusmodi senatus per Galliam, (ipsi Parlamenta vocant) à quibus prouocare non licet, & ad quos ab omnibus alijs iudicijs appellatur. Ii sunt Parisiensis, Tholosanus, Rothomagẽsis, Diuionensis, Burdegalicus, Aquensis in Prouincia, & Gratianopolitanus in Delphinatu. His omnibus stipendia Rex præbet. De causis omnibus & criminibus isti cognunt, & quod à singulis definitum fuerit, est standum est. Omnium autem latissimè patet, ac amplissimam iurisdictionem habet Parisiensis. In eum aliquando venire solent ipsi Reges, quoties aliquid magni decernere volunt, quemadmodùm ante

annos

annos octo, mense Ianuario, Franciscus primus, bellum illaturus Carolo Cæsari, venit eò, & per aduocatum suum expositis, quas ab illo sibi factas dicebat, iniurijs, demõstrabat, bellum sibi necessariò suscipiendum esse, vt Flandriam & Artesiam, quæ nunc illius vitio & culpa ad se pertineant, recuperaret, & Gallia rursus, è qua prodijssent aliquando, coniungeret. Olim ista referebantur ad publicos conuentus ordinum. Ii quoniam abolitisunt, aliquod adhuc eius rei vestigiũ manet, dum ad eum senatum itur: quod tamen rarissimè nunc fieri consueuit, quando solus Rex pro suo iudicio quiduis decernit. Illud autem adhuc frequẽs est ac vsitatum, vt pactiones Regum, & quicquid omnino ad regni constitutionem pertinet, in eo recitetur, & scriptis publicis, quorum ipsi custodiam habent, inseratur.

Et quoniam ad Galliæ descriptionẽ ventum est: non erit alienum adijcere aliquid de fluminibus quibus irrigatur. Ex ijs prima & maxima sunt, Matrona, Sequana, Ligeris, Arar, Rhodanus & Garumna: Deinde Somia, Iona, Elauer, Alabis, Axona, Osia, Druensia, Isara. Mosam & Mosellam non ponã in eo numero. Nam etsi in Galliis, prout à Cæsare illa describitur, originẽ habẽt: nempe

ex Vogeſo monte: tamẽ quoniam extra Francia Regum fines labuntur: non huc propriè pertinent. Scaldem eadem de cauſa nõ pono, qui propè Veromanduos ortus, perq; Neruios & Flandros decurrens, non in Moſam, vt Cæſar ait, ſed milliaribus aliquot infra Antuerpiam, in Oceanũ illabitur. Dubis etiã, quem Cæſar Alduaſdalim vocat, non debet huc referri: qui ſupra Veſontionem ortus, prope Virodunos, Ararí ſeſe coniungit. Matrona ortũ habet ex Lingonibus: Labitur per Campaniam, & duobus ſupra Lutetiam milliaribus, in Sequanam influit. Sequana prouenit ex Burgũdico Ducatu, interlabitur Lutetiam, alluit Rothomagum, deinde voluitur in Oceanum. Ligeris oritur in Aruernia, & longiſſimè profluens, infra Nanetes, in Oceanum exit. Arar ſcatet ex diuerſa parte Vogeſimõtis, & lapſus per Burgundiam, paſſibus aliquot infra Lugdunum Rhodano miſcetur. Rhodanus ſupra Sedunos æmanãs, & per lacum Lemanum deuectus, vbi Lugdunũ præterijt, ad meridiem cõuerſus, incredibili rapiditate, infra Arelaten, duobus oſtiis in mare mediterraneum ſeſe eijcit, Iſara tamen & Druentia priùs receptis. Garumna deſcẽdit ex Pyrenæis montibus: allabitur Tholoſam, et prope Burdegalam exonerat in Oceanum.

Iona

Iona & Albis & Osia, sed hæc priùs aucta flumine Axona, commiscētur Sequanæ. Elauer ex Aruernis profluens, in Ligerim desinit. De Somia satis dictum est in Commentarijs: Influit in Oceanum. Multi sunt alij amnes atq; riui, sed obscuriores. Ii verò, quos diximus, tā secundi, quàm primi ordinis, nauigantur omnes. Cæterùm in Rhemorum vrbe, Galliarum reges inaugurantur. Clodouæus rex, qui ante annos mille & triginta mortuus est, omnium primus religionem Christianā complexus fuit, vt ipsorum scripta narrant, & cælitùs tunc inter alia dicitur allata fuisse pyxis olei plena, quo deinceps inungerentur reges. Hoc etiam obiter annotare volui, quoniā eius olei mentio fit libro 9. Alterū cuius te, lector, admonendū putaui illud est: In his Cōmentarijs vti me vulgaribus atq; protritis vocibus honorū, ordinum atq; dignitatū, cuiusmodi sunt, Dux, Marchio, Cōmes, Ducatꝰ, Comitatus, Cancellarius, Mareschallus, Conestablius, Ammiralius, Cardinalis, Eremita, Canonicus, Officialis, Delphinus, Abbatia, & alicubi Francorū nomē, quod moneta genus est apud Gallos. Bini paulò minùs aureo coronato æstimātur. His autem vocabulis vtendū est nobis etiā inuitis, nisi magnā velimus inducere scriptis obscuritatē: & vten-

dum est, donec doctorum hominum approbatione & consensu, meliora fuerint inuenta & lege sancita. Pleraq; omnia quid sibi velint, vulgò notum est. Propter imperitos autem rerum Gallicarum, nonnulla sunt explicanda. Mareschallos quatuor habet Gallia, qui sunt velut magistri equitum, & ad eos introducũtur lites rei militaris. Iis omnibus praest Conneſtablius, quo non alius est amplior aut magnificentior honos. Eum dignitatis gradum, superioribus annis, apud Franciscum primum obtinuit Carolus Borbonia dux, qui ad Caesarem posteà defecit. Principibus autem propriè cõuenit hoc munus: verùm quia per se magnum est & eximium, reges plerumq; tribuunt illud hominibus mediocri conditione & nobilitate, quos facilè cohibeant, & qui ex humili loco ad summam dignitatem perducti, magis ipsos reuereantur. Et sicut isti ferè sunt acceptiores Regibus: ita vicissim aliqui ordines, ac nobilitas potissimùm, malunt Principẽ aliquem ad eã rem deligi. Nã iis, qui sunt ex illustribus nati familijs, vehemẽter dolet, cùm tenuiores homines praferri sibi vident, & eorũ coguntur imperio parere. Ac multis calamitosum sapè fuit, munus hoc administrare, quos alioqui conditio mediocris poterat inuidia &

peri-

periculo subducere. Sed incidit aliquando tempus, quo nullus est Connestablius: & post Caroli Borbonia Ducis defectionē, per quatuordecim annos, ac eò amplius, nullum Frāciscus rex creauit. Ad Ammirallium pertinet omnis procuratio & disceptatio rei maritimæ & classis regiæ, sic vt Connestablius quodammodò sit legatus Regis, quum bellum terra geritur: Ammirallius autem maritimo bello præsit. Sed totum hoc in Regis arbitrio positum est, qui illorum opera, quibus in locis visum ei fuerit, vtitur. Delphinū Galli vocāt, aut natu maximum Regis filium: aut si non sit filius, designatum Regē, hoc est, eum, qui Regi successurus est, ob generis propinquitatem. Ad hunc propriè pertinet ea regio, quæ Delphinatus dicitur. Vtor etiam cōsuetis & hodie receptis oppidorum & regionum nominibus, vt omnia sint magis plana. Quod nunc Camaracum dicitur, à Cæsare Samarobrinam putant esse vocatam: Caletum ille portum Iccium vocat, tametsi & Caletorum meminit. Eburones dicuntur esse Leodienses. Menapij, sunt Cliuenses, Iuliacenses, & Gheldri. Ego ne quid relinquerem obscuri, malui vulgaribus vti. Et hæc pauca solùm, exēpli causa posui, vt et de reliquis idem æstimetur, & ne quis conqueratur, neglectā esse

à me antiquitatem. Cataphractorũ frequens admodum fit mentio, & necessariò quidem ea voce nobis vtendum est. Et sicut Cæsar vocat ephippiatos equites, qui sellis insident inter equitandum: ita nos eos equites, qui toto corpore sunt armati, cataphractos vocamus, Græco nomine, quia Latino destituimur. Libro tertio per occasionem fit mentio Comitis Veromanduorum: is fuit Herbertus, qui Carolum Simplicem, Galliæ regem, Perona, per proditionem, dum simularet amicitiam, cepit, ac in carcere per biennium & eò plùs detinuit, donec ille moreretur. Eduardus Angliæ rex, cuius frequentem mentionem autor facit, est eius nominis quartus. Ei successit filius eiusdem nominis, quem Richardus patruus deinde necauit, occupata regni possessione. Richardum eiecit Henricus septimus, pater Henrici octaui, nunc Angliæ regis. De milliaribus quoties mentio fit, illud intelligendum est, pro cuiusq; regionis modo & consuetudine. Postremò, quam interpretãdi rationem in hoc opere sim secutus, facilè quiuis, vt puto, iudicabit. Non astrinxi me vlli seruituti, & hoc solum spectaui, vt quàm verissimè expressam sententiam familiari & proprio sermone Latino redderem. De rebus Anglicis author quiddam prolixiùs recitat:

verùm,

Verùm, ne seriem narrationis impeditam redderem, paucioribus illud, libro quarto explicaui. Author etiam per capita suum opus est partitus: ego verò per libros, vbicunq; argumenti qualitas id visa fuit postulare. Ad hæc, vbi de bello scribit, quod à morte Caroli, rex per Auraica. Principem in Burgundia gerebat, expatiatur in locos communes, ac multas interserit illustres sententias. Verùm ne perturbaretur ordo, in finem operis totum hoc reieci. In reliquis omnibus nihil est immutatum. Quicquid autem in eo consumptum est opera & laboris: Germaniæ, hoc est, patriæ totum est impensum, cui talium rerum cognitionem opinor posse prodesse. Quo magis spero, gratum pleriſque futurum esse hoc meum officiũ. Ea verò quæ hic explicandæ causa historiæ subieci, veritate nituntur, & ex fide recitata sunt omnia, quod facilè agnoscent Gallicarum rerum non imperiti. Vale. Argentinæ XXII. Febr. M. D. XLV.

PHILIPPI COMINÆI, EQVITIS, DE CAROLO OCTAVO, GALLIÆ Rege, & bello Neapolitano, Commentarij.

Ioanne Sleidano interprete.

Acceßit breuis quædam explicatio rerum, & authoris vita.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, EDVARDO, DVCI SOMERSETI, Comiti Herfordenſi, gubernatori, & regnorum atque ditionum omnium Sereniſſimi Angliæ Regis, protectori, & eiuſdem terra mariſque legato ſummo, Ioannes Sleidanus S. D.

QVI *hoc genus libris præfantur, illuſtriſſime Princeps, multa ſolent in hiſtoriæ laudem recitare: ſed quoniam & Marci Tullij extat honorificum eius rei teſtimonium, quod eſt inſtar multorum,*

rum, & alioqui satis perspectum est omnibus, quàm sit hæc eruditionis pars nõ iucunda modò, sed vtilis etiam & vitæ ciuili necessaria, temperabo mihi, nec aliquid adducam præterea. Hoc autem præcipuè spectari solet in eo scripti genere, vt nihil, quod falsum sit, admisceatur, vt nullius affectus appareat vestigium, vt eorum, qui rem gẽsserunt, consilia, patefiant. Sed istud est perpaucorum, & qui præstare illa velit, vt certè præstanda sunt, eum & magna quadam esse virtute præditum, & vel præfuisse rebus vel interfuisse, vel ex aliorum diligenti ac vera commemoratione rem omnem cognouisse oportet. Iam, qui sua ipsi conscribunt, vt C. Cæsar fecit, summam vt adhibeant dexteritatem, opus est. Vix enim fieri potest, vt non ad suam laudem omnia referre, aduersariis autem detrahere aliquid videantur. Idem ferè iis accidit, qui cum imperatore aut belli duce rebus interfuerunt. Si quid

enim fœliciter gestum est, admodùm exornant & amplificant, oratoribus in eo non dissimiles, & in hoc toti incumbunt, vt quam secuti sunt causam atque personam, eam quocunque modo celebrent ac illustrem efficiant. Qui verò longè remoti à negociis, priuatam vitam agunt, & fidem alienam scribendo sequuntur, in iis non tam affectuum moderatio, quàm veritas desiderari potest. Et huius quidẽ generis propè sunt omnes historiæ, præsertim recentiores. Quo magis etiam videri potest, quàm non temerè pleraque id genus scripta in suspicionem veniant ac fide careant. Scripsit rerum suarum commentarios C. Cæsar, vt suprà diximus: eos hoc nomine potissimùm laudat Cicero: quòd sint nudi, recti & venusti, omni ornatu orationis tanquam veste detracta. Cùm enim sua ipse facta cogitaret ad posteritatẽ transmittere, diligenter & inprimis cauendum sibi putauit, ne quid exaggeraret, néve

néve aliquid sibi per arrogantiam ascriberet: quos autem oppugnasset, eorum inuidere laudibus videri posset. Hanc igitur illius effigiem vt optimam atque probatissimam sibi proponant, qui simile tractabunt argumẽtum. In Sallustium autem intueri debent, qui non sua quidem ipsi, verùm aliena describunt. Erat hic M. Tullio parum amicus, & tamen singularem illius virtutem, industriam, vigilantiam, in extinguendo reipublicæ incendio, summa fide prædicat, nec vllam maleuolentiæ significationem ostendit. Quàm verò non multi hanc scribendi rationem sibi proponant, res ipsa per se loquitur, & libri atq; monumenta satis declarãt. Quotus enim quisque est, qui non & incomperta sæpenumero literis mandet & affectum prodat? qua quidem in re multiplex est peccatum, & vbicunq; illud deprehẽditur, iure optimo scriptori fides ac authoritas derogari potest. Quid enim mendacio turpius? quid

nia, pertinent ad Oceanũ: Languedocia verò & Prouincia Maßilienſis, ad mare mediterraneum. Normanniam à multis iam temporibus Gallia Reges tenent. Burgundiam & Prouinciam quẽadmodum Ludouicus vndecimus acquiſierit, ex his commẽtarijs notum eſt: Britanniam Carolus octauus adiunxit, quando Franciſci Ducis filiam vnicam, Annam, vxorem duxit, quam deinde Ludouicus duodecimus, quum nulla Carolo ſupereſſet proles, in matrimonio habuit. Borboniam & Aruerniam, Franciſcus primus, ob Caroli, earum regionum Principis defectionem ad Cæſarem, ſibi vendicauit. Gallica lingua (qui nũc eſt illius vſus) principatum obtinent hodie Pariſienſes, Aurelianj, Carnutes, Turones. Ab ijs nonnihil variant Normanni, & aliquantò magis Picardi, ac Burgundiones, præſertim accentu. Britãnia pars illa, quæ eſt Andibus propinqua, minimũ differt. Interior autem illa prorſus alio ſermone vtitur, ſicut & Vaſcones, & Aquitani, & Lãguedocij, & Prouinciales, qui ad Italicã magis accedunt. In iudicijs autem publicis & ſenatibus, purè loquuntur omnes ac ſcribunt Gallicè, quanquam forenſis ille ſtylus à Latina lingua maximam partem mutuatur.

Diximus anteà de Paribus Frãcia. Ad eorum

rum arbitriũ & iudicium redit omnium rerũ & consiliorum summa, & constituẽdi regis, cùm de successione est controuersia, potestatẽ isti habẽt, vt accidisse videmus in Philippo Valesio. Sunt autẽ numero 12, antiquitus instituti, vt ipsorũ inprimis cõsilio regis vteretur, quẽadmodũ in Germania sunt Principes Electores, dignitate & gradu cæteris potiores. Ex ijs tres sunt Duces, Burgũdus, Normannus, Guiennus seu Aquitanus: Comites verò totidẽ, Flandriæ, Cãpaniæ, Tholosæ: Deinde sex Episcopi, Rhemensis, Laudunẽsis, Lingonensis, Nouiodunus, Bellouacus & Catalaunus. Ex priori ordine nulli hodie supersunt, præter Flandriæ Comitẽ. A multis enim annis, Normanniã, & Guiennã, & Campaniam, & Tholosanã ditionẽ, & à morte Caroli Ducis, Burgundiam tenent Galliarũ Reges, ac patrimonio suo coniunxerunt, Flãdria sola restat, quam Carolus quintus Cæsar, superioribus annis, quando cũ Francisco Valesio rege, Madricij, & posteà Cameraci pactus fuit, exemit à fide, qua Gallia priùs erat obstricta. Nã illinc ad Senatũ Parisiensem prouocari solebat, sicut octauo libro recitatur de Burgundiæ Cãcellario & Imbercorto, qui capitis dãnati à Gandauensibus, appellationem illam interponebant. Nunc autem, quando

Franciſcus primus ei iuri ceſſit, prouocationes omnes, vel Atrebatum vel Mechliniam deferuntur. Porrò, tametſi nulli extant Pares: tamen cùm aliquid ſolenne peragitur, euocãtur alij Principes, qui ſint ipſorum loco, quẽadmodùm quo tempore Ludouicus duodecimus, proximus ante hunc, regno fuit inauguratus: Dux Alenconius, & Borbonius, & Lotharingus, & Cliuenſis, & Raueſtenus, & Comes Foſſenſis repraſentabant ſex illos primi ordinis. Quantũ ad reliquos pertinet, ÿ quoniã ſunt Eccleſiaſtici: manent immoti.

De ſenatu quoque Pariſienſi, & eius authoritate, mentio fit in his Commentarijs, libro 3. Sunt omninò ſeptẽ eiuſmodi ſenatus per Galliam, (ipſi Parlamenta vocant) à quibus prouocare non licet, & ad quos ab omnibus alijs iudicijs appellatur. Ii ſunt Pariſienſis, Tholoſanus, Rothomagẽſis, Diuionenſis, Burdegalicus, Aquenſis in Prouincia, & Gratianopolitanus in Delphinatu. His omnibus ſtipendia Rex prabet. De cauſis omnibus & criminibus iſti cognunt, & quod à ſingulis definitum fuerit, ei ſtandum eſt. Omnium autem latiſſimè patet, ac ampliſſimam iuriſdictionem habet Pariſienſis. In eum aliquando venire ſolent ipſi Reges, quoties aliquid magni decernere volunt, quemadmodùm ante

annos

annos octo, mense Ianuario, Franciscus primus, bellum illaturus Carolo Cæsari, venit eò, & per aduocatum suum expositis, quas ab illo sibi factas dicebat, iniurijs, demõstrabat, bellum sibi necessariò suscipiendum esse, vt Flandriam & Artesiam, quæ nunc illius vitio & culpa ad se pertineant, recuperaret, & Gallia rursus, è qua prodijssent aliquando, coniungeret. Olim ista referebantur ad publicos conuentus ordinum. Ii quoniam abolitisunt, aliquod adhuc eius rei vestigiũ manet, dum ad eum senatum itur: quod tamen rarissimè nunc fieri consueuit, quando solus Rex pro suo iudicio quiduis decernit. Illud autem adhuc frequẽs est ac vsitatum, vt pactiones Regum, & quicquid omnino ad regni constitutionem pertinet, in eo recitetur, & scriptis publicis, quorum ipsi custodiam habent, inseratur.

Et quoniam ad Gallia descriptionẽ ventum est: non erit alienum adijcere aliquid de fluminibus quibus irrigatur. Ex ijs prima & maxima sunt, Matrona, Sequana, Ligeris, Arar, Rhodanus & Garumna: Deinde Somia, Iona, Elauer, Alabis, Axona, Osia, Druensia, Isara. Mosam & Mosellam non ponã in eo numero. Nam etsi in Gallijs, prout à Cæsare illa describitur, originẽ habẽt: nempe

ex Vogeſo monte: tamẽ quoniam extra Francia Regum fines labuntur: non huc propriè pertinent. Scaldem eadem de cauſa nõ pono, qui propè Veromanduos ortus, perq; Neruios & Flandros decurrens, non in Moſam, vt Cæſar ait, ſed milliaribus aliquot infra Antuerpiam, in Oceanũ illabitur. Dubis etiã, quem Cæſar Alduaſdalim vocat, non debet huc referri: qui ſupra Veſontionem ortus, prope Virodunos, Arari ſeſe coniungit. Matrona ortũ habet ex Lingonibus: Labitur per Campaniam, & duobus ſupra Lutetiam milliaribus, in Sequanam influit. Sequana prouenit ex Burgũdico Ducatu, interlabitur Lutetiam, alluit Rothomagum, deinde voluitur in Oceanum. Ligeris oritur in Aruernia, & longiſſimè profluens, infra Nanetes, in Oceanum exit. Arar ſcatet ex diuerſa parte Vogeſimõtis, & lapſus per Burgundiam, paſſibus aliquot infra Lugdunum Rhodano miſcetur. Rhodanus ſupra Sedunos emanãs, & per lacum Lemanum deuectus, vbi Lugdunũ præterijt, ad meridiem cõuerſus, incredibili rapiditate, infra Arelaten, duobus oſtiis in mare mediterraneum ſeſe eijcit, Iſara tamen & Druentia priùs receptis. Garumna deſcẽdit ex Pyrenæis montibus: allabitur Tholoſam, et prope Burdegalam exonerat in Oceanum.

Iona

Iona & Albis & Osia, sed hæc priùs aucta flumine Axona, commiscētur Sequanæ. Elauer ex Aruernis profluens, in Ligerim desinit. De Somia satis dictum est in Commentarijs: Influit in Oceanum. Multi sunt alij amnes atq; riui, sed obscuriores. Ii verò, quos diximus, tā secundi, quàm primi ordinis, nauigantur omnes. Caterùm in Rhemorum vrbe, Galliarum reges inaugurantur. Clodouæus rex, qui ante annos mille & triginta mortuus est, omnium primus religionem Christianā complexus fuit, vt ipsorum scripta narrant, & cælitùs tunc inter alia dicitur allata fuisse pyxis olei plena, quo deinceps inungerentur reges. Hoc etiam obiter annotare volui, quoniā eius olei mentio fit libro 9. Alterū cuius te, lector, admonendū putaui illud est: In his Cōmentarijs vti me vulgaribus atq; protritis vocibus honorū, ordinum atq; dignitatū, cuiusmodi sunt, Dux, Marchio, Comes, Ducatꝰ, Comitatus, Cancellarius, Mareschallus, Conneſtablius, Ammiralius, Cardinalis, Eremita, Canonicus, Officialis, Delphinus, Abbatia, & alicubi Francorū nomē, quod moneta genus est apud Gallos. Bini paulò minùs aureo coronato æstimātur. His autem vocabulis vtendū est nobis etiā inuitis, nisi magnā velimus inducere scriptis obscuritatē: & vten-

dum est, donec doctorum hominum approbatione & consensu, meliora fuerint inuenta & lege sancita. Pleraq; omnia quid sibi velint, vulgò notum est. Propter imperitos autem rerum Gallicarum, nonnulla sunt explicanda. Mareschallos quatuor habet Gallia, qui sunt velut magistri equitum, & ad eos introducũtur lites rei militaris. Iis omnibus praest Conneſtablius, quo non alius est amplior aut magnificentior honos. Eum dignitatis gradum, superioribus annis, apud Franciscum primum obtinuit Carolus Borbonia dux, qui ad Caesarem posteà defecit. Principibus autem propriè cõuenit hoc munus: verùm quia per se magnum est & eximium, reges plerumq; tribuunt illud hominibus mediocri conditione & nobilitate, quos facilè cohibeant, & qui ex humili loco ad summam dignitatem perducti, magis ipsos reuereantur. Et sicut isti ferè sunt acceptiores Regibus: ita vicissim aliqui ordines, ac nobilitas potissimùm, malunt Principẽ aliquem ad eã rem deligi. Nã iis, qui sunt ex illustribus nati familijs, vehemẽter dolet, cùm tenuiores homines praferri sibi vident, & eorũ coguntur imperio parêre. Ac multis calamitosum sapè fuit, munus hoc administrare, quos alioqui vita conditio mediocris poterat inuidia &

peri-

periculo ſubducere. Sed incidit aliquando tempus, quo nullus eſt Conneſtablius: & poſt Caroli Borbonia Ducis defectionē, per quatuordecim annos, ac eò amplius, nullum Frā-ciſcus rex creauit. Ad Ammirallium pertinet omnis procuratio & diſceptatio rei maritimæ & claſsis regiæ, ſic vt Conneſtablius quodammodò ſit legatus Regis, quum bellum terra geritur: Ammirallius autem maritimo bello præſit. Sed totum hoc in Regis arbitrio poſitum eſt, qui illorum opera, quibus in locis vſum ei fuerit, vtitur. Delphinū Galli vocāt, aut natu maximum Regis filium: aut ſi non ſit filius, deſignatum Regē, hoc eſt, eum, qui Regi ſucceſſurus eſt, ob generis propinquitatem. Ad hunc propriè pertinet ea regio, quæ Delphinatus dicitur. Vtor etiam cōſuetis & hodie receptis oppidorum & regionum nominibus, vt omnia ſint magis plana. Quod nunc Cameracum dicitur, à Cæſare Samarobrinam putant eſſe vocatam: Caletum ille portum Iccium vocat, tametſi & Caletorum meminit. Eburones dicuntur eſſe Leodienſes. Menapij, ſunt Cliuenſes, Iuliacenſes, & Gheldri. Ego ne quid relinquerem obſcuri, malui vulgaribus vti. Et hæc pauca ſolùm, exēpli cauſa poſui, vt et de reliquis idem æſtimetur, & ne quis conqueratur, neglectā eſſe

à me antiquitatem. Cataphractorũ frequens admodum fit mentio, & necessariò quidem ea voce nobis vtendum est. Et sicut Cæsar vocat ephippiatos equites, qui sellis insident inter equitandum: ita nos eos equites, qui toto corpore sunt armati, cataphractos vocamus, Græco nomine, quia Latino destituimur. Libro tertio per occasionem fit mentio Comitis Veromanduorum: is fuit Herbertus, qui Carolum Simplicem, Galliæ regem, Peronæ, per proditionem, dum simularet amicitiam, cepit, ac in carcere per biennium & eò plùs detinuit, donec ille moreretur. Eduardus Angliæ rex, cuius frequentem mentionem autor facit, est eius nominis quartus. Ei successit filius eiusdem nominis, quem Richardus patruus deinde necauit, occupata regni possessione. Richardum erecit Henricus septimus, pater Henrici octaui, nunc Angliæ regis. De milliaribus quoties mentio fit, illud intelligendum est, pro cuiusq; regionis modo & consuetudine. Postremò, quam interpretãdi rationem in hoc opere sim secutus, facilè quiuis, vt puto, iudicabit. Non astrinxi me vllis seruituti, & hoc solum spectaui, vt quàm verissimè expressam sententiam familiari & proprio sermone Latino redderem. De rebus Anglicis author quiddam prolixiùs recitat: Verùm,

Verùm, ne seriem narrationis impeditam redderem, paucioribus illud, libro quarto explicaui. Author etiam per capita suum opus est partitus: ego verò per libros, vbicunq; argumenti qualitas id visa fuit postulare. Ad hæc, vbi de bello scribit, quod à morte Caroli, rex per Auraica. Principem in Burgundia gerebat, expatiatur in locos communes, ac multas interserit illustres sententias. Verùm ne perturbaretur ordo, in finem operis totum hoc reieci. In reliquis omnibus nihil est immutatum. Quicquid autem in eo consumptum est operæ & laboris: Germaniæ, hoc est, patriæ totum est impensum, cui talium rerum cognitionem opinor posse prodesse. Quo magis spero, gratum plerisque futurum esse hoc meum officiũ. Ea verò quæ hic explicandæ causa historiæ subieci, veritate nituntur, & ex fide recitata sunt omnia, quod facilè agnoscent Gallicarum rerum non imperiti. Vale. Argentinæ XXII. *Febr.* M. D. XLV.

PHILIPPI COMINÆI, EQVITIS, DE CAROLO OCTAVO, GALLIÆ Rege, & bello Neapolitano, Commentarij.

Ioanne Sleidano interprete.

Acceßit breuis quædam explicatio rerum, & authoris vita.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, EDVARDO, DVCI SOMERSETI, Comiti Herfordenſi, gubernatori, & regnorum atque ditionum omnium Sereniſſimi Angliæ Regis, protectori, & eiuſdem terra mariſque legato ſummo, Ioannes Sleidanus S. D.

QVI *hoc genus libris præfantur, illuſtriſſime Princeps, multa ſolent in hiſtoriæ laudem recitare: ſed quoniam & Marci Tullij extat honorificum eius rei teſtimonium, quod eſt inſtar multorum,*

rum, & alioqui satis perspectum est omnibus, quàm sit hæc eruditionis pars nõ iucunda modò, sed vtilis etiam & vitæ ciuili necessaria, temperabo mihi, nec aliquid adducam præterea. Hoc autem præcipuè spectari solet in eo scripti genere, vt nihil, quod falsum sit, admisceatur, vt nullius affectus appareat vestigium, vt eorum, qui rem gesserunt, consilia, patefiant. Sed istud est perpaucorum, & qui præstare illa velit, vt certè præstanda sunt, eum & magna quadam esse virtute præditum, & vel præfuisse rebus vel interfuisse, vel ex aliorum diligenti ac vera commemoratione rem omnem cognouisse oportet. Iam, qui sua ipsi conscribunt, vt C. Cæsar fecit, summam vt adhibeant dexteritatem, opus est. Vix enim fieri potest, vt non ad suam laudem omnia referre, aduersariis autem detrahere aliquid videantur. Idem ferè iis accidit, qui cum imperatore aut belli duce rebus interfuerunt. Si quid

enim fœliciter gestum est, admodùm exornant & amplificant, oratoribus in eo non dissimiles, & in hoc toti incumbunt, vt quam secuti sunt causam atque personam, eam quocunque modo celebrent ac illustrem efficiant. Qui verò longè remoti à negociis, priuatam vitam agunt, & fidem alienam scribendo sequuntur, in iis non tam affectuum moderatio, quàm veritas desiderari potest. Et huius quidẽ generis propè sunt omnes historiæ, præsertim recentiores. Quo magis etiam videri potest, quàm non temerè pleraque id genus scripta in suspicionem veniant ac fide careant. Scripsit rerum suarum commentarios C. Cæsar, vt suprà diximus: eos hoc nomine potissimùm laudat Cicero: quòd sint nudi, recti & venusti, omni ornatu orationis tanquam veste detracta. Cùm enim sua ipse facta cogitaret ad posteritatẽ transmittere, diligenter & inprimis cauendum sibi putauit, ne quid exaggeraret, néve

néve aliquid sibi per arrogantiam ascriberet: quos autem oppugnasset, eorum inuidere laudibus vìderi posset. Hanc igitur illius effigiem vt optimam atque probatissimam sibi proponant, qui simile tractabunt argumẽtum. In Sallustium autem intueri debent, qui non sua quidem ipsi, verùm aliena describunt. Erat hic M. Tullio parum amicus, & tamen singularem illius virtutem, industriam, vigilantiam, in extinguendo reipublicæ incendio, summa fide prædicat, nec vllam maleuolentiæ significationem ostendit. Quàm verò non multi hanc scribendi rationem sibi proponant, res ipsa per se loquitur, & libri atq; monumenta satis declarãt. Quotus enim quisque est, qui non & incomperta sæpenumero literis mandet & affectum prodat? qua quidem in re multiplex est peccatum, & vbicunq; illud deprehẽditur, iure optimo scriptori fides ac authoritas derogari potest. Quid enim mendacio turpius? quid

intolerabilius, in eo præsertim genere? Omitto quàm ferè nulli consilia rerum & deliberationes in medium adducant. Hoc enim illis modò conceditur, qui rebus ipsimet tractandis adsunt: & hi quidem omnium perfectissimè scribere possunt: si iudicio non sint destituti, si quem oportet, eum sibi propositum habeant scopum: si fauori, gratiæ, odio, inimicitiæ nihil tribuant, sed verum per omnia sequantur, quod proprium est viri boni. Nam qui scriptis innotescere volũt, quicumque tandem illi sint, omni prorsus ambitione vacare, & hoc solum spectare debent, quemadmodùm lectorem efficiãt cum eruditiorem, tum meliorem. Inter eos verò, qui rationem hanc secuti sint, & diligenter expresserint, paucos quidem illos, verè ac suo quodam iure censeri potest Philippus Cominæus nobili genere natus, & summæ vir dignitatis. Hic Latinè quidem leuiter doctus, verùm ingenij dexteritate summa præditus,

ditus Ludouici vndecimi Galliæ Regis, eiusq; filij Caroli octaui res bello gestas, populari sermone memoriæ prodidit, minimè sanè vulgari, sed eiusmodi exemplo, quod omnes, qui laudem aliquam ex hoc genere scriptionis parare sibi volunt, imitentur. Primùm enim, legatus fuit viriusque Regis ad diuersos potentissimosq; Principes, & magnam negociorum partem administrauit ipse, nec opus ei fuit, vt ex aliorum sermone penderet. Deinde, fuit in eo singularis naturæ bonitas & prudentia: & quoniam incidit in tempus ac vitæ genus valdè tumultuosum & inquietum, putauit ea quæ comperisset, communicanda esse posteris præsertim ijs, qui reipublicæ præessent, ideoq; magnarum rerum consilia & deliberationes accuratissimè notauit, & fauoris atque gratiæ ne minimam quidem rationem habuit. Nec enim suæ gentis homines, ne reges quidem ipsos, à quibus auctus fuit & ornatus, laudat,

nisi cùm res ipsa flagitat, imò frequẽter, quibus in rebus peccarint, nec officium suum fecerint, demonstrat, vbique sui similis, nec vnquam boni viri personam deponit, & crebras habet easq; firmas sententias, & cum in ipsa narratione aliquid occurrit memorabile, lectorem, in primis autem Principes adolescentes appellat, vt animum adijciant, & quod aliis vel calamitosum fuit vel minùs honestum, ab eo sibi diligenter vt caueant, hortatur, & quid ipsorum officij sit, liberè grauiterq; monet. Hæc ego quidem de illo, non nimiũ prolixè, at verè tamen, & virtutẽ eius ipsámet lectio magis abũdè declarabit. Quòd autem eiusmodi scriptorem, in Latinam linguam à me versum tibi nuncupandum esse duxi, Clarissime Princeps, facit eius muneris atq; dignitatis, quã obtines, conditio. Nã etsi de Galliæ rege, deq; reb. Italicis instituta est tota narratio, tamẽ ei, qui tantã reip. molẽ sustinet, nõ suæ modo gentis, verùm exte-

exterarum quoq; nationũ facta sunt cognoscẽda, & quò propiùs illa nostris temporibus accedunt, eò magis & delectant & docere quoq; possunt: Et quanquã dubium nõ est, quin huic naturæ fœlicitati cognitionẽ quoq; rerum non mediocrem adiunxeris, tamẽ, quontã vix pauci Cominæũ repræsentant, volui tibi illum nõ vulgariter cõmendare. Nã & vestris aliquãdo regibus fuit non ingratus, & nactus occasionẽ, in altero opere, quod superioribus annis Latinũ feci, splendorem vestræ gentis ac magnificentiam libẽter prædicare solet. Quo magis etiã arbitror cùm per occupationũ turbas licebit, & teipsum aliquid tẽporis huic lectioni daturũ, & regi tuo suasurũ, vt inter alios id genus libros, hunc etiã non negligat. Qui licet admodũ sit adolescentulus: tamẽ & patris optimo sanctissimoq; cõsilio, & tuo nũc hortatu atq; ductu, et sua etiã sponte, ac naturæ propẽsione quadã singulari, eò nũc in literis est progressus, vt rarum

aliquod sit & nostri temporis exẽplum, & sui ordinis decus & ornamentum. Et cùm magna fuerit Henrici regis prudẽtia, tum in eo certè grauissimum optimumq; iudicium fecit, quãdo ex omnibus te potissimum & filio suo custodem, & florentissimo regno veluti patronum ac moderatorem constituit, antequam è vita decederet. Qui sunt nõ per Britanniam modò, sed alijs etiam in locis atque populis, viri boni & docti & pietatis amantes, Dei beneficium agnoscunt, qui eius consilij author ipsi fuit. Abhorrere enim solent plerique vestri gradus atque conditionis à literarum studijs, & laudi propè ducunt, esse quàm alieniissimum ab omni literatura: sunt alij, qui & ambitioni seruiunt, & obstinatè sua defendunt, & tametsi videant esse non pauca, quæ emendationem requirant, quæ dissimulari diutiùs aut tolerari non possint: tamẽ amplificandis facultatibus intenti & cupidi gloriæ, non laborant neque soliciti

liciti sunt, quid agat, quidve doceatur populus, modò illum habeat obsequentem, & summam esse iudicant imprudentiã, aliquid moliri, quo præsens Reip. status mutari possit: quasi demum ea sit perfecta tum sapientia tum fœlicitas, imperare hominibus, in altissima rerum ac suæ salutis ignoratiõe demersis. Quod si iam in eiusmodi aliquem & rex ætate ferè puer, & Respub. velut orbata parente, rege sene atque perito, incidisset, cui dubium sit, quin ea fuisset iræ diuinæ singularis quædam & illustris significatio? Nunc autem quando is contigit, non casu, verùm iudicio, qui & literas amat, & regem alumnum suum ad honesta studia cohortatur, & publicæ emendationis est percupidus, & gloriam Dei spectat, & hominibus fidei suæ commissis, inueteratos errores eripere conatur, quis non videt, instituisse Deum ornare Britanniã ingenti beneficio? Quapropter videndum est vobis etiam, vt

hoc tantum donum ea qua decet gratitudine ſuſcipiatis. Perferendi quidem ſunt vobis haud dubiè plus quàm decumani fluctus, & inter ſcopulos atque ſaxa nauigandum erit in iſto freto: tumultuatur enim humani generis hoſtis, & omneis artes atq; machinas excogitat, vt ne quid ſuæ ditionis amittat. Verùm ſi conſtantiam adhibebitis, & populum recto ordine atque modo, quod inprimis eſt neceſſarium, inſtituetis, nihil verendum erit vobis, & ſuperatis fluctibus atq; diſiecta tempeſtate, ſaluam & incolumem nauem in optatiſſimum portum applicabitis. In eo autem tuam, illuſtriſſime Princeps ac regni defenſor, præcipuam oportet eſſe curam, ſolicitudinem, vigilantiam, operam. Etenim ſicut longè maximum eſt ampliſſimumq; munus, cui Rex Henricus, & poſt eum regni proceres, te præeſſe voluerunt: ita etiam ſi, quod facis, & tenerum regis animum ad pietatem flectas, & populi ſalutem

tem inprimis tibi curæ esse demonstraris, dubitari non potest, quin Deum sis habiturus consiliorum tuorum adiutorem atq; ducem. Vides etiam, quemadmodum ornatissimos homines tibi Deus adiunxerit, qui præclaram voluntatem tuam, doctrina, consilio, fide, constantia, & authoritate cupiunt atq; possunt adiuuare. Ex iis vnum modo proferã, Cantuariensem Archiepiscopũ, de quo tanta est apud nos excitata fama, vt qui sunt vbiq; eius ordinis antistites, hũc sibi velut exemplar aliquod insigne proponere debeãt, si quidem eo titulo censeri velint, cuius nomine tantos consecuti sunt honores atq; faculiates. Quod superest, vt hanc inscriptionem tuo nomini factam, beneuolè accipias, oro. Vale. Argentorati, mense Maio. M. D. XLVIII.

PHILIPPI COMINÆI, EQVITIS, COMMENTARIORVM DE BELLO Neapolitano, Liber primus.

Ioanne Sleidano, interprete.

POSTQVAM res gestas Ludouici vndecimi Galliarum Regis commemoraui, iam de Carolo eius filio, & regni hærede, & quamobrem sit cum exercitu in Italiã profectus, exponam. Fuit ea res inter ipsius familiares diu multumque disceptata. Prudentiores enim & rerum periti, iudicabant omnes, magnum in eo esse periculum: ipse autem vnus probabat institutum, & cum eo Stephanus quidam Verius humili loco natus, & Brissonetus, ambo rei bellicæ imperitissimi. Hi duo illum, alioqui propensum, magis incita-

incitabant, ideoque in plurimorum reprehensionem incurrebant. Nam & res omnes necessariæ deerant, & ipse multùm erat adolescens, & nulla suppetebat pecunia, & ante profectionē, mutuo sumpserunt Genuæ, ad quinquaginta aureorum millia, maximis vsuris, & tempus anni ad bellum gerendum deficiebat. Vna tantùm res erat subsidio, quòd plærique omnes, ex nobilitate præsertim, magnis animis & alacritate profectionem hanc suscipiebant, sic enim ferebat ipsorum ętas: verùm, sicut erant fiduciæ pleni, ita etiam nullo ferè continebantur metu aut imperio. Quare statuendum est, Deum huius belli fuisse ducem. Reliqui enim omnes parum præstiterunt, quanquam videri possunt, eius gloriæ, quam ex eo bello Rex sibi comparauit, authores magna ex parte fuisse. Cùm annorum Rex esset circiter quindecim, venit in Galliam Lotharingiæ Dux, & Barrensem agrum, quem Ludouicus vndecimus possederat, item Prouinciā Comitatum, quem Carolus Andegauorū Dux, cùm absque liberis moreretur, testamento reliquerat Ludouico, restitui sibi postulabat. Nā quòd Renati, Siciliæ Regis, Andiumq; Ducis & Prouinciæ Comitis, è filia nepos esset, idcircò debere se præferri Ludouico Regi, qui esset nepos è sorore, & Prouinciam ad se pertinere, iniu-

riamque sibi factam ab auo dicebat. Rex verò, maiorum testamentis cautum esse, ne ad filias deferretur Prouinciæ imperium, & ipsum, qui matri succederet, nullum ibi ius habere posse, contendebat. Re disceptata diu, Barram ei restituit, & certum equitatus numerum attribuit, & ad quindecim aureorum millia annua promisit, in annos quatuor, intra quod tempus de iure Prouinciæ cognosci oportebat. His rebus omnibus interfui, propterea quòd eius eram senatus, qui tunc communi consilio procerum & ordinum regni delectus ac constitutus fuit. Stephanus autem Verius, qui possessiones iam aliquot per Prouinciam habebat, & profectionem Italicam valde optabat, autor Regi fuit, vt mihi & nonnullis alijs diceret, ne Prouinciam sibi eripi pateremur. Priusquam anni quatuor exijssent, de quibus conuenerat, iurisperiti quidam eius regionis venerunt in Galliam, ac testamenta proferebant, partim Caroli Siciliæ Regis, partim aliorum, qui ex Galliæ Regum stirpe procreati, Siciliam possederant, & non modò Prouinciam, sed & Siciliam, & quascunq; alias eius familiæ facultates, ad regem pertinere confirmabant. Hoc illi quidem magna contentione: verùm alij longè secus, atque hi, quos dixi, omnia sua communicabãt cum Stephano Verio, qui valde

de Regem instigabat, ne tantam hęreditatem, testamento delatam, & Galliæ peculiarem, negligeret. Ioannes autem Borboniorum Dux, & alij quidam regis familiares, qui rerum summæ præerant, vt aduersus alteram factionem firmiùs consisterent, Lotharingiæ Ducem, qui magni animi erat, accersiuerunt in Galliam, vt eius niterentur præsidio, sed rationem tenebant, quomodo nacti idoneum tempus, eum à se remouerent: quod accidit, quando illi & confirmatas suas partes, & Aureliani Ducis, eiusq; cliẽtelæ gratiam & authoritatem minui viderunt. Quanquam certè, nisi de Prouincia illi satisfacerẽt, & annuam pecuniam promissam penderent, non erat, quomodo post annos quatuor ipsum diutiùs morarẽtur. Et cùm veniisset tempus quo illi satisfieri oportebat, atq; ille frustrà se moliri videret, iratus discessit.

Verùm mensibus aliquot ante id tempus, oblata fuit ei pulcherrima cõditio, si modò adiecisset animũ, eaq; potuisset vti. Neapolitani enim regni proceres omnes ac ciuitates à Ferdinando rege, propter summã eius ac liberorũ ipsius crudelitatẽ defecerant, & in ecclesię Romanæ clientelam atq; fidem sese permiserant, cũq; Ferdinãdus adiutus à Florẽtinis acerrimè resisteret, Põtifex Romanus & reliqui omnes,

Lotharingiæ Ducem euocabant, eiq́ue ſummam imperij deferebant, & interim dum in Gallijs occupatur, naues aliquot inſtructæ, & cum his Iulianus, Cardinalis Oſtienſis, Genuæ ipſum expectabant, & diſcedentem à Gallijs, multi legati atq; nũcij, qui eius rei cauſa Neapoli venerant, magnoperè ad profectionem hortabantur. Rex etiam, qui tunc annorum erat vnde viginti, videbatur conſilium hoc non improbare, ac velle ipſius vti opera, ideoq́ue & pecunia, & equitatu, & cõmendationibus eum adiiuuare conſtituit. Et quanquam duo illi, de quibus antè dixi; non deſiſtebant Regem admonere ſui iuris: ille tamen dimiſſis literis Romam, Florentiam, Genuam, & aliò, beneuolentiam ei conciliare ſtudebat, quod ex legatis qui mittebãtur, & ex ipſo Dũce, dum per Molinum, Borbonię oppidum iter faceret, cognoui. Hæc autem eò recito, vt demonſtrem, humilis conditionis homines excitare nonnunquam grauiſſimas turbas. Commoratus biduo Molini, contendebat Lugdunum, in Italiam inde profecturus. Sed propter nimiam ipſius deliberationem atque moram, cœperant relangueſcere eius amici per Italiam, & re deſperata, pacem iã cum Ferdinando fecerant. Ea re nunciata, triſtis & abiectus domum rediit, & authoritatẽ deinceps apud nos omnem

ac

ac existimationem amisit. Ex nobilitate complures, facta pace, Neapolim reuerterunt, sed per fidem circumuẽti, in vincula fuerunt coniecti. Salernitanus autem Princeps, qui Ferdinandi mores ac ingenium nouerat, pacem repudiauit, & Venetias profectus, cum suis nepotibus, Bisigniani Principis filijs, quoniam amicos in ea ciuitate habebat, senatum consuluit, an ad Lotharingiæ Ducem, an in Galliam, aut in Hispaniam potiùs eundum sibi censerent? Illi, in altero nihil esse præsidij: Regem Hispanorum, si prẽter Siciliam & alia quędam loca mediterranei maris, Neapolim quoq; teneat, nimis fore potentem: Galliæ autem Reges, quamdiu Neapolim possedissent olim, firmam cum ipsis pacem coluisse dicebant, & vt eò se reciperet, suadebant, quod ex ipso posteà cognoui. Mea fert opinio, non putasse tum illos, fore vt Rex aliquãdo in Italiam accederet. Postquam in Gallias illi venissent, biennio ferè commorati, per Stephanum Verium diligenter sollicitabant Regem, ne res Italicas negligeret: deinde per Italiam quoq; multos interpellabãt, in primis autem Ioannem Galeacium, Mediolani Ducem. Is erat Frãcisci Sfortiæ nepos è filio Galeacio, qui vxorem habuit bonam è Sabaudiæ Ducum familia. Erat ea fœmina suorum liberorum tutrix, verùm in-

genio parum valebat, & à Cicone scriba pendebat tota, qui liberorum salutis causa, Galeacij fratres omnes atque cognatos eiecerat. In his erant Ludouicus Sfortia, Francisci filius, & Robertus Sanseuerinus, vir magnę virtutis, verùm illa reuocauit vtrumque posteà & loco restituit, deprecatore Antonio Tesino Ferrariensi. Promiserant illi, nihil se contra Ciconem grauius admissuros: triduo autem postquam erant restituti, comprehenderunt, & inclusum dolio vectumq; per vrbem Mediolanum, custodię mandarunt in arce Papiensi, in eoq; carcere vitam ille finijt. Erat affinitate coniunctus cuidam ex familia Vicecomitum, quo absente magis illi audebant. Eo facto, rerum procurationem sibi sumpserunt, ipsam verò liberaliter habebant, & per Antonium Tesinũ, quicquid vellet, subministrabãt, cæterarum autem rerum omnium nihil ferè cum ea communicabant, & sic erat eius ingenium alioquin, vt delicijs solùm adiecta, res graues non curaret. Ad Tesinum autem, qui gratia plurimum poterat, deferebantur illius voluntate, omnes literæ, quæ quaque de re mitterentur. Id molestè tulit Ludouicus liberorum patruus, qui summam Imperij iam anteà cogitabat ad se transferre, ideoq; filios eius duos, nepotes suos, primùm ab ea remouet, in eamque partem arcis

Medio-

Mediolani traducit, quam sua lingua Roccetam appellant. Hoc eius factum probabat Robertus Sãseuerinus, & ex Palauicinis quidam, & arcis prefectus, qui multo tẽpore non fuerat egressus ex ea statione, donec insidijs & fraude Ludouici, culpa verò sui domini Ioannis Galeacij Ducis, caperetur, qui matris ingenium referebat. Liberis eò traductis, ærarium, quod id temporis habebatur omnium longè ditissimum, in suam potestatem redegerunt, ab eaq: rationes postulabant, & tribus confectis clauibus, cùm ex iis vnam ei tradidissent, Ludouico fuit demandata suorum nepotum tutela. Posteà missis huc illuc literis, in Galliam prẽsertim, insimulabant eam stupri, cum Tesino commissi, qui Sanseuerini beneficio seruatus periculum effugit. Et licet eam potestatem obtinerent, tamen non erat eis integrum, quoties vellent in arcem ingredi, quæ centum & quinquaginta militũ præsidio tenebatur. Orta fuit interea simultas, quod fieri solet, inter Sfortiã & Sanseuerinum, & hic quidem cùm alterius offensionem ac odium sustinere diutiùs non posset, Venetias iuit: ipsius autem filij, Galeacius, & Comes Gaiazius, adiunxerunt se Sfortiæ, eoq; sunt vsi valde familiariter, quod nonnulli dicebant voluntate patris fieri. Nobis quidem egregiam operam illi præstiterunt, in

bello Italico, tum in gratiã Salernitani, quem ſuprà nominaui, qui Princeps erat eius familię, tum alijs de cauſis, quæ ſuo loco dicentur. Ludouicus in eo rerum ſtatu cœpit non obſcurè, quid ſui eſſet propoſiti, declarare, & iam cudebat aurum atque argentum, cuius ab vna parte impreſſa erat Ducis, ab altera verò, ipſius effigies: quæ res magnam inuidiam ei conciliabat. Mediolani Ducis vxor, erat filia Calabriæ Ducis Alphonſi, egregia fœmina, & valde ſtudioſa dignitatis mariti ſui, verùm ille erat imprudentior, & quæ ſecretò ei communicaſſet vxor, enunciabat alijs. Magna etiam erat authoritas atque fides præfecti arcis. Nec enim egrediebatur vnquam, & ex fratribus alterum ſemper domi continebat, orta iam nonnulla ſuſpicione. Sed quodam die, Ludouicus cum nepote ſuo Duce, quem animi reficiendi cauſa foras produxerat, domum rediens ad arcem vſque deduxit, vti conſueuerat, cumque præfectus more ſuo comitatus prodiſſet, & paſſum vnum atque alterum extra penſilem pontem eſſet progreſſus, vt Principem excipere, captus fuit à Sãſeuerinis, Roberti filijs. Qui intus erant milites, è veſtigio pontem ad ſe reducebant: Ludouicus autem particulam aliquam cereæ cãdelæ iuſſit accendi, & niſi priùs, quàm abſumeretur, ſibi patefacerent, iureiurando

rando minabatur omnibus pœnam capitis. Illi perterriti, deditionem fecerunt arcis, quam rebus omnibus deinde muniuit, & quicquid faceret, in gratiam atque iussu nepotis facere se profitebatur. Ipsum verò præfectum in ius vocauit, oblata criminatione, quod Maximiliano Cæsari voluisset arcem prodere. Germanos etiã aliquot eiusrei cõscios, vt quidem ipse iactabat, comprehendit, verùm ijs dimissis, scribam quendam suum, de quo suspicionem habebat, & alium præterea, quem eius rei internuncium fuisse diceret, capite mulctauit. Præfectum etiam, vbi diu detinuisset, dimisit affirmans sui nepotis matrem, Bonam, summisisse aliquando præfecti fratrem, qui se interficeret, ipsum verò præfectum facinus illud prohibuisse, eoq; vitam se nunc illi donare dicebat. Mea sanè fert opinio, si quæ resedisset in eo culpa, non fuisse condonaturum, præsertim, cùm Maximilianus, & propter Austriam, & quòd Cęsar esset, non haberet ibi nullum ius & actionem. Ad ipsum enim si delatum fuisset eius loci imperium, maximi erant per Italiam futuri motus, & Insubria tota statim defecisset. Quo enim tempore Cæsares eam olim administrabant, magna erat populi libertas, & singulæ domus aureum solùm modò pendebant annuum. Vicecomites autem, ac deinde Sfor-

tiæ, maximum imperabant tributum, in eoq; nulli parcebant ordini. Ludouicus, occupata arce, & qui intus erāt, omnibus in suam fidem ac potestatem adactis, cœpit spectare maiora. nam qui Mediolanū tenet, is reliquum agrum omnem habet propè ad suum nutum ac voluntatem. Est autem Insubria, seu Ducatus Mediolanensis, pro sua magnitudine, omnium Regionum, quas vidi, longè & pulcherrima & fructuosissima, quique eam possidet, cogere potest ad quingenta aureorum millia quotannis, nulla populi molestia vel detrimento: sed pleriq; non contenti eo, conficiunt & exigunt ad septingenta millia, quo fit etiam, vt populus nouis ferè studeat imperijs. Habebat Ludouicus in matrimonio Ferrarię Ducis filiam, quò faciliùs illi erat multorum amicitiam in Italia sibi cōciliare: sed Venetos in primis fœdere sibi coniunxit, non absque dispendio sui soceri. Quod vt meliùs intelligi possit, quædam mihi sunt extra ordinē dicenda. Ferrariæ Dux, hortatu Ferdinandi, Neapolitani Regis sui soceri, & Ludouici Sfortię, bellum nuper intulerat Venetis, cumq; solus aliquandiu omnē impetum sustineret, hostes aliquam agri partem illi ademerunt, natura munitam, & cum primis fertilem, Pulesinum vocant, cuius duo sunt oppida primi nominis, Rhodogium & Bastia.

Bastia. Sed cùm ij, quos diximus, & Pontifex Romanus, & Florentini, & Bononienses auxilium ei ferrent, valde fuerunt hostium res afflictæ. Ibi verò Ludouicus pacem demum fecit, vtilem illis & peropportunam. Cùm enim reliqui omnes, quod eo bello quisq; amiserat, recuperarent, solus Ferrariæ Dux damno fuit affectus, amisso, quẽ diximus, agro, qui & hodie ditionis est Venetorum. Sfortiam aliqui dicebant eius rei causa, dono ab illis accepisse ad sexaginta aureorum millia, & Ferrariæ Duci persuasum ita fuisse scio, cuius nondum ille tũc erat gener. Hæc fuit amicitiæ & facti deinde fœderis occasio. Ludouicum ista conantem Mediolani, & per Insubriam, nemo quisquam impediebat, præter vxorem Ducis, filiam Alphonsi. Ille igitur, vt, quò vellet, perueniret, missis nuncijs atque literis, Carolum Galliæ Regem sollicitabat, vt Italiam ingressus cum exercitu, Regem Neapolis profligaret: Ferdinandus enim, eiusque filius Alphonsus, longè erant ditissimi, & habebantur ab omnibus maximi animi atque virtutis, tametsi res ipsa diuersum posteà declarauit. Ludouicus autem ingenio quidem & prudentia valebat, sed erat timidior, & deiectus admodum rebus aduersis, & si propositum videret aliquod emolumentum, infidus. nam multus mihi cum

eo fuit vſus. Et quoniam in illo Regis Neapolitani imperio, minùs facilè conſequi poterat quod optabat, miſſis, vt dixi, nuncijs, cœpit animum Regis adoleſcentis excitare quadam gloriæ cupiditate, ſimul, quàm haberet iuſtam belli cauſam, demonſtrabat. Ij quos mittebat, per Stephanum Verium ac Briſſonetum adibant Regem, & vtrique magna pollicebatur Ludouicus, & Briſſoneto fuit author, vt ſacerdos fieret, ſeque curaturum dixit, vt in Cardinalium ordinem allegaretur, & quò citiùs omnia conficeret, ampliſſimam decreuit legationem, cuius erat princeps comes Gaiazius. Antè id tempus miſerat quendam è ſuis ſcribis ad Regem, oratum, vt nepotem ſuum Mediolani Ducem, eò quòd Genuam teneret, in fidem ac clientelam ſuam reciperet, eique ius & authoritatem adminiſtrandi communicaret. Erat iniqua conditio, poſtulare vt abſenti hoc tribueretur. Poterat quidem Rex beneficio ſingulari, è ſuis aliquem in Inſubriam mittere, qui fide ac iureiurando illum obſtringeret. Cùm enim matrem haberet ille tutricem, ego, qui tunc legatus eram Ludouici Regis, iureiurando illam adegi, verùm eo tempore Genuam tenebat Baptiſta Campofulgoſus: nunc verò, poſtquàm Ludouicus eam vrbem recepiſſet, magis æquum erat, vt ſolenniter ea res

atque

atque legitimè fieret. Ludouicus autẽ, vt quod petebat, impetraret, dono dederat quibusdam Regis familiaribus, & in his, Stephano Verio, ad octo aureorum millia. Faciebant hi certè iniuriam Regi non mediocrem, facilè enim nobis tunc fuisset, Genuæ possessionem inuadere. Quòd si pecuniam quoque fas erat accipere, multò maiorem summam oportuit postulare. Galeacius enim Ioannis pater, consimili de causa dederat olim Ludouico Regi ad quinquaginta aureorum millia, eiusq; pecunię rex dono mihi dedit triginta millia: sed opinor Verium eò spectasse, vt Ludouicum haberet sui consilij adiutorem. Ex ijs quos dixi legatis Sfortiæ, comes Gaiazius, priuatim ac solus cũ rege locutus, maxima illi deferebat auxilia, & quòd Ludouicus suo arbitrio Insubriam omnem gubernaret, minimo negocio rem confici posse dicebat, & paucis deinde pòst diebus abijt, relicto comite Lætæuillano, qui sollicitaret. Quod cùm iste diligẽter faceret, multi cœperunt animum adijcere, sed & Rex Peronem Bassum mittebat idcircò legatum, ad Innocentium Pontificem Romanum, Venetos, Florentinos, ab & his inuicẽ ad nos veniebant internuncij. Nostrorum hominum non vna erat sentẽtia: Regem verò ipsum esse profecturum nemo putabat. Interim dum legati

vltrò citroque commeant, agebatur de pace inter Regem & Philippum Austriacum, Maximiliani Cæsaris filium, sed in eo ipso tempore quiddam interuenit valde odiosum & indignum. Rex enim Margarita Maximiliani filia, relicta, multùm adolescentula vxorem duxit Annam, Francisci Britanniæ Ducis filiam, vt Prouinciam illam omnem, pacatam haberet, quam possidebat eo tempore totam, præter Rhedones. Erat eius puellæ nutricius & auunculus Auraicæ Princeps, eamque Maximiliano publicè desponderat. Cùm ergo plerique tristem ac funestum exitum metuerēt, & Maximilianus insigni quadam videretur adfectus contumelia, propter remissam filiam, & ereptam sibi sponsam. Fridericus Cęsar, ipsius pater, & Comes Palatinus & Heluetij missis legatis intercedebant. Erant iam vtrique defatigati bellis, præcipuè verò Burgundiones, ob ciuiles etiam dissensiones, quò faciliùs erat pacem aliquam constituere. Ad eam actionem Rex misit Petrum Borbonię Ducem, Auraicæ Principem, Cordæum & me. Compositio demum facta fuit in hunc modum, quicquid in Attrebatum agro Rex possideret, Philippo vti restitueret. Cùm enim soror ipsius desponderetur Regi, pactum fuit, si quis casus matrimonium hoc impediret, vt tum, quod pro dote attulis-

set

set illa, redderetur familiæ. Burgundiones autẽ ex insidijs iam ceperant Atrebatum & Sanctomarum. Reliqua, solum Hesdinũ, Atrea, Betuna, quorum oppidorum arces regi licebat ex pacto retinere, ad certum tempus, & præsidijs etiam munire. De nuptijs illis ita commutatis, nõ idem erat hominũ iudicium, sacrarũ quoq; rerum periti, non vno modo pronunciabant: ipsis quidem fœminis infœliciter ferè accidit in partu. Regina enim, tribus editis filijs, incredibili cum dolore mortem eorum deplorauit. Margarita nupsit Castiliæ regis vnico filio, qui primo post nuptias anno extinctus, vxorẽ reliquit grauidã, quæ posthumũ edidit mortuum, quo nihil euenire poterat toti regno acerbius. Maximilianus autẽ in matrimonium duxit filiam Galeacij, Mediolani Ducis, interceſſore Ludouico Sfortia, patruo: sed eam rem grauiter tulerunt Germaniæ principes, propter ipsius fœminę obscuritatem generis. Parum enim est splẽdoris in familia Vicecomitum, ac multò minùs in Sfortijs, quorum nomen illustre primùm effecit Franciscus, patre natus homine plebeio, sed ingenio præditus liberali, qui vxore ducta, filia notha Philippi Mariæ, ex familia Vicecomitum, Mediolani Ducis, hæres fuit, atq; successor sui soceri, & Insubriam possedit, magnus profecto vir, & virtute cuilibet

suæ ætatis Principi comparandus. Hæc autem eò pertinẽt, vt demonstrem, quod suprà dixi, quàm inauspicatò illæ ad nouas nuptias transierint. Et vt ad institutum reuertar, vbi Comes Gaiazius discessit, multa per Italiam nostri homines tentabant, & Rex, quantumuis adolescens, valde afficiebatur, ac misso legato Perone Basso, quem diximus, petebat à Venetis, vt ope & consilio sibi in ea profectione adessent. Illi, pergratum esse quod instituisset, opem verò nullam se posse ferre dicebant, propter Turcici belli suspicionem: vt autem ipsi, tanto Regi consulant, quid facto sit opus, nimis id fore temerarium & arrogans: adiuturos tamen potiùs, quàm impedituros. Acutè quidem illi & prudenter, sunt enim omnium hominum longè scientissimi: sed tamen euentus non respondit ipsorum expectationi. Neque enim Regem ipsum esse profecturum putabant, & quod excusabant de Turca, simulatum erat, & qui tunc præerat Turcarum Cæsar, ingenio erat minùs excitato, sed sperabant illi se posse iam familiam Arragonię, quam vehementer oderant, vlcisci. Ferdinandi enim Regis & Alphonsi hortatu atque impulsu, Mahometum Turcarum Cæsarem, qui Constantinopolim expugnauit, dicebant longiùs progressum, & maximis incommodis ipsorum fi-

nes

nes adfeciſſe. Alphonſum prætereà ferebant eius belli, quod Ferrariæ Dux ipſis intuliſſet, authorem, & quoſdam ſummiſiſſe, qui ſuæ vrbis ciſternas veneno corrumperent. nam quia clauduntur vndique mari, plurimùm ea vtuntur aqua. Hoc illi quidem de iſtis acerbè ſatis & odiosè: ſed vera inimicitiæ cauſa fuit, quòd ab illis impedirentur, quò minùs ditionem & imperium ſuum per Italiam atque Græciam dilatarent, quod in primis deſiderabant, etſi nuper Cyprum occupauerant, nullo ſanè iure. Cupiebāt ergo bellum illis inferri, & in quamcunq; partem ipſi inclinaſſent, ab ea ſperabant conſequi ſe poſſe oppida quædam in ſinu illo maris Adriatici poſita, eaque ſpes tandem ipſos non fefellit, tametſi parum abfuit, quin aberraſſent. Quòd etiam ad eum modum, vti diximus, legato noſtro reſponderent, eò pertinebat, ne Regem ipſi viderentur in Italiam euocaſſe. Ad hoc ferè tempus Lugdunum Rex petebat: eò venit ad ipſum Galeacius, è Sanſeuerinis alter, miſſus à Ludouico Sfortia, cum lectiſſimis equis & armis, exercendi atque oſtentandi ſui cauſa, iuuenis egregia virtute, eumq; ſic adamauit Rex, vt primi ordinis equitem faceret, qui ſummus eſt honos, & non niſi probatiſſimis communicari ſolet. Illo demum in Italiam reuerſo, Lætæuillanus in Gal-

lijs remansit, promouendi causa itineris. Legatos Rex etiam habebat Genuæ, quorum Princeps erat Durfius, ac parabatur ibi classis: & sub exitum mensis Augusti, rex Viennam, Delphinatus oppidum, ad Rhodani ripam profectus, Aureliorum Ducem cognatum suum, Genuam præmisit: quod plerique sic accipiebant, quasi eò fieret, vt iste adiutus ab ijs, quos diximus, Italiæ nobilibus, profugis, cum classe illa Neapolim contenderet. Erat tunc Genua in ditione Mediolani ducatus, quem ad suum nutum Sfortia gubernabat, ideoq; Rex nihil in ea vrbe non poterat. Suprà diximus de Ioannis Galeacij, Mediolani Ducis coniuge, quæ ex omnibus vna resistebat conatibus Ludouici, verùm id frustra fuit, quòd Rex paratum habebat exercitum, & quòd ipsius maritus, per imprudentiam omnia communicabat Ludouico, qui & nuncium quendam nuper fecerat submergi, quem illa cum literis ad suum parentem Alphonsum emiserat. In eam, de qua diximus, classem, maximi fiebant sumptus, & quicquid vndiq; potuit corrogari pecuniæ, eò fuit impensum, neq; tamen vllus propè fuit vsus. Nam neq; Rex per ætatem, cùm esset annorũ viginti duorum, satis prouidebat, & quibus ipse præcipuam administrationem cõmiserat, Verius atq; Brissonetus, ij propter earum rerum

rerum imperitiam, nihil idoneè procurabant. Quò magis etiam videre licet, & admirari potentiam Dei, qui tam fœlicem dedit exitum. Alphonsus enim nuper à morte patris Ferdinandi, rex factus, & consecratus ab Alexandro sexto, Pontifice Romano, Arragonio, habebatur ab omnibus valde peritus rei bellicæ, & erat instructus rebus necessarijs, & fautores habebat Florētinos, & Turcarum Cæsarem, non alienum. Erat etiam ei filius Ferdinandus, annorum circiter viginti trium, egregius iuuenis, & populo valdè acceptus, item frater Fridericus, vir prudens, & classis ipsorum prefectus, ac nostrarum rerum non imperitus, longa consuetudine atque conuictu. Successit hic nepoti suo Ferdinando Regi: ac memini, cùm tu mihi aliquando diceres, Archiepiscope Viennensis, astra præsignificare illi, & polliceri dignitatem regiam. Cuius rei cùm apud ipsum facta fuisset mētio, aureorum millia duo annua mihi promisit, per Italiam, si quidem istud accideret. Regem valde sollicitabat Ludouicus, & literis, & per Lætæuillanū, vt acceleraret: tibi verò ex ijs, qui profectionē anteà suaserant, nonnulli cœperunt dubitare. Brissonetus inprimis, quod Rex molestè tulit. Stephanus autem Verius, nihil quidem mutabat, sed quòd ex ipsius famulis quidam decesserat, & de con-

tagione morbi aliqua fuit orta suspicio: cogebatur aliquandiu à congressu & colloquio Regis abstinere. Ita fiebat, vt nemo rem sollicitaret ampliùs, imò prudentiores omnes ac regis familiares, & in his Borboniæ Dux cum vxore studebant impedire, suique consilij multas adducebant rationes & cum Brissoneto de ijs omnibus communicabant. Post multam verò disceptationem, Rex tãdem decreuit omnino proficisci, & vt commodiùs absq; maiori comitatu transiret Alpes, omnium primus in viam sese dedit. Sed ne tum quidem satis adhuc de profectione constabat, & cùm essem in primo agmine, reuocabat, affirmantibus nonnullis, regem aliud statuisse. Eodem die Rex à mercatore quodam Genuensi, mutuatus est ad quinquaginta aureorũ millia, sine vsura: eam pecuniã Ludouicus occultè pendebat, interpositis fideiussoribus, qui eã redderent mercatori, quẽ diximus, in his, ego quoq; fui, & pro sex millibus spondebã. Non multò antè mutuatus etiã erat Genuæ tantundem, vt suprà diximus, eiusq; pecuniæ vsura creuit, intra menses quatuor, ad septem aureorum millia. Rumor erat, quosdam ex nostris lucrum ex eo percipere. Vienna Rex digressus ad vicesimum tertium Augusti diem, Astam petebat, & in itinere, cùm esset Susæ, venit ad ipsum celeribus equis Galeacius

leacius Sanseuerinus, illinc Taurinum profectus, & ornamenta Sabaudiæ Principis viduæ mutuatus, oppignorauit pro duodecim aureorum millibus, & ex viduæ Monferratensis ornamentis tantundem confecit, ex quo facilè intelligi potest, quis fuerit eius belli futurus euentus, nisi Deus rem gubernasset. Interim dum Astæ dies aliquot commoratur, venit ad eum Sfortia cum vxore, & amplissimo comitatu. Biduo pòst Nonium redijt, quod est eius loci castellum, & ab Asta mille passus abest, eóque consultandi causa quotidie conueniebamus. Habebat Alphonsus per id tempus duos exercitus, vnum in Flaminia, cui filium suum Ferdinandum præfecerat, cum Virgilio Vrsino, & comite Petiliano, & Ioanne Iacobo Triuultio, alterum verò maritimum, cui frater ipsius præerat Fridericus. Nostris copijs erat præfectus Albinius Scotus, vir magnæ virtutis. Eæ erant cohortes aliquot Heluetiorum, item circiter ducenti equites cataphracti, leuis autem armaturæ quingenti, Itali omnes, quibus Comitem Gaiazium Ludouicus præfecerat, valde sollicitus, & vehementer metuens, ne quid detrimenti isti acciperent: quod si accidisset, Rex domum reuersurus erat cum reliquo exercitu, ideóque in summum ille discrimen venisset, propter hostium propinquita-

tem, quibus cum nonnulli iam per Insubriam sua consilia communicabant, pertęsi illius imperium. Is, quem dixi, maritimus Alphonsi exercitus, tenebat oram illam omnem, quæ est circa Liburnum & Pisas, freti amicitia Florentinorum. Cum Friderico classis præfecto erant nobiles quidam Genuenses, & in his Brito Flisicus, quorum opera sperabat ille posse Genuam ad defectionem concitari. Expositis autem aliquot copiis militum, circa Rapallum oppidum, propè erat vt perficeret, quod constituerat: sed in eo ferè temporis puncto, Dux Aureliorum appulit cum sua classe: inter cæteras naues, erat vnà mea triremis, admodum grandis, cui præerat Albertus Melius. Ex ea quòd propiùs ad continentem applicari posset, nostri valde oppugnabãt hostem tormentis, & ex alijs deinde nauibus egressi milites, ac Genua profecti terrestri itinere, consociabant se reliquis nostris copiis, quas anteà dixi, quæ cum propiùs constitissent, vix primum illorum impetum sustinuerunt hostes, ac fugæ sese mandarunt, interfectis ad centum, & paucis quibusdam captis, ac in his filio Cardinalis Genuensis. Miserat eò copias aliquot Ludouicus, duce Ioanne Adurno, verùm ii non interfuerunt ei prælio, & aditum quendã fortiter ab hoste defendebant. Ad hunc igitur

modum

modum profligatus hostium exercitus maritimus, è conspectu nostro longiùs retrocessit. Vbi Genuam nostri reuerterunt, ortus est ciuium tumultus, & sumptis armis, cùm ex Heluetiis nostris, & ab ipsis quoque nonnulli cecidissent, composita res demum fuit. Hic mihi digrediendum est ad Florentinos. Hi semel atque iterum legatos miserant ad Regem, priusquam è Galliis abiret, & primò quidem Episcopum Aretinum, & Petrum Sunderinum, de quorum aduentus causa vt cognosceremus, mihi Rex mandabat, & Verio & Brissoneto. Postulata nostra hæc erant, vt per suum agrum nobis iter darent, vt centum equites catapractos nobis alerent. Id si ita facerent, firmam gratiam atque amicitiam Regi cum ipsis futuram. Illi autem ex præscripto Petri Medices omnia faciebant, cuius pater Laurentius maximam in ea Republica potentiam & authoritatem habuerat, vir summæ virtutis. Est autem ea mercatorum familia totius orbis terrarum, meo quidem iudicio, longè & ampliſſima & celeberrima. Nam & soli procuratores ipsorum atque negotiorum gestores, magnam vbique fidem obtinebant, quod per Flandriam & Angliam ipse vidi, & ex iis noui Gerardum Ganuesium, qui mutuatus aliquando Regi Angliæ Eduardo ad centum

& viginti aureorum millia, propè author fuit, vt excitato cõtra ipsum bello ciuili, rerum potiretur. Noui quoque Thomam Portunæum, qui ad Carolum Burgundiæ Ducem, Eduardi fuit fideiussor, pro quinquaginta aureorum millibus, & eò amplius. Eius familiæ fuit Princeps Cosmus, qui moderatè & liberæ ciuitati conuenienter Rempublicam administrabat. Sed Laurentio, quòd Pisanos & quasdam alias factiones metueret, vt in alteris commentarijs recitauimus, attribuerat Senatus viginti custodes, quibus ille solùm ad tutelam atque salutem suam vtebatur. Ab eius morte, Petrus, honoris ac dignitatis paterni succesor, cùm putaret satellitium illud sibi deberi, multa proteruè faciebat, & metui volebat magis, quàm amari. Alterius legationis, quã ille miserat, cùm Rex Lugdunum veniset, Princeps erat Petrus Capo. Per eum, quò minùs ipsius postulatis morem gereret, excusabat, vt antea quoque fecerat, & ipsius parentem, Ludouicum Regem authorem fuisse Florentinis dicebat ineundi fœderis cum Ferdinando Rege Neapolis, & domo Arragonica, quam eo constante fœdere deserere ipsis non licebat. Quòd si tamen ad ipsorum fines propiùs accedat, voluntatem atque studium suum illi declaraturos, & hoc eò magis nunciabat, quòd

sicut

ſicut Veneti, arbitrabatur Regem non eſſe venturum. In vtraque legatione erant, qui malè illi cuperent, & in hac poſteriore Capo mandata illius odioſiùs explicabat, & quomodo ciuitas aduerſus eum excitari poſſet, demonſtrabat, & ipſius deinde hortatu, Rex Florentinis omnibus præcepit, vt è Gallijs excederent. Hoc eò pertinet, vt quod deinceps euenit, meliùs intelligi poſſit. Rex enim cœpit illum valde odiſſe, & noſtri homines occultè ſua conſilia conferebant cum illius aduerſarijs, in quibus etiam erant duo eius patrueles. Fridericus à nobis reiectus, vt ſuprà diximus, claſſem reduxit ad oram maritimam circa Piſas. Florentini autem, qui natura & antiquitùs in Galliam magis, quàm aliò propendent, cœperunt negligere eum atque faſtidire. Sfortia interim valde Regem vrgebat, & in primo congreſſu atque colloquio, ne dubites, inquit, progredi, ac ſis animo conſtanti. Sunt omnino per Italiam, tres longè maximi principatus, Mediolanenſis, Venetus, Neapolitanus. Ex ijs primum habes ad nutum ac voluntatem tuam: alter pacem colit, neque ſe commouet: cũ tertio ſolùm ergo tibi bellum erit. Atqui fuit tempus, cùm tui maiores, Galliæ Reges debellarunt hos omnes cõſociatos. Quòd ſi mihi fidem habebis, faciam, vt multò, quàm

fuit Carolus Magnus, euadas potentior, & cùm Neapolitanum regnum possidebis, non erit difficile Turcam ex Europa profligare, verè quidem ille hoc de Turca, si res idoneè, & cùm virtute fuisset administrata. Ea oratione Rex magis incitatus, illius ex præscripto faciebat omnia, quod ex nostris quidam molestè ferebant, gratificantes hoc ipso Aureliorum Duci, qui Mediolanum & Insubriam ad se pertinere dicebat. Erat iam aliquid occultæ simultatis inter Vetium & Brissonetum, & hîc quidem, quòd Sfortiæ tanta habebatur fides, grauiter tulit, & studebat alioqui profectionem hanc interuertere, vt suprà diximus, ideóque Ludouicus cœpit Regem hortari, vt eum domi relinqueret. Eo cognito, iratus ille, inter alia multa dicebat, nihil ei oportere committi, neque dubium esse, quin Regem fallat, & in periculum sit adducturus. Hoc ille quidem satis leuiter, & alieno tempore: sed affectus atque studium erga Regem incitabat eum. Post hanc disceptationem placuit, vt in omnes partes dimitterentur nuncii; mihique decreta fuit ad Venetos legatio: cumque Rex, qui tum erat Astæ, tenuissima valetudine, inciperet habere melius, dabam me in viam, neque longiùs progressurum esse putabam. Sexta demum die Venetias perueni, & quòd verebar,

bar, ne mutata voluntate Rex domum rediret, primis aliquot diebus, lentè ac remissiùs agebam. Sed ille continuato itinere, Papiam, quod est ad Ticinum flumen, contendit, ac ibi primùm aliqua fuit orta suspicio. Ludouicus enim non in arce, sed in oppido iusserat ei parari locum & hospitium, & coactus propemodum in arcem recepit, vbi & nostrorum excubitorum auctus fuit numerus ea nocte, quod Ludouico valde præter opinionem accidit, & Regem, an vllam de se haberet suspicionem, interrogabat. Erant in ea arce Mediolani Dux, Ludouici ex fratre nepos, eiusque vxor, & filius annorum circiter quinque, & filiæ duæ: vxor quidem valde tristis & afflicta, propter imbecillem valetudinem, & miseram mariti conditionem. Nam Ludouicus eum veluti captiuum seruabat, nec vlli facultatem dabat eius conueniendi, feceram illac iter triduo ante Regem, & cùm valde cuperem, non fuit mihi concessum, vt ei loquerer, ac grauem illius ægritudinem obstare dicebant, Rex tamen, qui consobrinus erat, admissus fuit ad colloquium, & quanquam optabat eum de rebus nonnullis admonere: tamen quòd eo tempore multum tribueret amicitiæ Ludouici, nullam rem grauem aut seriam cum eo communicabat, vt ex ipso posteà cognoui. In

eo temporis puncto, illius vxor ad pedes Ludouici proiecta, vehementer orabat, vt sui parentis atq; fratris misereretur. Ille autem respondit, iam eò rem deductam, vt mutari non posset. Intercedebat misera pro illis, atque interim magis erat ei opus, vt pro marito, seque ipsa potiùs deprecaretur. Rex illinc profectus, Placentiam petebat. Ibi Ludouico nunciatum fuit, Mediolani ducem esse valetudinè desperata. Salutato igitur Rege, discessit, pollicitus rediturum se, quòd Rex ipsum orauerat: priùs verò, quàm Papiam venit, iam ille decesserat è vita. Quod vbi resciuit, è vestigio Mediolanum sese contulit. Ea res illicò fuit enunciata Venetis per legatum, quem ijs locis habebant. Hoc quoque fuit adiectum in literis, eum cogitare Insubriam & imperij summam ad se traducere, quod Veneti grauiter tulerunt, & ex me quærebant, num Rex patrocinium susceperturus esset pueri, quem ille moriens reliquisset hæredem? Ego, quanquam satis iudicabam æquum esse, vt ita fieret: tamen propter eam, quæ tunc Regi fuit cum Ludouico, necessitudinem, dubitanter illis respondi. Ludouicus igitur, mortuo nepote, principatum occupauit, eaque præcipua fuit causa, multorum iudicio, quam obrem nos in Italiam euocassent, plerique etiam extinctum nepotem ab

ipso

ipso dicebant, ideoq; multi per Italiam, mortui ducis propinqui & amici conuenerant, vt ipsum profligarent, & nisi Rex cùm exercitu adfuisset, facilè quod volebant, perfecissent. Ferdinandus enim, Alphonsi filius, erat in propinquo cum copijs, vt suprà diximus. Verùm Gaiazius & Albinius eum reiecerant, & vix iter diei nostras copias ille antecedebat, & ad fœminam quandam eius loci, viduam, vxorem comitis Hieronymi; qui Sixti Pontificis Romani filius erat, se recepit, sed capto quodam eius ditionis oppido, illa se nobis adiunxit, quod alioqui cupiebat. Iam enim multi per Italiam incipiebant ad res nouas spectare, mirati nostrum militiæ genus, propter machinationes atq; tormenta bellica, quorum ipsi haberent exiguum vsum. Nam & nostri tum erant in ea re, multò quàm superioribus aliquot annis, exercitatiores: Ferdinandus ergo, cùm sic à nostris vrgeretur, Cesenam cum exercitu profectus fuit, quod est oppidum ditionis pontificiæ: sed quacumq; iter facerent, vulgò fiebat impetus in ipsorum calones ac impedimenta, si soli deprehenderentur, propterea quòd pleriq; omnes studebant nouis imperijs, vt anteà diximus, quò faciliùs erat nobis aliquid egregium perficere. Quòd si nostri milites ab iniurijs & maleficio abstinuissent, ma-

xima gloria atque beneuolentia toti Galliæ fuisset iis locis conciliata. Initiò enim propter opinionem virtutis, in summo nos honore habebant, sed rapinis, & id genus aliis nostrorum flagitiis educti, voluntatem commutarunt. Aduersarij etiam, vt odium nobis conflarent, criminabantur, & passim hoc apud omnes dicebant, nos & deprædari quicquid esset oblatum, & fœminis quoque vim facere, qua criminatione nihil esse poterat acerbius, propterea quòd Itali sunt propè omnes valdè præ cæteris, ad rem familiarem attenti & zelotypi. Quantum ad rapinas & deprædationes pertinet, non erat nihil, quod incusabant: in altero iniuriam nobis faciebant. Rex interim dum esset Placentiæ, funus fecit consobrino suo Mediolani duci, nec erat aliud ferè quod ageret. Nam & Ludouicus iam factus Mediolani dux, aberat, & ortis quibusdam suspicionibus, nostri cupiebant redire domum, etiam ij, qui profectionem anteà suaserant, & in his Dursius, de quo suprà diximus, qui Genua, vbi valetudinem curabat, scriptis ad Regem literis, multa, quæ ad augendam suspicionem pertinerent, nunciabat. Sed aliud erat Dei consilium, & dum pleriq; ad eũ modum fluctuarent animis, allatum fuit de Mediolani duce, redituro ad Regem, & de Florentinorum erga nos bene-

beneuolentia. Nam Petrus Medices intemperãter & superbè Rempub. administrabat, eoq; inuisus erat ibi non solùm claris familijs, Caponibus atq; Nerlis, verùm etiam suis propinquis & consanguineis. Hæ duæ causæ Regem denuò excitarunt, & Placentia profectus in Florentinorum fines contendit, vt eos vel ad suas partes adduceret, vel captis aliquot ipsorũ oppidis, militem in hybernis ibi collocaret. Consilium eius fortuna comprobauit. nam & Lucenses odio Florentinorum in eius fidem se permiserunt inter alios, & magnum præstiterunt amorem. Mediolani Dux ad duo potissimùm spectabat, primùm, ne per id tempus Rex vlteriùs progrederetur, deinde, vt ipsius authoritate ac beneficio, Pisas & Sarezanam, & Petramsanctã suæ ditioni coniungeret. Ea enim duo oppida fuerant aliquando Genuensium, & Florentini, quo tempore Laurentius Medices Reipub. præfuit, occupauerant illa. Rex per Pontremulum, quod est agri Mediolanensis oppidum, facto itinere, Sarezanellam longè munitissimam Florentinorum arcem, sed tunc in illis offensionibus atque dissidio ciuili parum instructam obsedit, & triduo pòst, compositione facta cepit. Quòd si munijssent eam rebus necessarijs, maximum nobis intulissent impedimentum, eò

quòd ager ille omnis est montuosus, & minimè frumentarius, & tunc etiam propter hyemem ac præaltam niuem, valdè incommodus. Ante compositionem factam, venit eò Mediolani Dux. Cumq; & ipse per Pontremulum transiret, oppidani ac milites præsidio relicti, orta cōtentione, ex Germanis nostris aliquot interfecerunt, eaq; res maximam deinde turbam excitauit, vt posteà sum dicturus. Florentini, cùm rebus nouis studerent, quia in Galliam ferè propendent, eò quòd mercaturam ibi exercent, & Guelphorum sequuntur partes, amplissimam decreuerunt legationem ad Regem, & profitebantur, nolle diutiùs in eo versari periculo, quod erat, si Regem ac Mediolani Ducem haberent aduersarios. Eam legationem non improbabat etiam Petrus Medices, quanquam sanè, qui tunc erat rerum status, non poterat aliter facere. Nam & propter inscientiam belli, & inopiam rerum necessariarum, multò illis præstabat pacificare. Legatorum orationis exitus erat, vt dicerent ei paratum hospitium in vrbe. Captabāt enim occasionem exturbandi Petri Medices: quod eò faciliùs fieri posse sperabant, cùm scirent quosdam ex nostris ipsorum approbare consilia. Ille verò priuatim etiam miserat ad Regem, in eoque vtebatur quodam suo negocio-

rum

rum gestore, qui tametsi diu versatus esset in Gallijs, tamen nostrarum rationum erat imperitus, quas ne illi quidem satis etiam norunt, qui diu multumq; assueuerunt, idque propter crebras mutationes. Rex quid suæ esset voluntatis, & quid à ciuitate fieri vellet, legatis ostenderat. Itaque Petrus Medices, & cum eo ciues nonnulli, venerunt in castra, vt ad ea postulata responderent. Nisi enim ei satisfacerent, quãto essent in discrimine, videbant. Cogitabant ergo viam sibi munire ad ipsius beneuolentiam. Aduentanti illi obuiam processerunt iussu Regis, Piennius & Brissonnetus. Hi cùm in colloquium veniissent, petebant, vt Sarezanellam arcem in potestatem Regis: Pisas autem & Liburnum, & Petram sanctam, & Libramfactam, ad certum tempus in fidem ipsius permitterent. Ille statim omnia concessit, non communicata re cum suis collegis, qui sciebant quidem fore, vt Pisis aliquandiu Rex moraretur, sui reficiendi causa, verùm vt ea nobis traderentur oppida, minimè erat ipsorum propositi. Nam in summum discrimen hoc ipso Rempub. ille adducebat, & nostris etiam hominibus præter expectationẽ accidit, quòd tam multa largiretur, & ridiculè posteà recitarunt alijs, quàm egisset liberaliter. His omnibus confectis, Rex Pisas venit: Petrus au-

tem Medices Florentiam reuersus, domum suam omnibus rebus ornatam atque refertam, iussit apparari, vt hospitium Regi præberet. Hic mihi dicendum est aliquid de Mediolani duce. Is magnam in spem venerat cõsequendi Sarezanam & Petramsanctam, propterea, quòd Genuensis olim fuerunt ditionis, & Regem ea sibi pollicitum esse confirmabat, sed cùm obtinere non posset, magnoperè offensus domum rediit, illata causa, quam sibi ad proficiscendum necessariam esse diceret. Galeacium tamen Sanseuerinum, & Lætæuillanum ibi reliquit, vt consiliis interessent. Sanseuerinus autem cùm esset Pisis, primos ciuitatis ad se conuocat, eisque persuadet, vti facta rebellione de libertate Regem interpellarent. Mediolani Dux eum summiserat, vt id faceret, per eam occasionem fieri posse sperans, vt in suam potestatem illi demum redirent, sicut olim fuissent sub imperio Ioannis Galeatij, eius nominis primi Mediolani Ducis. Crudeliter iste & superbè imperauerat, sed largitionibus plurimum poterat. Vide sepulchrum eius in Carthusianorum templo Papiæ, cumq; ex iis quidam inter spectandum mihi virtutem eius prædicaret, ac sanctimoniam tribueret: Cur, inquam ego, sanctum appellas? Vides ibi multorum populorum insignia depicta, quos ille

ille sibi nullo iure subegit. Tum iste: Nos, inquit, consuetudine quadam sanctos vocamus eos, qui nobis benefecerint. Sanseuerinus de quo diximus, eò spectabat, vt rem suam familiarem augeret. Habebat in matrimonio filiam illegitimam, Mediolani Ducis, qui non secus atque filium ipsum adamabat, quòd nullos tum haberet grandioris ætatis liberos. Ante annos ferè centum, Florentini, post diuturnum bellum deuictos Pisanos in suam ditionem perduxerant, ijsq; valde superbè imperabant. Ad idem ferè tempus Veneti subegerant sibi Patauinos, eaq; prima fuit ipsorum victoria in continente. Erat vtriusq; ciuitatis par ferè conditio, & eadem quoq; voluntas. Nam, vt hi Venetos, ita illi grauissimè oderant Florentinos. Atq; vt dolorem suum & iniuriam vlciscerentur, re deliberata, cùm à Sanseuerino iam ipsis esset persuasum, cui propter virtutem plurimùm tribuebant, quo tempore ad sacrum Rex ibat, maximo numero, viri pariter ac mulieres, ad pedes ipsius proiecti, magno fletu auxilium ab eo petere cœperunt, ac libertatem sibi restitui flagitabant. Ex familiaribus Regis quidam, senatorij ordinis, Rabotus, cùm proximè antecederet, conuersus ad eum: Triste, inquit, & miserabile est istud spectaculum, nec vllus est Italiæ populus,

qui tantas indignitates atq; contumelias perferat. Æquissimum est, vt ipsorum miserearis, & concedas, quod tantoperè petunt. Hoc an fecerit, vel quòd rogatus esset ab illis & pollicitationibus inductus, vel quòd rei summam non intelligeret, dubium est. Rex autem, qui nesciret, quid illud sibi vellet, quod de libertate dixerant, commiseratione quadam impulsus, respondit, sibi placere ipsorum postulata. Quod vbi Rabotus, de quo diximus, enunciasset, ac studium Regis erga ipsos commendasset, illi sublato clamore, lætitiam suam significabant, & statim facto concursu, cùm ad pontem Arni fluminis veniissent, leonem illum prægrandem, columnæ marmoreæ superimpositum, quod est insigne Reipub. Florentinæ, demoliti, Regis effigiem in eam columnam collocabant, sic, vt equo insidens, dextra teneret gladium, pedibus autem equi subiectum ac prostratum haberet leonem. Hoc illi tunc quidem, vt nobis gratificarẽtur: sed postquam deinde Maximilianus Cæsar èò venit, sublata statua, quam nobis posuerant, consimilem illi tribuebant honorem. Itali enim ferè student, seq; adiungunt semper potentioribus, quanquam certè Pisani, quorum est durissima conditio, merentur excusationem, quòd meliorem statum affectent. Rex paucis diebus ibi commo-

commoratus, vbi Florentiam venit, grauiter questi sunt de iniuria, quam accepissent, ob libertatem Pisanis restitutam, in quo promissum ab eo non seruatum esse, nec etiam ei licere dicebant, vt ipsos in suo iure impediret. Qui pro Rege verba fecit, excusabat factum, eumque dicebat non rectè accepisse illorum postulata, neq; velle ius ipsorum aut vectigalia deteriora facere. Nouum itaq; cum illis pactum fecit, de quo sum dicturus, vbi de Petro Medices, & quid illi acciderit, primùm exposuero. Quòd is tam multa Regi permisisset, nonnulli eò leuiùs tulerunt, quòd abeuntem putarent redditurum esse, quæ bona fide accepisset. Et quanquam Pisæ maximi sit momenti ciuitas, tamen si Rex ibi voluisset hyemare, opinor Florentinos non fuisse ei denegaturos. Vbi Florentiam ergo reuertisset Petrus Medices, nemo vultum fingebat, sed irati animi signa pleriq; omnes dabant, propterea quòd per ipsum essent exuti facultatibus ijs omnibus, quas annis propè centum maximo labore atq; periculo sibi comparassent, ac videbatur illis pronunciare animus aliquid magni incommodi. His de causis, præsertim desiderio libertatis, quam amissam esse iudicabant, constituerunt illum extra Rempub. eijcere, ab eoq; consilio non splendor huius fa-

miliæ, non gratia, non recens Cosmi & Laurentij ornatissimorum hominum memoria eos reuocabat. Et cùm earum rerum insçius ipse, tametsi de infirmitate plebis nonnihil dubitaret, ad curiam veniſſet comitatus, vt ad Senatum referret, quid actum esset, non fuit intromissus, & ex Nerlis quidam armatus, qui portam occupauerat, dicebat, non ei licere cum comitatu ingredi. Domum igitur reuersus cùm sic esset repudiatus, clientes ac famulos suos omneis iussit arma capere, simul, quid fieri vellet, & quæ sua esset fortuna, Paulum Vrsinum admonuit, gentilem ac familiarem suum. Nam quòd inter ipsos quædam esset necessitudo, familia Medicensis, quæ potens erat & ampla, consueuit inde à Laurentio dare illis annuum stipendium. Consilium eius hoc erat, vt factioni aduersariæ vi armorum resisteret: sed illicò fuit conclamatum ad libertatem, & populus ad arma concurrit. Eo cognito, statim profugit, miserabili certè fato. Nam quæ plurimis annis fuerat potentissima domus, & principibus ferè comparanda, quicquid habuit dignitatis atque splendoris, eo die amisit. Eam rem omnem cognoui à legato Florentino, qui tum erat Venetiis, & grauiter tuli, quòd non esset meum secutus consilium. Quo enim tempore Venetias primùm veni,

datis

datis ad eum literis, nunciabam, quibus rationibus pacificare posset. Hoc enim in mandatis mihi dederant Brissonetus atq; Verius, & Rex placari poterat, si iter solum dedissent, aut ad summum, si Liburnum ei permisissent, verùm ille meis acceptis literis, alienè respondit. Postero die legatus ille, quem dixi, recitauit Senatui Veneto ex literis, quam obrem profugisset: conatum esse Rempub. opprimere, & comparare sibi dominatum, auxilijs Arragoniorum & Vrsinorum. Idem legatus, pridiè cùm nihil adhuc esset allatum, valdè amanter & officiosè multa mihi de illo confirmauerat, non secus ac si ipsius esset cliens: nunc verò, commutata fortuna, longè diuersum publicè dicebat, secutus mandatum Senatus. Hic videlicet, est rerum humanarũ status, vt pleriq; omneis ad motum fortunæ se quoq; moueãt. Post hæc nunciatum fuit, illum fugientem aduentare Venetias, & Regem honorificè admissum esse Florentiam. Legatus deinde, cùm à suis domum euocaretur, discessit. Significauerant enim illi, quam essent nacti tempestatem, ea vtendum esse. Biduo pòst, venit eò Petrus Medices, parum benè cultus. Veneti autem, quòd verebantur, ne Regem offenderent, cùm non possent ei honestè denegare hospitium, percunctando studebant ex me cognoscere,

quæ Regis esset voluntas. Ego, qui cuperem ei gratificari, præsertim cùm Rex nihil de illo ad me scripsisset odiosè, respondi existimare me, fugisse illum propter mobilitatem vulgi potiùs, quàm metu Regis. Itaq; fuit admissus, & liberaliter exceptus, eiq; & famulis permittebatur esse cum telo. Et quanquam Cosmus Medices olim impediuerat eos, quò minùs Mediolanum obtinerent, tamen ob eius familiæ virtutem atq; nobilitatem, in magno ipsum honore habebant. Postquam in collocutionem veni, prolixè de sua calamitate mihi commemorabat, amissis rebus omnibus. Hoc etiam inter alia valde hominem angebat, quòd ex ipsius procuratoribus quidam recusasset ei subministrare pannum, quò se suosq; vestiret. Ego, quibus poteram rationibus eum confirmabam. Rex priusquàm iret Florentiam, datis literis, eum accersiuit, sed ille pridie eius diei profugerat, cumq; ex nostris quidam, qui locum & hospitium Regi parabat in illius ædibus, de fuga cognouisset, cœpit illicò prædari & diripere quicquid reperisset, illata causa, quòd ipsius procuratores Lugduni magnam vim pecuniæ sibi deberent. Is abstulit inter alia cornu quoddam insigne Monocerotis, precij septem millium aureorũ. Quicquid haberet opum præterea, deportari iusserat in

rat in quaſdam alias ædes. Id omne vulgò direptum fuit, ſed ornamenta quædam illius, & ad viginti aureorum millia, & pocula valde precioſa, & ſigna quædam elegantiſſima, Senatus ſibi ſeruauit. Summa omnium quæ amiſit eo die, fuerunt ad centum aureorum millia.

PHILIPPI COMINÆI, EQVITIS, COMMENTARIORVM Liber ſecundus.

FLORENTINI poſteà nouã fecerunt cum Rege pactionem, & mutuò dabant centum ac viginti aureorum millia, concedebant etiam quæ diximus, oppida, & quò magis ei gratificarentur, inſignia ſuæ vrbis mutarunt, & Gallicis conſimilia ſumpſerunt, ille inuicem in ſuam tutelam atque fidem eos recepit, & ſanctiſſimo iureiurando pollicebatur redditurum ſe ipſis, quæ accepiſſet oppida, quarto menſe poſt, quàm Neapolim veniſſet, aut eò citiùs, ſi fortè antè id tempus in Galliam rediret. Commoratus apud eos paucis diebus, Se-

nam, inde Viterbium petiuit. Eo in oppido constituerant hostes morari, nostrumq; aduentum expectare, & si res ita ferret, prælio nobiscum decertare, quod & Alphonsi Regis, & Alexandri Pontificis legati Venetijs mihi dicebant. Ferdinandus enim Alphonsi filius, Romam se receperat, & ipsum Alphonsum, cui magnam plærique tribuebant fortitudinem, Viterbium vsq; venturum esse cum exercitu putabam, filio relicto Neapoli præsidio. Locus enim ille visus mihi fuit valdè opportunus, vbi nos exciperet, eò quòd haberet à tergo tum suum tum Pontificis & Vrsinorum agrum omnem, in quem, si quid accidisset incommodi, absq; maiori vllo periculo facilem habuisset receptum. Arcem Viterbij Rex occupauit per Cardinalem Ostiensem, eius loci præfectum, & mirabar cùm ab eo mihi redderentur literæ ibi scriptæ, ac tunc primùm cœpi cogitare esse Deum, qui profectionem nostrã gubernaret, meq; pœnitebat, quòd paulò antè fueram hortatus Regem per literas, vt cum aduersarijs, qui tum honestas deferebant conditiones, paciscerentur. Aquapendens oppidum & Mons Faliscorum, & quicquid est in ea regione, in potestatem Regis concessit priùs, quàm Viterbium ille veniret, hæc omnia cognoscebam ex literis tum Regis, tum ijs, quæ mitte-

mittebantur ad Senatum Venetum. Illinc Romam profectus venit in agrũ Vrsinorum, qui statim in ipsius fidem ac potestatem se permisit, authore Carolo Vrsino, qui eius rei mandatum habere se dicebat à suo parente, qui militabat Alphonso. Nam Itali suo quodam more diligenter prouident, ne infirmiores sequãtur partes, ideoq; etiam belli tempore solent aliquando communicare sua cum hostibus, & sunt intenti vt cognoscãt in vtram partem inclinet fortuna. Brachiani, quod est Vrsinorum ditionis oppidum, locuples & copiosum, exercitus noster commodè sese refecit. Inde Rex eum, quem suprà diximus Cardinalem, misit Ostiam, oppidum maritimum, vt Romã, quæ est in propinquo, cõtineret in fide & amicitia. Tenebant illud oppidũ Columenses, qui nostrarum tunc erant partium, opera & intercessione Cardinalis Ascanij, qui frater erat Mediolani Ducis, eumq; valde oderant Vrsini. Nam hæ duæ familiæ, quàm latè Romanæ Ecclesiæ patet imperium, suos habent clientes atq; deuotos, perpetuæq; sunt inter ipsos turbæ & offensiones. Quòd nisi malum hoc interueniret ijs locis, nullus Italiæ populus meliori conditione aut æquiori vteretur imperio, propterea quòd nullum ferè pendent tributum, & Rempub. habẽt bene constitutã, quia Romani

Pontifices plerumq; sunt, & ipsi docti, & homines præficiunt idoneos: sed nemo credat, quantis malis occasionem prębeant factiones illæ duæ. De Columensibus, & quemadmodū à nobis defecerint, posteà sum dicturus. Præter eum Cardinalem, Rex Ostiam quoq; miserat Peronem Bassum, qui paucis antè diebus attulerat viginti aureorum millia, quæ Mediolani Dux paulò antè Regi mutuatus erat. Attribuerat autem illis Rex ad quingentos equites, & duo Heluetiorū millia, quibus pręerant Comes Liniacus, & Alegrius, & ipsorum propositi erat, vt traiecto Tiberi, Ferdinandum qui Romæ erat, commeatu intercluderent, auxilio Columensium, quibus amplissima Rex dabat stipendia. Sed hoc in loco varia concurrunt, de ijsq; singulis aliquid nobis est dicendum. Rex antequàm Viterbium venit, legatos Romam miserat, & in his Tremolium, ad Pontificem, vt de pace agerent, quoniam ille iam initium aliquod eius rei fecerat, vt Italorum fert consuetudo, sed interea Pontifex, nocturno tempore in vrbem receperat Ferdinandum cum copijs, & nostros legatos comprehensos, eodē die dimisit: Ascanium verò Cardinalē, & Prosperum Columnum captiuos detinuit, quod nonnulli ferebant ipsorum voluntate fieri. Eo toto itinere, non ampliùs biduo Rex vno aliquo

quo in loco morabatur,& multò commodiùs eueniebant omnia, quàm polliceri aut optare sibi potuisset ipse. Pontifex vbi vidit eum tanto successu & celeritate progredi, permisit, vt Romam veniret, quanquam sanè vt prohiberet,non iam în ipsius erat potestate. Ferdinandus autem noctu clàm discedens, Neapolim reuertit, deductus aliquousq; à Cardinalibus aliquot. Regi obuiam processerunt Cardinales ac Senatores magno numero,& hospitium fuit ei tributum in vrbis ea parte, quam Columnenses inhabitant. Pontifex in Adriani molem se recepit. Nónne autem mirum debet videri,& Regem Alphonsum,cuius tanta erat opinio virtutis atq; scientiæ militaris,eiusq; filiũ & Vrsinos,qui plurimum ijs locis poterant, nõ fuisse ausos committere suam salutem vrbi Romæ, præsertim cùm satis perciperent & Mediolani Ducem & Venetos iam conari defectionem, & de fœdere cõsultare? Nam si Viterbij aut etiam Romę,saltem per aliquot dies nobis illi restitissent, illicò fuisset initum illud fœdus: at consilium Dei cogitationes captũq; nostrum excedebat. Antè quàm Romam Rex venit, concidit aliqua pars muri, & quum eò venisset collapsus etiam fuit ille murus, quo cingitur Adriani moles, in quam Pontifex sese abdiderat, quod præter alios duo quidem

Cardinales mihi recitarunt: qua quidem in re significationem aliquam & omen inesse crediderim. Sed nunc mihi de Alphonso nonnulla sunt explicanda. Ab eius patre nobilitas propè omnis defecerat, vt initio libri diximus, qui cùm extremum auxilium diu frustrà expectassent, in gratiam redierunt, & ex ipsis nonnulli, cùm Neapolim reuertissent, per fidem circumuenti, capti fuerunt ab eo circiter viginti quatuor, quos ab eius morte Alphonsus filius necauit omnes, ac supplicium quoque sumpsit de Principe Rhosanæ, & Duce Sessæ fortissimo viro, quos pater aliquando simili fraude circumuenerat. Ille in matrimonio habebat Ferdinandi sororem, & quanquam grauiter eum offenderat: tamen, quòd data fide ad ipsum veniisset, non erat æquum, vt vim vllam pateretur. Comprehensus autem, in terrimum carcerem abiectus fuit: pòst etiam ipsius filius, adolescens valde formosus, annorum circiter quindecim: cumq; regni summa deferretur ad Alphonsum, ille iam totos viginti quinq; annos fuerat in vinculis, neq; multò pòst, Alphonsus captiuos in Ischiam insulã Neapoli vicinam deportari ac interfici iussit omnes, præter vnum & alterum. Crudelitatis & iracundiæ ipsius administer fuerat è Mauritania, quidam homo barbarus atq; ferus, qui perpe-

perpetrata cæde, domũ redijt illius mandato, vt facinus illud maneret occultum. Erat Ferdinandus ingenio valdè truculento & incõstanti. Nam & interepulas ac in conuiuijs cùm lætitiam ac hilaritatẽ præ se ferret, iubebat homines comprehendi, & vitæ periculũ illis creabat. Ad hunc modũ cepit, & posteà necauit Iacobum Piciniuum, Franciſci Sfortiæ, Mediolani Ducis legatum: tametſi rumor erat Sfortię voluntate hoc eueniſſe, quòd excellentẽ hominis virtutẽ, qui magnas haberet per Italiam clientelas, ambo metuerent. Breuiter, nihil erat in eo humani, nihil commiſerationis, quod etiam ipſius propinqui & neceſſarij profitebãtur. In populũ vehementer fuit iniquus, & nullum mercaturæ genus nõ exercebat, adeò ſordidus & illiberalis, vt etiam porcos diſtribueret ſaginandos alieno ſumptu, quò eſſent vendibiliores, quos ſi cõtigiſſet perire, tum eos qui ſuſcepiſſent alendos, damnũ ei præſtare oportebat. Per Apuliã, quanti vellet, emebat quicquid erat olei, & frumentum alijs in locis, antequàm maturuiſſet, & quanti omnino poterat, diuendebat. Quòd ſi fortè propter earum rerum copiam remitteretur preciũ: cogebantur tamen homines ad ipſius arbitrium atq; præſcriptum emere, & quamdiu ſuppeteret ipſi quod venum daret, non licebat alijs quicquam

distrahere. Ex nobilitate qui rem familiarem curabant, & paulò erant lautiores, ab ijs pecuniam & quicquid eius animo adhibuisset, mutuabatur, aut etiam inuitis eripiebat, & passim habebat equorum greges, quos alij cogebantur ei propagare & enutrire. Patris ingenium referebat Alphonsus, vterq; crudelis, & libidinosus, & impius. Nam & fœminis compluribus vim fecerunt, & Ecclesiæ nullum deferebant honorem, imò præfecturas Ecclesiarum vendebant, & Ferdinandus Episcopatum Tarentinum Iudæo cuidam vendidit, tredecim aureorum millibus, qui illum suo filio, quem nostrę religionis esse diceret, comparabat. Abbatias autem, & id genus alia, seruulis suis & familiaribus pro mercede dabat, nonnunquam etiam sub conditione, scilicet, vt accipitres ad certum tempus sibi curarent, ac mansuefacerent, aut simile aliquid. Alphonsus, solenne illud & ab Ecclesia sancitum, quadraginta dierum ieiunium, contemptim habebat, neq; peccatorum expiationem quærebat, neq; cœnam domini quicquam ad se pertinere putabat, & vt paucis omnia dicam, nihil erat illis impurum magis & sceleratum. Putant nonnulli, quòd si Alphonsi filio, Ferdinando, longior vita contigisset, superaturum fuisse vtriusq; nequitiam & improbitatem. Mihi quidem

dem visus fuit admodũ demissus ac benignus, verùm id fortasse rebus duris & asperis potiùs, quàm ipsius indoli tribuendum est. Dicat aliquis, odiosè hæc à me recitari: sed affirmare possum, & religiosè quidem, nullum hic interuenire affectum, & eò solùm ista commemoro, vt quàm sit potens & iustus Deus, omnes intelligant. Nec enim vllum flagitium dimittit impunitum, & hîc videmus quomodo Carolum Regem adolescentem, nec rebus, nec hominibus idoneis instructũ, excitarit, vt eos reges tam prudentes, tam locupletes, tam exercitatos militiæ, quibus ad gerendum bellum nihil etiam deesset, mulctaret. Qui tametsi multò antè præuiderent eam imminere tempestatem: tamen inopes consilij & velut attoniti, non potuerunt eam à se depellere. Sola enim arx Neapolis impetum nostrorum aliquandiu sustinuit. Non inuenustè igitur Alexander pontifex, Gallos eò venisse dicebat, cum ligneis calcaribus, & cretam solùm prætulisse manibus, vt inscriptione facta, hospitijs idoneum locum sibi deligerent. De calcaribus autẽ eò dicebat, quòd dum nostri homines, ociosi per vrbes obequitant, seruuli soleant ipsorũ calceis imponere cuspidẽ aliquam ligneã, quæ sit calcariũ loco. Nec enim frequenter admodum in ea profectione nostri gestarunt arma,

& ab Asta Neapolim vsq; Rex quatuor solùm menses ac dies vndeuiginti consumpsit. Quare non dubitem affirmare, & multos per Italiam noui honestissimos viros, qui idem iudicant, hanc videlicet plagam illis inflictam fuisse à Deo, vt reliqui principes omnes ipsum reuereantur, & ius cuiq; suum reddant. Nam illi non modò regnum ipsum & quicquid haberent opum, sed existimationem etiam amiserunt omnẽ, & ex ipsis vno anno tres è vita decesserunt. Ferdinandus enim, qui magni illius Alphonsi Regis, prudentissimi & optimi viri filius erat illegitimus, cum videret à nobis impendere sibi discrimẽ, neq; posset resistere, magnopere angebatur in animo, & eò vehementiùs, quò magis de sua filijq; sui vitæ turpitudine cogitabat, & quò grauiorẽ iustioremq; populi contra se offensionẽ esse sciebat. Nam etsi crudelis erat, tamen ingenio præstabat, & ex ipsius familiaribus nonnulli mihi confirmabant, cùm sacellum quoddam diueret, repertum fuisse libellum, in quo perscriptum esset, quicquid posteà pertulit incommodorum, eumq; vbi legisset paucis quibusdã adhibitis, in ignem coniecisse. Ad eum dolorem hoc etiam accessit, quòd ipsius filius Alphonsus, & ex eo nepos Ferdinandus, huic famę de Regis aduentu, fidem non habebant. nam hi contemptim

ptim ferè de re tota loquebantur, & grauiter interminati, dicebant, se cum exercitu nobis obuiam processuros ad Alpes vsq;. Ipse verò, qui periculi magnitudinẽ intelligeret, per legatum suum Camillum Pandulphum, valde sollicitabat Regem de pace, priusquàm Vienna discederet, quam vt impetraret, pollicebatur dependere vectigal annuum, ad quinquaginta aureorum millia, paratus etiam fidem & iusiurandum præstare, & regnũ ei ferre acceptum: cumq; videret ad pacem nullum aditum sibi patere, morbo correptus interijt, expiatis anteà peccatis, vti spero, & Deo reconciliatus. Alphonsus autem, qui tam fuerat immanis per omnem vitam, & qui adeò magnum habebat vsum armorum, sua sponte, priùs quàm Roma Rex digrederetur, administrationem omnem deposuit, & tantus ei timor incessit, vt noctu perpetuò exclamaret, audire se aduentantes Gallos, & non homines tantùm, sed arbores etiã & saxa nomen Gallicum sonare. Filium itaq; suum, vbi Roma Neapolim redijsset, in regni possessionem misit, & inauguratione facta, iussit obequitare per vrbem maximo cum comitatu. Quo facto, fugam in Siciliam adornauit, cum sua socru, quæ soror erat Ferdinandi Castiliæ Siciliæq; Regis. Et cùm eius rei fama vbique percrebuisset, in primis

autem Venetiis, non idem erat hominum iudicium: dicebant alij profectum ad Turcarum Cæsarem: alij decedere ex regno iactabant, in gratiam sui filij, qui populo esset acceptus. Mea verò semper fuit ea sententia, vt dicerem, pauore consternatum profugisse. Nemo enim qui sit crudelis, vir fortis & animosus esse potest, vt in Nerone & id genus aliis tyrannis videre licet. Tam autem erat exanimatus, ac fugæ cupiens quod ex ipsius familiaribus cognoui, vt socrui suæ diceret, quòd nisi è vestigio discederet, se relicturum ipsam. Et cùm illa solùm tridui spacium atque moram peteret: hoc enim sibi deesse ad explendum annum, quem volebat videri fuisse totum in eo regno: ille respõdit, nisi pateretur se discedere, eiecturum sese per fenestram, &, Nonne auditis, inquit, omnes homines inclamantes nomen Gallicum? Sic igitur perterriti profugerunt. Præter vina quædam generosa, quibus delectabatur, & varia genera seminum, ad rem hortensem, & ornamenta quædam atque signa, & aliquam pecuniæ summam, nihil asportauit: reliqua omnia in arce Neapolis reliquit. Cùm in Siciliam venisset, Messanam profectus, & monachis aliquot secum deductis, votum faciebat, velle in posterum abstinere ab omni administratione, & suscepto eo vitæ genere,

magnam

magnam præ se ferebat sanctimoniam, beneficus admodùm erga pauperes. Erat eius propositi, velle cõmigrare in Hispanias, & Valentiæ quoddam vitæ monasticæ genus amplecti, eorumque more vestiri, sed calculo grauissimè adflictus, aliquantò pòst decessit, & quoniam anteactæ vitæ maximoperè ipsum pœnituit, vt accepi, sperare licet, Deum illi suam infinitam gratiam atque misericordiam communicasse. Eius filius Ferdinandus, ad quem nuper erat delata rerum summa, vt diximus, cùm arbitraretur fuga sui patris offensiones omneis remissas, collegit quàm potuit maximas equitum & peditum copias, & ad Sangermanum, quod est in aditu regni oppidũ, consedit, & quicquid omnino necessarium esset, procurabat. Est ibi Liris fluuius, qui pedibus nonnunquam transiri potest, deinde mons vicinus & superimminens oppidum efficit munitum. Atque hic demum, qui familiæ Arragonicæ fauebant, cœperunt rursus in spem aliquam venire. Rex interim erat Romæ, commoratus ibi per dies viginti, in magna frequẽtia exterorum hominum & Cardinalium, in quibus erat Ascanius. Hi propè omnes valde pontificem oderant, eumque cogitabant deturbare loco, & creare nouum: eoque res processit, quod ex fide dignis accepi, vt semel at-

que iterum iuberent deduci tormenta & machinationes, quibus Adriani molem, in quam ille se receperat, euerterent: & nisi Regis interueniisset authoritas atque gratia, perfeciissent quod constituerant. Arx enim illa non possit vim vllam maiorem diu sustinere. Et quoniam muri aliqua pars nuper collapsa fuit, vt antè diximus: multò maior alacritas studiumque oppugnandi maius illis iniectum est, & significationem aliquam esse dicebant, quæ diuinitus accidisset. Inter alia insimulabant eum empti Pontificatus, & verè quidem istud: sed Cardinalis Ascanius autor fuerat eius venditionis, & ampliissima idcirco munera acceperat, quoniam & ipse Pontificatū ambiuerat. Et quamquam grauiter inter se dissidebant: tamen vterque, meo iudicio, de suo iure discessurus erat, & permissurus alium quemuis eligi fortasse aliquem etiam nostræ gentis atque factionis. Et videri possit Rex minùs bene sibi consuluisse, quòd non eò rem deduceret: sed quoniam adolescens erat, & hominibus idoneis carebat, quòd paciſci maluit, prudenter ab eo factum esse iudico. Fuisset quidem res insignis & memorabilis ad posteritatem, si statum Ecclesiæ Romanæ, tunc in primis valde corruptum & impurum emendasset. nam neque facultas ei deerat, neque voluntas etiam,

etiam, sed opus in eo fuisset magna quadam dexteritate lectissimorum hominum, quibus ipse destitutus erat, vt nō semel anteà demonstrauimus. Itaq; transegit pactis aliquantò durioribus, quæ res & offensionem excitauit, & fœderi de quo posteà dicemus, occasionē præbuit. His autem conditionibus pactum fuit, vt Pontifex & Cardinales omnes pacem inter se colerent, vt absentes etiam Cardinales fructum & emolumentum sui ordinis perciperent, vt pontifex quatuor eius regionis oppida in fidem Regi permitteret, vt Turcarum Cæsaris fratrem, quem maximis præmijs custodiendū acceperat, Regi traderet. Adiecta fuerunt etiam nonnulla, quæ propriè ad senatum Cardinalium pertinebant. Pro ijs rebus omnibus obsidem dabat, filium suū, Valentiæ Cardinalem, vt cum Rege Neapolim iret legatus, eumq; Rex in summo habebat honore. In gratiam autem Regis, Pontifex duos creabat Cardinales, Brissonetum & Episcopum Cenomanorum familiæ Lucemburgicæ. His rebus confectis, Rex in viam se dabat, amicissimè, vt quidem videbatur, à Pontifice dimissus. Verùm Cardinales octo, qui compositionem hāc grauiter ferebant, factionis Ascanij, omnes Roma discesserunt, tametsi nonnulli dicerent Ascaniū agere simulatè, eiq; cum Pontifice nō

malè conuenire. Sed de eo nihil affirmare possum. Frater quidem eius, Mediolani Dux nondum offensionis vllum signum nobis dederat. In itinere cùm non longè nostri processissent, Valentiæ Cardinalis, obses, profugit. Postero die Rex oppugnatione cœpit Castelfortinum, interfectis omnibus qui intus erant, propterea quòd is cuius erat oppidum, accepto à Rege stipendio, cùm esset Vrsinæ factionis, ad hostes defecerat. Inde progressus, arcem quandã Marchionis Piscariæ, cùm per octo circiter horas oppugnasset, vi cepit, & eos qui intus erant, in hostium numero habuit. Pòst, Sangermanum petebat, quod sedecim ab eo loco milliaribus abest, quod ad oppidum Ferdinandus Rex omnem suum exercitum conuenire iusserat, positis ibi castris, vt suprà diximus. Aut hîc enim, aut nusquam alibi resistendum erat. Sed ille, tametsi præmiserat, qui aditum quendam, sex ab oppido milliaribus, à nobis defenderent, discessit nullis ordinibus antequàm Rex eò veniret. Primam aciem ducebat Guisius, & cùm nostri aditum illum, qui est inter montes, nullo resistente occupassent, Rex Sangermanum venit: Ferdinandus autem, vbi Capuam veniisset, vix cum paucis quibusdam in vrbem receptus fuit, neq; diu moratus abiit, cohortatus eos ad fidem atque

que constantiam, iniecta spe sui reditus in posterum diem. Quod fore suspicatus erat, id accidit. Quos enim ibi in præsidio reliquerat, ij non expectato ipsius reditu, quod iusserat, Nolam iuerũt. In his erant Virgilius Vrsinus cum nepote suo, & Comes Petilianus, qui capti à nostris, iniuriam sibi fieri, & per fidẽ, quam Rex ipsis dedisset, circumueniri se querebantur: & verè quidem, sed literæ quibus cautũ ipsis fuerat, nondum erãt eis traditæ. Dimissis tandem absq; mulcta, nonnihil suarum rerum, quas nostri cepissent, desiderarunt. Sangermano Rex Calenum petijt, duobus à Capua milliaribus. Eò venerunt Capuani, & facta compositione, Regem & exercitum eius omnem in vrbem receperunt. Postridie cùm Auersam, medio itinere oppidum inter Capuam & Neapolim, venisset, Neapolitani legatos de pace mittebant, & postquàm idoneè illis cauisset, eosq; suis legibus vsuros esse confirmasset, pacificarunt. Eò Rex præmisit Marescallum Gium, Stephanum Verium, & Gannæum Iureconsultum, vt omnia procurarent. Ferdinandus, vbi nobilitatem omnem atq; populum sumptis armis à se deficere, & ad bonorum quoq; diremptionem properare cognouit, ingressus nauim, in Siciliam contendit. Incredibile est, quanta lætitia & congratulatione Regem ex-

ceperint Neapolitani. Obuiam ei processerũt etiam Arragonicæ domus beneficiarii, in primis autem ij, qui sunt familiæ Caraffícæ, qui censum annuum habebant ab his regibus, ad quadraginta aureorum millia. Reges enim ijs locis nõ sua tantùm, sed & aliena sæpe largiuntur, & pauci sunt, quorum possessiones nõ dependeant vel à regibus, vel aliunde. Maxima igitur erat, vt dixi, hominum lætitia, propter depulsam à se tyrannidẽ. Præter arcem Brundusij, & Gallipolim, Apulia tota repentè ad nos defecit. Calabria quoq;, tribus exceptis oppidis, & arce Rhegij, verùm id accidit nostra culpa, quòd nulli qui in fidẽ ipsos reciperent, mitterentur. Tarentum, Hidruntum, Monopolis, & quæ sunt ijs locis alia oppida, tridui iter obuiam nobis ibant, ac missis legatis, fidei nostrę ac potestati sese dabant. Idem faciebãt ex principibus & nobilitate plærique omnes, ac frequentes Neapolim ad Regem conueniebant, Salernitanus, qui iam antè noster erat, item Bisignianus, Melfitanus, Soranus, Fundensis, Atripaldinus, & complures alij. Solus Marchio Piscariæ, qui ditionis est Pontificiæ, nec venit ipse, nec legatos etiam de pace misit: duo quidam alij, quorum possessiones Rex largitus erat Albinio, in Siciliam profugerunt. Ferdinandus fugiens reliquerat in arce Neapolis

Mar-

Marchionem Piscariæ & Germanorum aliquot cohortes. In Siciliam autem profectus erat, vt Alphonsum parentem de auxilijs sollicitaret. Eius patruus Fridericus habebat classem mediocrem instructam, & interposita fide, bis cùm Rege collocutus, petebat, vt nepoti suo partem aliquam regni & nomẽ regium concederet, item, vt sua suæque coniugis bona sibi permitteret. Quod pro se postulabat, non erat magni momenti, quoniam hæreditatis paternæ deteriorem & minimam partem acceperat. Rex tum ipsi tum nepoti amplas deferebat in Gallia possessiones. Illi autem recusabant, & Regi tamen non erat integrum ampliùs concedere. Nam si quod petebant, impetrassent, ad primam quamq; occasionem nouos excitassent motus. Arcem Neapolis defendebant Germani. nam Marchio Piscariæ cùm nollet obsidionem ferre, discesserat. Quòd si nostri in vicinam insulã maioribus aliquot tormentis adductis, aditus omnes atq; loca defendissent, facilè expugnassent, & reliqua deinde in suam potestatẽ sine negocio redegissent: verùm dabant se voluptatibus atq; delicijs, tantoq; sibi spiritus & arrogantiã sumpserant, propter opinionem scientiæ bellicę, vt Italos omnes valde præ se contemnerent. Rex etiam in tanto rerum successu, nihil serium aut

graue cogitabat, sed intentus erat ludis atque iocis, & subinde huc illuc animi recreandi causa, per vrbem & foris obequitabat. Et quoniã de tributis atq; vectigalibus multum remiserat, valde erat acceptus multitudini, quæ tametsi leuis ferè sit & infirma, tamen propter ea beneficia credo fuisse in fide permansuram. Sed in eo valde nostri peccabant, quòd nobilitatem indignè tractarent, eos præsertim qui partium fuerant Andegauensium, à qua familia Rex omnem actionem atq; ius belli acceperat. Interiectis aliquot diebus, dum hæc geruntur, Germani occultè à nobis sollicitati, facta deditione arcem tradunt. Bellum istud Deus planè gubernabat: nam sæpenumerò & grauissimè quidem à nostris erratum fuit, & quoniam plæriq; beneficium hoc Dei non agnoscebant, maxima fuit secuta rerum commutatio, & subita quidem. Ac sicut per æstatem in ijs locis, quæ sunt ad septentriones, sol, vbi occidit, minimo pòst interuallo & spacio temporis oritur vicissim ac denuò conspicitur, sic etiam illa, quæ nobis affulsit fortuna secunda, repentè euanuit, & tristem sui memoriam reliquit, magno certè Reipub. detrimento. Nisi enim moribus & ingratitudine nostra Deus fuisset offensus, Turcarum Cæsar non minùs facilè potuisset exturbari, quàm Alphonsus.

Erat

Erat enim ignauus, & ipsius fratrem hominem bellicosum atq; audacem Rex in sua tum potestate habebat, quem ille propter virtutem magnopere metuebat. Deinde qui sunt sub ipsius ditione, Christianæ professionis, ad defectionem pleriq; omnes spectabant, & ab Hidrunto, Apolloniā vsq;, solum est interuallum sexaginta milliarium, & inde Constantinopolim, iter ad summum octodecim dierum, in eaq; regione tota, pręter vnum & alterum oppidum, nihil est firmi atq; muniti, eamq; incolunt Albani, Sclauoni & Græci, valde frequentes. Qui de progressu Regis atq; victoria certiores facti per suos amicos, Venetijs & ex Apulia nunciabant, quò minùs deficerent, nihil sibi præter occasionē deesse. Quod vbi Rex cognouit, legatū eò misit Archiepiscopum Dyrrachiensem. Is, incredibile est, quàm multos ibi repererit cupidos rerum nouarum, & in his, quàm plurimos illustri loco natos, nepotes etiam & propinquos Constantini, qui Monferratensem agrum nunc administrat, & tunc occultè mecū erat aliquandiu Venetijs. Ad eum pertinebant Madonia, & Thessalia, & Apollonia, & Scodra, & Croia, quæ quidem oppida ipsius pater, nisi fallor, Venetis oppignorauerat, qui Croia deinde amissa, Scodram ex pacto Turcæ concesserunt: quod quidem oppi-

dum Constantinus tunc facilè recepisset auxilio suorum, nisi Dyrrachiensis impedimentum attulisset. Hunc in ipsis finibus expectabat Constantinus, & ego valde hominem vrgebam, cùm esset Venetiis, vt discederet. visus enim est mihi parum taciturnus. Ipse verò magna pollicitus, dicebat se facturum aliquid præclari. Sed in eo ipso tempore mortuus est Turcarum Cæsaris frater, quem Romanus Pontifex Regi captiuum dederat, vti dictum est. Quod vbi Veneti resciuerunt, cogitabant statim enunciare in Turciam, & ne quis anteuerteret, mandabant, ne qua nauis ea nocte exiret inter duo illa castella, quæ sunt in aditu maris atq; eius sinus, qui ad ipsos pertinet. Excubitores etiam eò disponebant, ne minora nauigia, cuiusmodi plurima sunt in propinquo transirent. nam eum nuncium sciebant vehementer gratum esse futurum Turcarum Cæsari. Accidit autẽ, & importunissimè quidem, vt ea nocte Dyrrachiẽsis illinc solueret, vt Constantino, qui præcesserat, se se coniungeret, instructus armis atq; telis, quæ distribuerentur in eos, de quorum virtute atq; fide compertum habebat. Sed cùm ad eum locum, vbi illi excubabant, veniisset, captus vnà cùm famulis, custodiæ mandatus fuit & ademptis ei literis quas haberet, Veneti rem omnem ex iis cognoue-

gnouerunt, reliquis autẽ in ea naui permissum fuit, progredi. Retulit mihi deinde Constantinus, Venetos enunciasse omnia nõ solùm Turcæ, verùm etiã eius præfectis, qui sunt ad fines. Et nisi per quendam Albanũ, ad quem ea nauis pertinebat, qui ipsorum permissu, vti diximus, progressus erat, certior fuisset factus de eo quod accideret, in summo erat discrimine, sed vbi cognouit, in Apuliam mari profugit. Nunc verò poscit argumentum, vt de Venetis deq; mea legatione aliquid referã. Missus eò fui, primùm, vt gratias agerem, quòd tam liberaliter & amicè respondissent illis quos ante me Rex miserat, deinde, vt si omninò possem, in fide ipsos & amicitia continerem. Nam quòd & opibus & industria, & administrandi peritia, plurimùm possùnt, facile ipsis erat institutum Regis per Italiam euertere. Cùm à Rege discederẽ eò profecturus, quod fuit Astæ, aderat Sforcia, Mediolani Dux, & quò commendatior essem, literas ad suũ legatũ, qui Venetijs erat, mihi dabat, cũ eoq; multus mihi deinde fuit vsus. Huic dabãt Veneti centũ aureos menstruos, & domiciliũ instructũ, & treis nauiculas, quibus animi causa vteretur: ipsorũ etiã legatus tantũdem habebat Mediolani, demptis nauigijs. Iter mihi erat per ipsorũ vrbes, Brixiã, Veronã, Vincentiã, Patauium. Hi omnes amplè & honori-

ficè excipiebant, obuiam progressi, & vbi in diuersorium deduxerunt, hospiti mandabant, vt ipsorum sumptu copiosè & liberaliter omnia subministraret. Egregia quidem & honesta ratio: sed qui supputet ea quæ in fidicines & id genus alios erogantur, parum reperiet emolumenti. Quo die Venetias veni, obuiam ex ipsis multi prodierunt, ad quinq; millia passuum. Hic est locus, ad quem Patauio venitur secundo flumine: ibi intermisso continente, mare incipit, & paratæ sunt nauiculæ valde commodæ, & stratæ intus tegumentis sericis, ad considendum. Mare ibi valde est placidum, nisi cùm grauior aliqua tempestas oritur, ideoq; omnis generis pisces ibi maximo numero capiuntur. Valde mirabar cùm situm vrbis inspicerem, tam multas templorum turres, ac tantam ædificiorum molem, in ipso mari. Nauigijs enim vulgò itur, eorumq; est infinitus ibi numerus. Incredibile est, quàm multa sint circa vrbem monachorum collegia, magnificè & sumptuosè structa. In ipsa verò vrbe, præter eos monachos, qui à mendicando nomen habent, & præter alia templa sunt parochiæ ad lxxij. In eo quem dixi loco, qui ab vrbe quinq; milliaribus abest, excipiebant me vigintiquinq; nobiles, elegantissimè culti, & cùm propius vrbem deduxissent in tem-

templum quoddam diuo Andreæ sacrum, aderant totidem alij nobiles, cumq; his legati Mediolanensis ac Ferrarienſis, & cùm peramicè salutassent, sumpsimus alia paulò maiora nauigia, splendidissimè exornata, in quibus singulis considere poterant quadraginta, mihiq; locum tribuerunt medium inter eos duos legatos, quod honoris causa facere consueuerunt. Eo comitatu deducebant me per magnum riuum, qui mediam vrbem diuidit, ea latitudine, vt etiam triremes aliæq; maiores naues illâc transeant, eoq; nihil est elegantius. Quæ sunt vtrinq; domus, valde sunt amplæ & sublimes, è saxo constructæ omnes atq; depictæ: sed quæ paulò sunt vetustiores, ex candido marmore sunt ædificatæ, quod ex Istria ad ipsos importatur. Dici verò non potest, quàm habeant splendidam & magni precij supellectilem. Ego sanè florentiorem ciuitatem non vidi: legatis & exteris hominibus maximum deferũt honorem, & summa prudentia Rempub. administrant, & sacra omnia religiosissimè procurant, eoq; potissimùm mea quidem sententia, Deum habent propitium. Hi, quos dixi, quinquaginta nobiles, perpetuò comitati, hospitium mihi præbuerunt in Abbatia diui Gregorij. Postridiè cùm accersitus ab illis atque deductus in senatum veniſſem, quas à

Rege habebam literas, Duci Reipub. dabam. Is summus est ibi magistratus, & creatur perpetuus, eumq; vt Regem aliquem habent in honore: & tametsi per se parũ ipse potest, absque communi senatus consilio atq; voluntate: tamen qui tunc præerat valde magnam obtinebat authoritatem, ob singularem prudentiam, & rerum Italicarum peritiam, & summam ipsius humanitatem. Eo die nihil fuit actum præterea, & acceptis à me literis, per curiam circumducebant, vt structuras & ædificia spectarem. Est ibi templum diuo Marco consecratum, ipsi sacellum vocant, longè pulcherrimum & ornatissimum. In eo est is, qui appellatur thesaurus toto terrarum orbe celeberrimus. Ea sunt ornamenta quædam eius templi, & vniones, ad quatuordecim, omnium, quos ego viderim, longè maximi: non expoliti tamen, & coronæ duodecim aureæ, quibus solebant antiquitùs exornari ad certos dies totidem fœminæ: quæ circumuectæ more consueto, cùm per insidias essent interceptæ à prædonibus, mariti non destiterunt illos persequi priùs, quàm eas recepissent, & coronas illas deinde consecrarunt diuo Marco, & sacellum ibi construxerunt, in quod Senatus ingreditur quotannis, quo die facinus hoc fuit admissum. Nihil est ibi reconditæ pecuniæ, & Dux, præsentę

sente Senatu mihi dicebat, esse apud ipsos capitale, si quis referat de cogendo thesauro: quod prudenter & consultò ab eis institutum esse puto, vitandæ omnis contentionis atque simultatis causa. Posteà deduxerunt ad nauale & armamentarium, quo nihil esse potest instructum magis. Ibi videas nauticam omnem supellectilem, & quicquid ad apparatum maritimum est necessarium. Est omnino illis innata quædam industria & cupiditas proferendi fines, & amplificandi imperij, & nisi cohibeantur, erit tempus, quo vicini omnes conditionem suam nimis serò deplorabunt. Cùm rex in Italiam accederet, non habebant eum vsum militiæ, quem nunc habent, & ab eo primùm tempore cœperunt multò meliùs intelligere rationes sua defendendi, & nunc eò sunt progressi, vt per Apuliam habeant oppignorata circiter octo oppida, quæ vix vnquam reddituri sunt, vt opinor, atque interim multa struxerunt propugnacula, tum ipsi, tum alij per Italiam. Non sunt autem ea virtute, vt tam subitò, quàm Romani, crescant. Ex ipsis nemo bellum administrat in continente, sed habent legatos, quos sua lingua prouisores appellant, qui Imperatori exercitus adsunt, vt in commune consulant, & quę sunt necessaria, procurent. Maritimis autē bellis ipsi-

quò fuit antequam ille discederet Astà: ego qui eius rei mandatum haberem, quum eò venissem, gratias illis agebam, & cœpi commemorare, quàm firma semper ac diuturna fuisset amicitia Gallię Regibus cùm ipsorum Repub. cumq; prolixè multa locutus essem in ea sententiam, quæ ad maiorem conciliationẽ pertinerent, deferebam eis Hidruntum atq; Brundusium, ea lege, quòd si Rex ampliora per Græciam ipsis daret, vti ea oppida nobis redderẽt. Illi, quòd existimarent Regem, qui tum erat Astæ, non esse promoturũ castra, valde respondebant amicè, & ipsius institutum magnoperè prædicabant. Quantum ad oblatas conditiones attineret, nolle se committere, vt Rex, cui gratificari studeant, ipsorum pacem atque amicitiam redemisse videatur: esse quidem ipsis neq; incommodum neq; difficile, inferre bellum, sed eo se velle supersedere. Sollicitabat eos vehementer eodem tempore de auxilijs, Alphonsi legatus, & amplissima promittebat, ac per eum Alphonsus profitebatur, habere quidem ipsos grauem ac iustissimam contra se offensionis causam, sed orabat, vti & Reipub. iniuriam, & dolorem suis precibus condonarent. Quòd si Galli, se profligato rerum potiantur, durissimum esse futurum Italiæ statum, & ipsos pro sua prudentia satis vi-

dere, quantum in eo sit periculi, illos in his locis inueteraſcere. Sed & Turcarum Cæſar miſſo legato impulſu Romani Pontificis, niſi Regē oppugnarent, hoſtium loco ſe habiturum ipſos, minabatur, eumq; legatum nō ſemel ipſe vidi. Illi placidè ſingulis reſpondebant, & nos adeò non metuebant initiò, vt etiam riderent. Nam Sfortia, nuper factus Mediolani Dux, per ſuum legatū cōfirmabat eos, ne eſſent ſolliciti, tenere ſe rationem, quemadmodum regi perſuaderi poſſet, vt domum redeat: non eſſe quod vereantur, ne quid ille per Italiam occupet. In eandem quoq; ſententiam nunciauerat Petro Medices, Rempublicā adminiſtranti, quod mihi recitauit ipſe. Cùm autem vtrique viderent aliquot Florentinorum oppida & arces, præcipuè verò Piſas, in poteſtate Regis, cœperunt trepidare, & communicatis inter ſe conſiliis, deliberabant, quomodo impedimentum inferrent: ſed quoniam ipſorum deliberationes ferè ſunt prolixiores, noſtris erat non incommodum, quò vellent progredi. Hiſpaniarum quoq; Rex, Ferdinandus, propter Siciliam & Sardaniam, quas teneret, non parum ſibi metuebat. Maximilianus autem Cæſar indignè etiam ferebat, & in eo ſuo imperio minùs honeſtum ſibi putabat tantos eſſe noſtrorum hominū ſucceſſus per Italiam, eumq;

dolo-

dolorem augebat, quòd nonnulli dicerent, Regem affectare imperium Romanum, & Pontificem, vt id sibi pace ipsius liceret, interpellasse, verùm istud erat confictum & callidè excogitatum. Itaque legationem ambo Reges decreuerunt ad Venetos. Eius, quam Maximilianus mittebat, Princeps erat Episcopus Tridentinus: cum eo veniebant ex nobilitate duo, & quidam iureconsultus. Hispaniæ Rex nobilem quendam misit, egregium virum, amplo cum comitatu, ijs magnum deferebat honorem senatus, omnemque sumptum subministrabat. A Mediolani Duce veniebant, Episcopus Comensis, & Franciscus Bernardinus, Vicecomes. Hi omnes nocturno tempore occultè conueniebant, & initiò per scribas rem tractabant. Nam & Veneti inprimis & Mediolani Dux, cùm de fœdere adhuc dubitarent, timidiùs agebant, & ne quid ad Regem efferretur, valde erant solliciti. Qui Mediolano venerant, salutandi & officij causa me compellabant, allatis etiam literis Mediolani Ducis, ad me scriptis, eoq; se venisse dicebant, quòd Veneti, cùm anteà solummodò vnũ mittere consueuissent Mediolanum, nũc duos misissent legatos. Hoc illi dissimulãter ad me, ne quid suspicarer, & inter colloquendum, longiùs progressi oratione, quærebant ex me,

quid eò veniſſent Maximiliani & Hiſpaniæ Regis legati? cupere ſe Principem ſuum de eo certiorem facere. Ego iam antè cognoueram, legatum Hiſpanum, mutata veſte, ne agnoſceretur feciſſe iter per Mediolanum: ſed & illud, Neapolitanum legatum crebras ab Alphonſo literas accipere, quas cum ſenatu Veneto, reliquisq; legatis communicaret. Hæc ego reſciueram, vt dixi, cùm ab alijs, tum ab ipſis legatorum famulis: nec enim vlli ſumptui aut labori in eo parcebam, & adeò nihil me latebat, vt etiam quid initio propoſitum, & quouſq; facta eſſet progreſſio, ſcirem. Accidit autem iſtud priùs, quàm Florentia Rex diſcederet. Cùm ergo ſcirem iacta quædam eſſe fundamenta fœderis, non putabam eſſe diſſimulandum ampliùs, ideoque illis reſpondebam, quandoquidem adeò ſimulatè mecum agerent, hæc eſſe quæ cum ipſis colloqui vellem. Primùm, non ſtare per Regem, quò minùs firma ſit ipſis nobiſcum amicitia, deinde, me paratum eſſe, cauſa Regis, ſatisfacere deſiderio Ducis, & reſpondere ijs, quæ falsò ad ipſum & inuidiosè delata ſint: mihi videri ex ipſius vſu ac dignitate fore, ſi in fide ac amicitia permaneat: extare quædam eius erga Regem officia atq; merita, non debere committere, vt eorũ memoria atq; gratia depereat: Galliæ regum

perpe-

perpetuum esse morem, vt ne sint ingrati: & Regem agnoscere, quibus ab eo sit affectus beneficijs, & suo tempore parem esse relaturum gratiam: non oportere idcircò ab amicitia discedere, si quid fortè minùs prudenter à nostris dictum sit: esse animi generosi, contemnere quæ vulgus hominum effutiat, & vtriusq; salutis interesse, vt ne qua fiat animorum disiunctio. Post hæc rogabam, vt sui doloris causam, & quid ipsis in Rege displiceret, liberè mihi dicerent, quò certiorem eum facerem. Hoc enim æquum esse magis, quàm silentio tegere dolorem, & repudiata satisfactione, velle inimicitiam exercere. Ibi tum illi iureiurando mihi confirmabant, Principem suum nihil eiusmodi cogitare, & magnam præ se ferebant, quòd ad eum modũ essem locutus, admirationem. Postero die, cùm in senatum eius rei causa veniissem, reliquo sermone confecto dicebam, per illud fœdus, quod & cum Rege haberent, & quod cum eius parente fecissent, non licere ipsis quoquo modo nostris aduersarijs adesse, & Regem simili conditione ipsis deuinctum teneri, multò minùs etiam licere ipsis inire fœdus hoc, de quo nunc frequens admodùm rumor increbuisset: quod si faciant, discedere ipsos ab eo quod conueniisset, & violare pacta. Cùm ad hunc modum

verba feciſſem, ex concilio dimittunt, paulò pòſt reuocant. Incipit dux: Non oportere iis, quæ vulgò dicantur, habere fidem: eſſe ciuitatem liberam, neq; loquendi modum apud ipſos cuiquam præſcribi: nō eſſe ipſorum conſilij, aut voluntatis, inire fœdus contra Regem, nec vllam eius rei mentionem hactenus audiſſe: ſed potiùs & cum ipſo, & cum Maximiliano Cæſare, & Hiſpaniarum Rege, & cum Italiæ principibus omnibus, velle fœdus facere contra vim & tyrannidem Turcicam: eius fœderis ſocios, pro ſuis quemq; facultatibus debere pecuniam contribuere: qui recuſet, eum & authoritate Regis, qui exercitum habeat paratum, & ab ipſis etiam, oportere ad æquitatem & officium adduci: habere ſe in animo, diſſidium iſtud & offenſionem omnem componere: Eius pacis has eſſe conditiones, vt Rex accepta mediocri pecuniæ ſumma, diſcedat ab armis, neque bellum faciat Neapolitanis: eamque pecuniam ſe erogaturos ea lege, vt quædam Apuliæ oppida & caſtella ipſis oppignorarentur, vt Alphonſus permiſſu Romani Pontificis, acceptum Regi ferat regnum Neapolitanum, & fidem, vt fieri ſoleat, præſtet, & ſtipendium annuum pendat, & ipſius poteſtati tria oppida permittat. Hæc illi tunc nobis deferebant, atq; vtinam Rex non fuiſſet aſpernatus.

tus. Ad ea paucis respondebam, non esse mei officij nec authoritatis, ea quæ proposuissent acceptare: scripturum diligenter omnia Regi: simul orabam, vt ne nimiùm in constituendo fœdere properarent, & vt dolorem suum mihi patefacerent, nec in eo quicquam, vti Mediolanenses legati feciſſent, dissimularent. Tum illi apertè, dolere sibi dicebant, quòd Rex, cùm anteà semper præ se tulisset, moliri se bellum aduersus Neapolitanos tantùm & Turcas, & cum ipsis quoque per literas & nuncios idem confirmasset, nunc & Romani Pontificis & Florentinorum oppida atque arces teneat, & in his quoque Pisas, & ad se rapiat quicquid vbique possit, & Turcam sinat vti pace. alterum, quod in eo reprehendant, esse, quod Aureliorum Dux, quem Astæ Rex reliquerit, suspicandi & metuendi causas adferat Duci Mediolanensi, atque eò magis, quòd ipsius milites ac familiares, emissis aliquot vocibus, non tenuem nec obscuram alicuius facinoris, de quo cogitent, significationem præbeant: & licet vera sint ista, se tamen nihil esse moturos priùs, quàm à Rege mihi sit allatum responsum. Quæ ab ipsis cognouissem, è vestigio ad Regem enunciabam: sed frigidè & alienè mihi respondebatur. Vbi viderunt consilia sua esse patefacta, cœperunt

agere diligentiùs, & quotidie conueniebant. Quòd si hostes Viterbij restitissent, & Regem intra fines ingredi prohibuissent, Veneti copias erant missuri Romam, vbi Ferdinandum Regem putabant esse permansurum. Sed de illius abitu certiores facti, mutarunt propositum, atque intereà Maximiliani & Hispaniæ Regis legati valdè ipsos vrgebant, vt fœdus decernerent: nisi faciant, profitebantur se, quòd menses quatuor iam essent ibi morati, discessuros. Illi, cùm per suos legatos, qui in nostris erant castris, accepissent, Regem sine vllo impedimento progredi, & iam esse Neapoli, recitabant mihi quid haberent rei nouæ, & hilaritatem aliquam simulabant, sed arcem Neapolis nondum captam, & egregiè munitam esse dicebant, idq; ad eum modum quasi sperarent eam posse tolerare obsidionem. Ideoq; Neapolitano legato permittebant, vt intra vrbem manus cogeret, easque Brundusium mitteret. Sed quum ad exitum ferè perducta esset ipsorum actio, certæ fuerunt allatæ literæ de deditione arcis, ibi denuò iubent me accersiri, & in cubiculo Ducis, qui tum nonnihil ægrotabat, conuenerant circiter sexaginta. Dux initio suæ orationis cõmemorabat quod acciderat, arcem Neapolis iam esse in potestate Regis. Fingebat ille vultum, neq; videbatur mole-

moleſtè ferre, ſed reliqui vehementiſſimè cuiuſdam triſtitiæ ſigna dabant omnes, & demiſſo capite, terram intuebantur, & nullo ordine ſedebant in inferioribus ſubſellijs. Opinor equidem, quo tempore Romam nunciatum fuit de Hannibalis prope Cannas victoria, non fuiſſe maiorem ſenatus conſternationem, quàm fuit iſtorum. Nam præter Ducem, ex ipſis nemo quiſquam mihi loquebatur, nemo reſpexit, quod maximoperè mirabar. Vbi quod Neapoli geſtum erat, expoſuit, rogabat, an quæ ipſis per me Rex promiſiſſet, ſeruaturus eſſet? Confirmabam illi, ne quid dubitarēt, ſimul, quæ ad eam rem pertinere videbantur, explicabam, & vt ipſis amplius ſatisfacerem, omne ſtudium ac operam meam pollicebar, atq; ita diſceſſi. Nondum illi perfecerāt actionem, & Maximiliani Cæſaris legati, quòd moram iſtam grauiter ferrent, abitionem parabant. Mediolani Dux etiam, quum ex conditionibus vnam diu recuſaſſet, permiſit tamen ſuis, vt aſſentirentur. Eo facto, decreta fuit cōfœderatio. Interim dum hæc geruntur, Regi nunciaueram, quicquid ad ipſum pertineret, & vrgebam vt vel amicè reſponderet ad ipſorū poſtulata, vel vt Neapoli maneret aliquandiu, atq; ibi maiores peditum copias conduceret, & de re nummaria prouideret, & potiſſi-

ma eius regni loca præsidijs firmaret, eoq; facto, statim iter ingrederetur, domum rediturus, neq; moram vllam interponeret, ne posteà grauiori bello sit occurrendum, & cum omni multitudine hostium, qui nondum conuenissent, dimicandum. Aureliorũ etiam Duci, qui cũ suis tantùm comitibus ac familiaribus erat Astæ, nunciabam, vt oppidum præsidio muniret: nam fore, vt hostes ipsum adoriantur. Ad hæc, Borboniæ Ducem, quem Galliæ per suam absentiam Rex præfecerat, cohortabar, vt magna celeritate copias mitteret Astã, qui ab hoste illam defenderent: eo amisso oppido, non posse deinde Regi subueniri: sed & Monferratensem viduam, nobis valdè amicam, & Sfortiæ multùm infestam, missis literis orabam, vt Aurelianorum Duci, cùm opus illi esset, militem subministraret, propterea quòd Asta deperdita, ipsius atq; etiam Salassorum ager omnis, maximam esset acceptura calamitatem.

PHI-

PHILIPPI COMINÆI, EQVITIS, COMMENTARIORVM Liber tertius.

PERFECTO & decreto fœdere, quod fuit sub noctem valdè serò, postridie, paulò quàm solebant citiùs, adesse me iubent. Cùm assedissem, Dux incipit, feciſſe ipsos cum Pontifice Romano fœdus, & cum Maximiliano Cæsare, & cum Hispaniarum Rege, & Mediolani Duce, tribus potissimùm de causis: vt Rempublicã Christianam, ab immanitate Turcica defendant, vt Italia pace vtatur, & vt singuli priuatim locum atque dignitatem suam tueri possint, ad eamque rem auxilia inuicem communicent. Monebant autem, vt ad Regem ista perscriberem, erantque valdè frequentes, ad centum & eò amplius, non tristes neque dei cti, vt nuper, cùm de capta Neapolis arce mihi referrent, sed alacres & erecti. Reuocatos etiam ab ipsis, qui cum Rege essent, suæ ciuitatis legatos, dicebat, ijsq; mandatum esse, vt celeriter redeant. Iis rebus cognitis, valde angebar animo, propter periculum Regis, quòd putarem

eos iam paratas habere copias, præsertim Germanorum. Quod si accidisset, Regem prohibuissent reditu in Galliam. Erat mei propositi, non nimiùm progredi oratione: sed cùm illi me suis verbis extimularent, dicebam, pridie eius diei atq; etiam superioribus aliquot diebus, ad Regem omnia me scripsisse, qui respõderit, se & ex vrbe Roma & Mediolano de re tota iam antè cognouisse. Ibi cœperunt in me respicere omnes, ac vultu significabant, mirari se, quòd dicerem ad Regem me scripsisse. valdè enim præ cæteris indulgent suspicionibus, & summo silentio consilia sua tegunt, & per suspicionem aliquando comprehendunt homines: eaq; fuit causa, quamobrem istud dicerem. Hoc quoq; addebam, enunciasse me Aureliorum & Borboniæ Duci, vt Astam rebus omnibus necessarijs munirent: existimans hoc ipsum esse allaturum aliquam moram obsidioni. Nam si tam fuissent parati à rebus omnibus, quàm iactabant, facilè cepissent oppidum, quod neque tum erat, neq; multis pòst mensibus fuit instructum. Ad hæc illi, se non oppugnandi Regis, verùm sui defendendi causa fœdus hoc inijsse, & copias conducere dicebant: non se posse ferre illa verborum ludibria, finxisse Regem, quasi præter Neapolitanum Regnum nihil affectaret, vt eò commodiùs dein-

deinde bellum inferret in Turciam: nunc autem quid sit ipsius consilij, satis apparere: hoc enim moliri, vt & Mediolani Ducem, & Florentinam Rempub. opprimat, & Ecclesiæ Romanæ possessiones inuadat. Tum ego, Galliarum Reges ea semper fuisse religione, vt Ecclesiam non solùm maximo suo labore atque periculo defenderint, verùm etiam amplissimis facultatibus auxerint atque ornarint: hunc etiam adeò non degenerare à suis maioribus, vt ecclesiæ sit daturus aliquid potiùs, quàm adempturus: non hanc esse veram doloris causam, sed eò spectare ipsos quemadmodum & Italiam omnem perturbent, & occasione ista suum imperium amplificent. Eum sermonem grauiter tulerunt, vt posteà cognoui. Quàm autem nihil finxerim, aut iracundè dixerim, vel ex eo satis videri potest, quòd Ferdinando, Alphonsi filio, redimenda fuit ipsorum amicitia, oppignoratis aliquot Apuliæ oppidis, quæ ad hoc tempus tenent, vt ei contra nos auxilia ferrent. Cùm locutus ad eum modum discederem, iussus ab illis, iterum assedi, atq; ibi Dux rogabat, num pacis rationem aliquam aperire vellem? Hoc eò quærebat, quòd pridie aliquam eius rei mentionem feceram. Verùm id fuerat sub conditione, vt differrent scilicet, neq; de fœdere priùs, quàm

à Rege mihi responsum esset, aliquid decernerent. Hi, inter nos commutatis verbis, abij. Mox illi confœderatorum principum legatos adesse iubent. Egredienti occurrebat mihi Neapolitanus, maximam hilaritatem vultu præ se ferens. A meridie, hi quos diximus, legati omnes, ingressi nauiculas, animi voluptatisq. causa, vehebantur huc illuc per vrbem, quod ibi fieri consueuit sumptu Reipublicæ. Erant autem ad quadraginta circiter nauigia, nitidè & eleganter instructa, ex quibus, eorum principum, cuius esset quisq; legatus, insignia propendebant. Lætitiæ plena erant omnia, quam & adiuncti fidicines magis excitabant. E diuersorij mei fenestra spectabam præternauigantes, & ex Mediolanensibus legatis alter, cùm anteà valdè mihi fuisset familiaris, simulabat tum non nouisse. Triduo me continebam domi cum famulis, quamquam certè nihil interim vel in me vel in meos indignè fuit admissum. Sub noctem verò, publicam & solennem lætitiam significabant tormentorum tonitru, & excitatis ignibus, atque facibus accensis in templorum turribus, & ædium fastigijs. Atq; vt hæc omnia meliùs spectarem, multa iam nocte nauigabam propiùs ad illorũ domicilia, sed nemo credat, quantus ibi esset conuiuiorum apparatus. Non fuit autem

tem eo die diuulgata confœderatio. Pontifex enim Romanus iusserat differri ad diem vsq; Dominicum, qui proximè Pascha antecedit, quem ipsi Oliuarũ diem appellant. Eum constituit, quo & per Hispanias, & Germaniam, & Venetijs pronunciaretur fœdus, ac iussit vt & Principes ipsi confœderati atq; eorũ legati, ramum oleę circumferrent singuli, quod pacis atq; fœderis indicium esse consueuit. Interim senatus viã iussit extrui & materia muniri, inde à curia vsq; ad extremum forum diui Marci, & constituto die, cùm legatus Pontificis sacrũ fecisset, ijsq; omnibus, qui interessent, peccatorum expiationem communicasset, facta fuit Senatus & legatorũ omnium, ad templa Deorum supplicatio, & legatis quidẽ ad eam rem splendidissimas vestes præbuerat Senatus. Exhibiti deinde fuerunt ludi quidã atq; spectacula, & certo loco recitatũ fœdus. Erat tum Venetijs Turcarum Cæsaris legatus, qui tametsi dimissus erat à Senatu: volebat tamen occultè eius rei spectator esse. Is noctu clàm ad me venit, & per interpretem, hominem Gręcum, diu multumq; loquutus, videbatur magnoperè optare, firmam esse Regi cum suo principe amicitiam. Inuitauerat me Senatus, vt supplicationi interessem: ego autem excusabam, & totum mensem post illud tempus ibi com-

moratus, vbi Rex me reuocauit, discessi, honorificè deductus ab illis Ferrariam vsque. Eius Dux ciuitatis obuiam mihi progressus, amanter excepit. idem fecit Bononiæ, Ioannes Bentiuola. Pòst Florentiam iui, accersitus ab illis, atque ibi Regis aduentum expectabam, ad quem nunc est reuocanda oratio. Is quandiu Neapoli fuit, præter delicias & iocos nihil curabat, vt supra diximus, & qui gratia plurimũ apud eum poterant hoc solum spectabant, quemadmodum ibi suas facultates amplificarent. Ipse quidem propter ætatem excusari fortasse possit: illi verò minimè, quorum ipse fidei administrationem omnem commiserat. Quòd si arces aliquot iis locis muniisset, Neapolitanam in primis, non excidisset regno: sed illorum erat hæc omnia præuidere & gubernare. Posteaquàm ergo de facto fœdere cognouit, delegit ad quingentos cataphractos equites, item Heluetiorum & peditum nostrorum cohortes aliquot. His ad regni defensionem relictis, ipse cum reliquo exercitu constituit redire domum, eadem qua venerat, via, sed confœderati iam cogebant manus, vt transitu ipsum prohiberent. Antè quàm Neapoli discessit, Hispaniarum Rex, missis aliquot nauibus in Siciliam, munierat Rhegium, quod est in extremis Calabriæ finibus oppidũ, contra Si-

tra Siciliam. Ego Regem præmonui, fore vt illic appellerent. Neapolitanus enim legatus, cùm putaret eos iam appuliſſe, mihi prædixerat. Facile tum noſtris fuiſſet, arcem eius loci occupare, præſertim cùm oppidani eſſent à nobis non alieni: ſed quòd nullas ferè copias Rex iis locis haberet, aduerſarij non Calabriam modò, ſed & Apuliam, adductis è Sicilia præſidiis, muniebant. Hidruntini etiam, vbi de fœdere facto reſciuerunt, quod & Brundusio & Callipoli eſſent finitimi, neque copias vllas ad ſui defenſionem conducere poſſent, defecerunt à nobis, & Fridericus Alphonſi frater, qui tum erat Brundiſij, præſidium ipſis impoſuit. Breuiter, omnium propè fuit immutata voluntas, & propter fœdus, & Regis abitionem, & oppidorum, quæ noſtri tenerent infirmitatem. Legatum ſuum Rex ibi conſtituit Mompenſerium, ex familia Borboniorum egregia quidem virtute, ſed parum diligentem. Calabriæ præfecit Albinium Scotum, fortiſſimum virum, eique Conneſtabulatum eius regni, & quorundam nobilium, qui profugerant, facultates attribuit. Stephanum Verium præeſſe voluit Caietæ & totius regni quæſtorē fecit, ac plus oneris impoſuit, quàm ferre poſſet. Ad hunc modum paſſim conſtituit præfectos, è quibus plerique cupidè & aua-

rè, nonnulli etiam parum bona fide rem administrabant. Tarentini erāt nobis valdè præ cæteris addicti, & in fide permanserunt, donec omnium rerum inopia adducti deditionē facerent. Cum Salernitano & Bisigniano Rex liberaliter egit, & ipsorū quidem merito. nam vsus est bona & fideli ipsorum opera. Idem iudicium fecerat de Columnensibus, eorūq; fidei atq; custodiæ plurima permiserat oppida. quæ si defendissent, quod iureiurando promiserant, fuisset maximo ipsorum emolumento & honore: sed priùs quàm Rex illinc discederet, occultè sua consilia cum Mediolani Duce communicabant. erant enim partium Gibellinorum. cùm verò tantis essent ornati beneficijs à Rege, non debebant profectò à fide discedere. Nam & in ipsorum gratiam Rex captiuos ducebat Virgilium Vrsinum & Comitem Petilianum, nulla quidē de causa. Quamquam enim capti fuerant, vt suprà diximus: Rex tamen non ignorabat, interposita fide cautum eis fuisse, ideoq; cogitabat Astam vsq; solùm deducere ipsos, & posteà dimittere. Quòd autem eousq; circumduceret, faciebat rogatus à Columnensibus: qui tamen priusquàm Rex Astam veniret, ab eo defecerunt omnium primi, nec vllam, cur ita facerent, causam adferebant. Rex procuratis rebus omnibus

bus ad hunc modum, ingressus est iter cum exercitu. Hi erant circiter nongenti equites cataphracti, Heluetij ad duo millia & quingenti, & qui sequebantur castra, circiter mille & quingenti, ad pugnam vtiles. Petilianus, qui diligentiùs quàm ego, numerauerat, summam omnium esse dicebat ad nouem millia. fuit hoc à prælio, cùm mihi diceret, de quo sumus dicturi posteà. Aduentante Rege, Pontifex decreuerat proficisci Patauium, ac paratū fuit ei domicilium, sed mutata voluntate, Oruietum, ac inde Perusiam sese recepit. Cardinales autem, qui regem exciperent, iussit manere. Legatum Rex ad eum præmiserat, orans vt se expectaret, eratq; dubio procul honorem illi ac beneuolentiam omnem præstiturus. Romæ non diu fuit moratus, ac sine vllo maleficio transijt. Accersitus ab eo literis: in itinere ad ipsum veni. Vbi vidisset, subridens quærebat, an Veneti obuiam sibi mitterent, qui exciperent. Nostri homines per ætatem & imperitiam non intelligebant periculi magnitudinem, & magnam sibi authoritatem, magnosq; spiritus in re militari sumpserant. Ego quid mecum locutus esset senatus Venetus, ei recitabam, hoc scilicet, fore, vt ipsi cum Mediolani Duce, exercitum educant ad quadraginta hominum millia, non quidem ipsius

oppugnandi, verùm sui defẽdendi causa. Nam quo die Patauio discessi, ex ipsorum legatis alter, ad bellũ istud delectus mihi dixerat, quòd si à bello contra Mediolani Ducem Rex abstineret ipsorum exercitum non esse transiturum Olium flumen, quod est in ipsorum finibus, non procul à Parma. Itaq; rationem certam tunc iniuimus, quemadmodum literæ & nuncij inter nos commearent, si res ita ferret pacis tractandæ causa. Nam quòd cogitarem, multa posse Regi euenire incommoda, volebam occasiones omnes pacificandi seruare integras. Habebam descriptũ illorum exercitum omnem tam equitum quàm peditum, & stratiotarum, sed & nomina Ducum. Ex iis autem qui Regi familiares erant, vix pauci fidem habebant, cùm ista referrem. Vbi per biduum Rex Senæ commoratus esset, reficiendi sui causa, valde vrgebam vt discederet. Nondum enim hostium copiæ omnes conuenerant, & Germanorum aduentum magnoperè metuebam, tametsi Maximilianus Cæsar lentè ac remissè adhuc ageret. Rex autem duo quædam in consilium adduxit, primùm, an Florentinis redderet, quæ ab ipsis acceperat oppida & arces. Nam illi vt hoc impetrarent, parati erant mutuò dare ad septuaginta aureorũ millia, & quò minùs transitu prohiberi posset, subministrare

ſtrare ac ſuo ſumptu alere ad trecentos equites cataphractos,& duo millia peditum,duce Frãciſco Cicone, viro ſummæ virtutis, & cui Rex plurimùm tribueret. Qui cum ipſo eramus pleriq;, conditionem hanc accipiendam, & Liburnum ſolum retinẽdum eſſe dicebamus, quòd & ità militi ſatisfacere poſſet, & habiturus eſſet prætereà, quo placaret ex hoſtibus nonnullos,& ad ſuas partes traduceret,ſed conſiliũ hoc euertit Comes Liniacus, Regis conſanguineus,adoleſcens, & ſui propoſiti nullam habebat firmam aut idoneam rationem, niſi quòd Piſanorum iniuriàm atq; caſum dolere ſibi diceret. Alterum deliberationis caput ad Liniacum propriè pertinebat. Multæ ſunt Senenſium factiones, quò fit vt valdè inſcienter & tumultuosè præ cæteris Rempublicã adminiſtrent. Hi Liniacum poſcebant, eiq; rerum ſummam & ſuæ ciuitatis imperium deferebant. Re ad conſilium introducta, quum primus eſſem rogatus ſententiam reſpondi, non eſſe quòd Rex ad eiuſmodi conditiones oblatas animum adiiciat, in quibus nihil ſit firmi, & quæ ad leuiſſimam quamque occaſionem poſſint euerti:deinde, eſſe eam ciuitatem Imperij Romani: ſi quid à nobis ibi tentetur, hoc eò pertinere, vt Imperij principes, quòd ipſos in ſuo iure interpellemus, grauem habe-

ant & iustam contra nos offensionis causam. prudenter itaq; facturum, si ijs omnibus repudiatis, magna diligẽtia progrediatur. Et quamuis ea sententia vinceret: tamen aliter decretũ fuit, & Senenses Liniacũ suæ ciuitati præfecerunt, & annuã pecuniam promittebãt, & Rex ea de causa cõmoratus ibi ad septẽ dies, iucundè & suauiter viuens. quũ discederet, ad trecentos milites ibi reliquit, & alieniſſimo tempore se ipsum infirmiorẽ effecit: inde Pisas cõtendit. Quos aũt ibi reliquerat milites, ij mensem vnũ pòst electi fuerũt omnes. Penè oblitus erã eius, quod de Florẽtia dicere constituerã. Erat in ea vrbe Dominicanus quidã, Hieronymus, vir integerrimæ vitæ, vt pleriq omnes prædicabãt. Is multò antè prædixerat, Gallię regẽ esse venturũ cum exercitu, & excitatũ à Deo, vt Italiæ tyrannos mulctaret, ideoq; fieri nõ posse, vt ei resisteretur. Pisas quoq; venturũ dixerat, & fore, vt Florentinæ reipublicæ status immutaretur, quod accidit profligato Petro Medices, de cuius etiam patris Laurentij morte, locutus anteà fuerat. Ad hæc diuinitùs sibi patefactum esse dicebat, oportere statum Ecclesiasticũ per vim armorũ emendari. Nondum quidẽ istud accidit, sed tunc temporis propè erat, vt fieret. Et quòd ad eum modũ loqueretur, pleriq; vituperabant, alij fidem habebant. Senatus autem

tem plurimum ei tribuebat, & ipsius permoti concionibus, nihil sibi contra Regem suscipiendum esse putabant. Atq; ea fuit causa, cur ipsum inuiserem, dum essem Florentiæ, comitatus Ioanne Francisco, homine nostrate viro prudente & bono. Cùm ad colloquium veniissem, rogabam, an putaret Regem posse incolumem transire, quandoquidē Veneti tam numerosum & instructum haberent exercitum? Ille, & de Venetis, & inito fœdere, deq; re tota multò plura, quàm ego, qui recens illinc veneram, sciebat, & Regem quidem, nō absq; labore & difficultate, sed tamen euasurum esse dicebat, etiamsi minimum haberet comitatum: esse Deum qui illum duxerit ad hoc tempus, & domum quoq; sit reducturus: sed quod officium suum non feciisset, quòd Ecclesiæ statum non emendasset, quòd suos ab iniuria & maleficio nō prohibuisset, fore, & breui quidē, vt incommodi aliquid accipiat: quòd si autem ad sanitatē redeat, & in suos pro magnitudine facinoris animaduertat, & miserorum hominum salutem ac commoditates procuret, Deū misericordia in ipsum esse vsurum. Monebat etiam, vt ista Regi dicerem, & cùm in colloquium ipse veniisset, nihil horum ad eum dissimulabat, & vt Florentinis, quæ bona fide ab ipsis accepisset oppida, restitueret, hortabatur,

Hæc omnia eò pertinent, vt demonstrẽ, profectionem hanc à Deo gubernatam fuisse, quod non semel anteà diximus. Interim dum Rex Pisis erat, oppidani flentes implorabant nostros homines, quibus singuli præberent hospitium, vt apud Regem intercederent ac efficerent, ne se in seruitutem denuò Florentinis traderet. Erat certè iusta ipsorum querimonia, & pleriq; alij per Italiã populi ad eum modum tractantur ab iis, quorum sunt sub imperio. Fuit autem Pisanis cum Florentina Republica dissidium per annos trecentos, antè quàm subigerentur. His lachrymis atq; precibus nostri commoti, & obliti iurisiurandi, quo Rex Florentinis erat deuinctus, volebant illis omnino gratificari, sic, vt etiam vulgus militum promiscuè, & Heluetij eam rem curæ haberent, & iis, qui pacta seruanda esse dicebãt, minarentur. In his erant Brissonetus, nuper factus Cardinalis Maclodiensis, & Mareschallus Gius, & Gannæus, qui vim & iniuriam metuens, triduum totum latebat. Liniacus autem magnoperè illis fauebat, & quodam die, ciues multis cum lachrymis ad Regem venerunt ac supplices orabant, vt ipsorũ misereretur. Triste quidẽ & lamentabile spectaculum, si modò absq; alterius iniuria potuissent liberari, sed nostri adeò vehemẽter eorũ saluti ac libertati studebant,

debant,vt ex nobilitate circiter quinquaginta, Regem cùm à prandio luderet alea, circumsisterent armati,& nonnullos ex ipsius familiaribus,qui rem istam impedire dicebantur,valde incusarent,illata etiam suspicione proditionis.Rex autem idoneè & masculè illis respondit,& commoratus ibi ad dies septem, nouos milites præsidio reliquit, & Entragium quendam,ex domesticis Aureliorum Ducis,hominem barbarum ac vitiosum, ei ciuitati & Petręsanctæ & Libræfactæ præfecit. Sarezanellam verò arcem alij cuidam tradidit, & præsidia singulis locis imposuit,cùm magnoperè illi quibuscunque opus esset auxilijs. Quas autem Florentini proposuerant conditiones, eas repudiabat,& priusquam Sena discederet, certior factus erat,Aureliorum Ducem occupasse Nouariam,Mediolani ducis oppidum, quò minùs ei dubitandum erat de Venetorum contra se bello.Nam illi per me nunciauerant, quòd si Mediolani Duci bellum faceret,se non esse neglecturos eius, qui socius esset ac confœderatus,iniurias, & iam paratum habebant exercitum. Mediolani Dux, cùm fœdus iniretur,venerat in spem capiendæ Astæ, verùm id frustrà fuit. Nam & Borboniæ Dux admonitus meis literis,& Salassiorum Marchio, copias aliquot equitum & peditũ celeriter mit-

tebant, quæ impedimentum attulerunt hostibus, qui non longè aberant, quorum erat præfectus Galeacius Sanseuerinus. Accesserunt quoq; posteà tam nostri equites cataphracti, quàm pedites & Heluetij ad septem hominum millia & quingenti: sed hi diutiùs in itinere cõmorati propè nullius erant vsus. Cùm enim ideò essent conducti, vt Regi subsidio venirent, commutata fortuna, in eas deuenerunt angustias, vt regem ipsis auxilium ferre oporteret. Nũciatum fuerat Aureliorum duci, & reliquis militum præfectis, ne quid aduersus Mediolani ducem experirentur, sed vt oppida præsidio & rebus necessarijs munirent, & obuiam Regi procederent, ad Ticinum vsq; fluuium, qui solus impedimento erat. Ille autem eo neglecto mãdato, Nouariã cepit, quod Mediolano decem abest milliaribus. In ea autem re fidelem & egregiam operam ei nauauit vidua Monferratensis, ipséque magna omnium congratulatione receptus fuit, tam à Guelphis, quàm à Gibellinis, & triduo pòst, qui arcem tenebant, deditionem quoque fecerunt. qnòd si capta Nouaria statim contendisset Mediolanũ, aut suos eò misisset, publica fuisset omniũ admissus lætitia, quæ ex præcipuis eius loci posteà cognoui. Tribus certè primis diebus, absq; periculo poterat. nam quarto demum die, post captam Noua-

Nouariam, hostes reuerterunt Mediolanum: sed fortasse ijs, quæ ad ipsum deferebãtur, non habebat fidem. Rex Pisis Lucam profectus, & biduo ibi commoratus, Petram sanctam iuit, nihil de hoste sollicitus, nec etiam eius familiares. Inter ea oppida faciendum est iter per loca valde angusta, quę minimo negocio pauci admodum pedites defendant. Vnum latus tegunt præaltæ rupes, ab altera parte sunt stagna valde profunda, eaq; est eius natura loci, vt si carrum aliquis ibi transuersum obijciat, & vnum atque alterum habeat tormentum, parua manu, quemuis numerum hostium transitu prohibere possit. quò magis mirum est, eum aditum non fuisse ab hostibus pręoccupatum: sed cogitandum est, verum fuisse Hieronymi sermonem, de quo suprà diximus.. Cùm Rex eas difficultates superasset, Cardinalis Ostiensis cœpit suadere, mittendas esse nonnullas cohortes, quæ Genuenses ad rebellionem excitarent. Re deliberata in frequenti concilio, placuit nihil esse tentãdum: propterea quòd si rex prælio vinceret, Genuenses vltrò facturi essent deditionem: quòd si vinceretur autem, non esse quòd ibi quicquam experiatur. Ac tunc primùm audiebam, esse, qui crederent cum hoste dimicandum. Rex tamen ea repudiata sententia, Genuam misit ad centum & viginti

equites cataphractos & sagittarios quingentos, qui nauigio recens è Gallijs aduenerant. Valde mirabar, neminem esse omnium, qui illum sui periculi cõmonefaceret, quòd ad eum modum auxilia sibi detraheret, ac infirmiorem se redigeret ipse. Mihi quidem, vt id facerem, non deerat volũtas, sed cùm animaduerterem, non haberi mihi per omnia fidem, cogebar multa dissimulare. Ad hoc ferè tempus, triremes aliquot nostræ, circiter octo, Neapoli venerunt in oram Liguriæ, atque ibi depressæ fuerunt eodem in loco, quo nostri copias Alphonsi nuper fuderant, & ab ijs ipsis depressæ, qui nostrarum tunc fuerant partium, Ludouico Fliſco, & Ioanne Adurno. Qui à Rege missi fuerunt Genuam, locum sibi delegerant in suburbijs, ea spe & consilio, vt qui nobis fauerent, arma caperẽt: sed Mediolani Dux multò antè huic rei præuerterat, itaque nostri in magno tum erant periculo, ne & ipsi, quemadmodum classis, profligarentur. Adurni, & qui erant ipsorum coniurationis, cogitabant quidem eijcere se in suburbium & impetum in illos facere, sed verebantur, ne Fregosi, quæ est altera factio, portas interim occuparent, & ipsos reditu intercluderent, eaque sola res, magnum attulit nostris ad salutem momentum, qui vix tandem elapsi peruenerunt Astam. Sarezana

rezana Rex Pontremulum contendit, quo in oppido erant circiter quadringẽti pedites. Primam noſtram aciem ducebant Mareſcallus Gius & Iacobus Triuultius, vir excellenti virtute, & rei bellicæ peritiſſimus, quem eiectum à Sfortia, & relictum à Ferdinando, cùm is Neapoli profugeret, in ſuam clientelam Rex aſſumpſerat. Eius opera & interceſſione, quòd in ea regione natus, multos ibi haberet amicos, oppidum in poteſtatem Regis illicò venit, nulla facta oppugnatione, ac ijs qui intus erãt, facta fuit abeundi poteſtas. Superiori libro diximus de contentione quæ tunc, cùm Rex illâc tranſiret Neapolim profecturus, orta fuit inter oppidanos & noſtros Heluetios, ex quibus tum interfecti fuerunt ad quadraginta. Nunc igitur, cùm eò reuertiſſent, tametſi compoſita res erat: tamen vt iniuriam vlciſcerentur, ciues omnes interficiunt, & oppidum, vbi diripuiſſent, incendunt, & tantus fuit eorum furor, vt Mareſcallus cohibere non poſſet, deinde arcem obſederunt, vt eos qui intus eſſent, caperent. Hi autem erant quos præſidio recens collocauerat Triuultius, cùm reliqui deditione facta diſcederent, neque verò priùs deſtiterunt, quàm regis interueniſſet authoritas. Cùm oppidum incenderent, ex ipſis interierũt decem, qui flãmis implicati fuerunt ebrij, neq;

se poterant expedire. Duplex in ea re fuit peccatum, & quòd ijs, qui sua sponte deditionem feciſſent, non fuit seruata fides, & quòd magna vis commeatus atq; frumenti eo incendio fuit abſumpta, cùm nos interim in magna eſſemus rerum neceſſariarum difficultate. Noſtri homines, quacunque tranſirent, multa proteruè & intemperanter faciebãt, & licet ſuis moribus populum valde offenderent: tamen ſi rex conſilium Triuultij ſecutus fuiſſet, ex nobilitate complures & alij magno numero ad ipſum defeciſſent. Ioannes Galeacius Mediolani dux, moriens reliquerat filiolum, quem Sfortia in ſua poteſtate habebat. Erat ergo conſilium Triuultij, vt per Inſubriam & omnem agrum ditionis Mediolanenſis, rex proponeret vexillum & inſignia eius pueri: quo facto maximam hominum partem ad ſe traduxiſſet, verùm in gratiam ſui cognati, Aurelio rum Ducis, qui Mediolanum & Inſubriam ad ſe pertinere diceret, noluit aſſentiri, & Põtremulo diſcedens, contulit ſe in conuallem quandam exiguam, vbi vix decem erant ædificia, & ibi per dies quinque, nulla de cauſa morabatur, cùm interim exercitus vix haberet, quo famem toleraret. Præmiſerat autem primam aciem, quę circiter triginta millibus paſſuum à nobis aberat, Aureliæ dux, capta Nouaria, & diebus aliquot

quot ibi sine fructu consumptis, Vigesiũ, quod est ad Ticinũ flumẽ oppidulũ, proficiscitur. Ibi cùm esset, bis fuit sollicitatus à Papiẽsibus, qui se in eius fidem permittebant: ipse verò maluit oppidum illud obsidere, vbi exercitũ suum habebat omnẽ dux Mediolani, cui fratres illi Sãseuerini præerant. In eo flumine pontem illi ex nauibus effecerant, & castellũ ibi constituerãt, vt nostros transitu prohiberent. Verùm si paululùm modò nostri fuissent progressi, trãs flumen illi se recepissent. Sed Aureliorũ dux, quòd eos natura loci cõfidere putaret, satis etiam & ad laudẽ & ad vtilitatem perfectũ arbitratus, Trecium se recepit, quo in loco venerunt ad ipsum legati Reipub. Mediolanensis, qui dicerent, ciues omnes potentiores velle ipsum vrbe recipere, cæterisq; rebus iuuare, & liberos dare obsides. Facilè illi quod cogitabant, perfecissent, nam ex nobilitate plæriq; omnes, atque etiã vulgò grauissimè oderant familiam Sfortiarũ, & occupata vrbe, Mediolani Dux, tempore excluſus, non potuisset conducere copias ad tolerãdam obsidionem arcis. verùm ab eo consilio dux Aureliorum destitit, & quòd tutò non posset fidere ijs quæ proponerentur, & quòd hominibus idoneis careret, & quòd belli duces non idem sentirent omnes. hoc mihi deinde retulit ipse. Ad eas hostium co-

pias interim venerũt Germani pedites, ad duo millia, & equites circiter mille, quos Maximilianus Cæsar auxilio mittebat, eisque Fridericum Capelarium præfecerat. Eorum aduentu studium pugnandi hostibus accessit, qui Trecium profecti, & instructa acie, nostris, si prælio vellent contendere, potestatem fecerunt. Sed licet numero nostri superarẽt: tamen prælio supersedendum esse putabant, hanc rationem secuti, quòd si quid grauius accidisset, & ijs amissis copijs, in summum discrimen Regem essent adducturi, de quo nullum haberent certum nuncium, obsessis omnibus vijs. Relinquebatur ergo, vt Nouariam se reciperent. quò cùm venissent, de frumento reliquóque commeatu parum diligenter prouiderũt. Tunc enim sine vllo sumptu facilè poterant importare quicquid vellent. Hostes insecuti illos aliquantò pòst, non procul ab oppido castra posuerunt. Ab ea valle, in qua Rex aliquot dies permansit, vt suprà scripsimus, ascensus erat maximè arduus ad culmen Apẽnini montis. Heluetij autem, qui facinore illo nuper admisso Pontremuli, Regem valde offenderant, nunciabant ei, quòd si ipsis ignosceret, velle se tormenta omnia in superiorem locum perducere, quæ erant circiter quatuordecim, maximi ponderis. Vbi Rex liberaliter respondit: illi

funibus colligati, bini simul, & circiter ducenti, eodem tempore & commeatu, cùm aliquousque essent progressi, defatigatis alij succedebant integris viribus. Adiumento quidem illis erant equi ad eam rem destinati, sed præcipua fuit ipsorum opera, quæ nisi interuenissent, desperatissimæ erant res nostræ. Turpitudinem ergo illius facinoris noua virtute delebant: sed in descensu non minùs erat difficultatis atque molestiæ, propter asperitatem viæ, & ad leuissimum quemque impulsum, cùm aut ruptum aut laxatum aut distortum esset aliquid, consistendum erat, & adhibendi artifices, qui reficerent, ideoque plærique suadebant comminuenda esse maiora tormenta: Rex autem, ne id fieret, interdixit. Marescallus Gius, qui primam aciem ducebat, & triginta millibus passuum aberat, crebrò nunciabat Regi, vt properaret. Hostes enim non procul ab eo consederant in magna planicie, & si fuissent adorti, facilè expugnassent. Ille etiam progressus, ad Forum nouum, qui est vicus ad radices Apennini, castra posuit, vt ne in montibus impetum illi in nos facerent: verùm ipsi, quò maior & certior esset victoria, & ne quis omnium posset elabi, aduentum nostrum in ea planicie expectabant. Quòd si in montibus adorirentur, metuebant, ne plærique in fugam coniecti, Pi-

sas,aut in Florentinum agrum,qui tunc noster erat,sese reciperent. In eo autem valde errabãt. nam longissimum erat interuallum, & ipsis, qui vias omnes atq; aditus nouissent, facilè erat nos in fuga persequi & opprimere: sed totũ hoc Dei beneficio tribuendum est, qui eius consilij author ipsis fuit. Gius deinde Regem certiorem fecit, se superatis montibus traduxisse copias,& equites aliquot emisisse, speculandi causa,qui de hoste aliquid cognoscerent. Eos autem exceperunt stratiotæ, & cùm ex ipsis nobilem quendam interfecissent, præsciderunt ei caput,& affixum hastæ deportarunt ad legatum Venetum. Hi sunt milites, cuiusmodi sunt in Turcia,quos Ianizaros appellant, vestiti more Turcico, nisi quòd linteum illud fastigiatum capite non ferunt, homines laboris patientissimi,& exercitatissimi in armis. Erant hi omnes Græci,ex ijs locis,quæ per Græciam Veneti possident, & ex Peloponneso,& Albania & Dyrrachio euocati. eorum opera frequenter vtuntur Veneti,multumque eis tribuunt. equos habent Turcicos & valde præstantes.Eram Venetijs, cùm illuc appellerent, circitet mille & quingenti, & spectabam cum ipsorum haberetur delectus.Equestribus prælijs plurimum valent, & hostem suis incursionibus valde defatigant. Hi quum nostris equi-

tibus

tibus speculatoribus occurrissent, facto impetu in fugam coniecerunt, & ad castra vsque persecuti, Germanos aliquot nostros, qui pro castris in statione erant, interficiunt, eorúmque capita suo more ad legatum deferebant. Quo enim tempore Turcarum Cæsar, Mahometus, qui Constantinopolim cœpit, bellum faciebat Venetis, mandauerat suis, ne quẽ omnino caperent, & studij excitandi causa, in singula capita, quæ quisque referret, dabat aureum. Idem tunc faciebant Veneti, eumque morem in hoc etiam bello seruabant, vt terrorem nobis inferrent. Cùm ad nostra illi castra propiùs adequitassent, exterriti tormentis, quod insolens ipsis erat, fugæ sese mandarunt, & in itinere, ex nostris Heluetijs quendam, qui conscenderat equum, vt de ipsorum abitu cognosceret, graniter vulneratum ceperunt, & ad Marchionem Mantuæ, Venetorum exercitus imperatorem pertraxerunt. Nondum tunc conuenerant omnes hostium copiæ, & nisi Rex in itinere passim moratus fuisset, vt suprà diximus, habebat temporis & ocij satis redeundi domum absque periculo. Mareschallus Gius, cùm aliquandiu fuisset in infima valle, & oppugnationem vereretur, in superiora loca sese recepit. Copiæ illius erant, circiter centum & sexa-

ginta equites cataphracti, & Heluetij octingenti. Vt autem nos illi subsidio essemus, fieri nõ poterat, propterea quòd impediti tormentis, biduò pòst primùm aduenimus, atque interim illi cùm in monte consedissent, & nos cupidissimè expectarent, in magnis erant angustijs: verùm beneficio Dei res bene cessit. Gaiazius enim, qui Heluetium illum captiuum nouerat, quærebat ex eo, quantæ essent copiæ primi agminis? Is consultò respondit, esse ad trecentos equites cataphractos, item mille & quingentos Heluetios. Tum ille, mẽdacij eum insimulans, dicebat non esse credibile, cùm in toto nostro exercitu solùm essent tria Heluetiorum millia, dimidiam partem attributam esse primæ aciei. Nam quòd nostrarum partium anteà fuerat, quæ nostræ essent vires atque rationes, non minùs quàm nos ipsi compertum habebat. Re inter ipsos communicata, plerique suadebant impetum esse faciendum. Sed Marchio Mantuæ, cùm fidem haberet captiuo, noluit periclitari fortunam, illata causa, quòd & peditatus genere à nobis vinceretur, & quòd socij nondum conueniissent omnes, quibus iniuriam fieri dicebat, si ipsis inexpectatis prælium committeretur. Quòd si etiam aduersi aliquid accideret, senatum Venetum grauiter esse laturum: tutius atque vtilius

lius sibi videri, vt castris sese contineant, & hostem ibi expectent, qui iter habeat nullum aliud. Eam sententiam legati amboVeneti comprobabant: alij verò minimè differendum esse contendebant, eò quòd prima acie profligata, Regem essent habituri in sua potestate. Post multam disputationem vicit altera sententia, & placuit non esse promouenda castra. Quicquid est eius rei, cognoui posteà ex ijs ipsis, quos dixi, qui ad eum modum Gio & mihi, quando pacis tractandę causa conuenimus, recitarũt. Interim & nos progrediebamur, & reliquæ sociorum copiæ in castra venerũt, & cùm iam ex Apennino descenderemus, erat nobis in cõspectu Insubria, omnium regionum longè pulcherrima & fructuosissima, & quòd toto itinere, inde à Luca vsque ad eum locum, in maxima eramus versati commeatus inopia, gratissimum nobis erat, agrum illum tam amœnum & frumentarium aspicere. Sed torméta, cùm iam per loca decliuia & abrupta, & salebrosa deducerentur, valde nos impediebãt, eamque molestiam augebat etiam, quòd hostes iam haberemus in conspectu, quorum multitudinem castra atque tabernacula significabant. Erant autem equites cataphracti ad duo millia & sexcenti, totidem equites sagittarij, item stratiotæ & leuis armaturæ equites,

circiter millia quinque, reliqui omnes pedites, & castris idoneum locum delegerant, eumque opere & tormentis munierant. Multus iam erat dies, cùm in vallem Rex descenderet, & Foronoui hospitio sibi locum delegit, ad quintum diem Iulij. Erat in eo vico farinæ & pabuli & vini satis: sed cùm orta quædam esset veneni suspicio, nostri initiò sibi temperabant. Suspicandi causa fuit, quòd Heluetij duo, cùm ex itinere defatigati & feruidi adhuc, immoderatè potassent in cella vinaria, refrigerandi sui causa, extincti essent. Antè mediam noctem periculum fuit factum in equis, cumque nihil deprehenderetur, vulgò sese reficiebant. Maxima certè fuit Italorum fides in eo toto itinere, nihil enim veneno tentarunt, quod facile tamen ipsis erat. A meridie statim in nos excursiones fecerunt stratiotæ, magno excitato tumultu, quoniam nostris hominibus infrequens erat ipsorum militiæ genus. Hostes deinde triplici acie instructa, suas copias omnes è castris produxerunt, modico interiecto interuallo, vt inuicem auxilio sibi essent, eumque ad eum modum aliquandiu constitissent, in munitiones suas iterum sese receperunt. Inter vtraque castra exiguum erat spacium, quò facilius erat illis perturbare nostros, immissis aliquot stratiotis, qui quòd locus erat

sylue-

sylueſtris, occultè poterant & de improuiſo ad nos peruenire. Ab vtroque latere eius vallis, vbi caſtra poſuimus, erant colles, perque mediam vallem decurrit flumen, Tarum appellant, quod pedibus tranſiri poteſt niſi dum creſcit, quod ijs in locis repentè fieri conſueuit. Ea tota vallis erat ſalebroſa, & equitibus valde incommoda, latitudine non magna. Dextrum collem inſederant hoſtes, nec aliud erat nobis iter, quàm vt præter ipſorum caſtra tranſiremus, interlabente flumine. Ad ſiniſtrum quidem licebat nobis deflectere, verùm ea fugæ conſimilis viſa fuiſſet profectio. Ex noſtris qui prudentiores erant, tunc demum cœperunt trepidare & concurſare, mihique negocium dabant, vt cum hoſtibus in colloquium venirem, & aliquem, qui de ipſorum numero ac rationibus cognoſceret, mecum deducerem. Hoc autem quoniam niſi interpoſita fide, mihi non erat integrum: reſpondi, quum Patauio diſcederem, mihi cum legatis Venetis ita conueniſſe, vt exiſtimem illos, quò minùs ad medium aliquem locum veniant, non eſſe recuſaturos: quòd ſi prior ad ipſos tranſeam, fore, vt illis maior quædam accedat alacritas, & nimis iam ſerò eius rei mentionem inferri. Miſſis igitur literis, legatos orabam, vt ex ipſis alter ad colloquium veniret, quoniam priùs

inter nos ita conueniſſet. Illi excuſare quidem initiò propter bellum motum Duci Mediolani: ſed tamen alter venturum ſe promittebat ad locum medium inter vtraque caſtra. De quibus illorum literis atque reſponſo, quum ad concilium retuliſſem, ex noſtris plerique deſpiciebant. Itaq; tametſi valde ſollicitus eram de periculo Regis: tamen actionem tunc intermiſi, veritus, ne ſi nimium vrgerem, ignauiæ alicui atque timori tribueretur. Circa mediam noctem Cardinalis Maclodienſis, iuxta quem meum tabernaculum erat, cùm à Rege iam primùm veniſſet, dicebat mihi, illum conſtituiſſe prima luce diſcedere, & præter hoſtiũ caſtra copias traducere, & tormentis in ipſos emiſſis, belli ſignum dare, ac deinde nulla interpoſita mora progredi. Conſilium hoc ipſius fuiſſe puto, propter inſcientiam rei militaris, ſed certè præſentis periculi magnitudo poſcebat, vt Rex cum belli ducibus & hominibus idoneis re communicata, de ſua & exercitus ſalute aliquid decerneret. Ad eum ſermonem reſpondi, quòd ſi in hunc caſum res deduceretur, fore, vt illi aciem inſtruant, & initiò quidem leuioribus prælijs, mox verò ſummis copijs nobiſcum decertent: multò aliter etiam mihi cum legatis Venetis conueniſſe. Dolebat mihi ſanè vehementer ipſius rei indignitas, verùm

rùm ita fatum meum erat, hoc Rege, vt timidiùs & remissiùs agendum mihi esset, ne illos, qui familiariter ipso vtebãtur, offenderem, eò quòd nimiam illis authoritatem tribueret. Stratiotæ ea nocte bis per interuallum maximos excitarunt nobis tumultus, eiúsque rei causa fuit, quòd nostri non se communissent idoneè, sicut fieri consueuit aduersus leuis armaturæ equites. Nam cataphracti nostrates perpauci, comitati suis equitibus sagittarijs, maximas illorum manus atque cohortes facilè perturbent atque disijciant. Erant autem ea nocte eiusmodi tempestates ac imbres, tantáque tonitrua & fulgura, vt cœlum, terrę, & summa profundis viderentur commisceri. Quod etsi in eo anni tempore naturalem habebat causam: tamen, quòd tam pauci eramus præ numero & multitudine illorum, & quòd in vna virtute spes omnis salutis consisteret, terrificum erat & pauoris plenum. Postridie manè accersitus à Rege, cùm venissem, reperi insidentẽ equo lectissimo, mediocri statura, quem Sabaudiæ Dux Carolus, dono dederat. Armatus erat toto corpore, & miram quandam dignitatem in omni sermone atque gestu præ se ferebat, ac planè videbatur esse alius, ideoque tunc eius, quod Hieronymus Florentiæ dixerat, in mentem mihi veniebat. Ipse non lon-

giore oratione vsus est, quàm si placeret nostris cum hoste colloqui, vt ijs me coniungerem. Respondi, libenter quidem facturum, sed vix vnquā vidisse duos exercitus, qui in ea propinquitate nō conserrent manus. Hostes iterum productis copijs, triplicique acie instructa, nos expectabant. Ibi Maclodiensis & ego collocuti, literas misimus ad legatos Venetos: ille, quòd sui esset officij ac professionis, tractare consilia pacis: ego, quòd nuper ab ipsis redijssem legatus: Regi esse in animo, iter illāc facere, suasque copias absque vllo maleficio & iniuria traducere: quòd si velint in collocutionem venire, vti pridie dictum sit, nos ei negocio non esse defuturos. Sed iam omnibus in locis cœptum erat leuioribus prælijs contendi. cumque nostræ copiæ præter ipsorum castra transirent, ac flumen solum intercederet, illi partem aliquam stratiotarum, & sagittarios equites cum nonnullis cataphractis emittebāt, qui tectè & occultè ad eum vicum, vnde nos eramus digressi, venerunt, ibiq; flumen transierunt, vt in impedimenta nostra, quæ plurima erant, impetum facerent. Ad sinistram, Marchio Mantuæ, cum patruo suo Rodolpho, & circiter sexcentis cataphractis, lectissima iuuenum manu, & cum leuis armaturæ equitibus, à tergo nos adoriebatur. A fronte erat

Gaia-

Gaiazius, cum quadringentis cataphractis & ampliſſimo peditatu, aduerſus primam noſtram aciem, & habebant vterque prętereà cohortes aliquot equitum auxiliares, ſed parum exercitatas in armis. Veneti enim, quòd omnia ſimul periclitari nollent, partẽ aliquam exercitus in caſtris continebãt, vt ex ipſis poſtero die cognoui. Quod tametſi ratione non carebat: tamen, quoniam eouſque iam proceſſerant, longè præſtitiſſet omnibus copijs & ſummis viribus dimicare. Interim dum legati Veneti eas literas, de quibus dixi, legerent, noſtri cœperunt eiaculari tormenta in ipſorum caſtra, quod ante id tempus nondum fecerant. Illi remiſſo præcone, nunciabant cupere ſe quidem colloqui, modò per tormenta liceret. Fuit igitur imperatum vtrinque, vt ceſſaretur: ſed paulò poſt denuo cœptum eſt, ac vehementiùs quàm antea: cumque duo noſtri præcones in ipſorum caſtra interim veniſſent, capti fuerunt, & ad Marchionem deducti. Ibi Gaiazius cœpit cohortari ſuos ad prelium: non eſſe iam quæſtionis aut colloquendi tempus, ac minimo negocio poſſe nos expugnari. Eam ſententiam ex legatis alter probabat, & idem erat Marchionis iudicium: ſed eius patruus Rodolphus, vir prudens & noſtri valde ſtudioſus, magna contentione reſiſtebat.

Omnem ſpem ſalutis Rex habebat in prima acie. Hi erant trecenti & quinquaginta equites cataphracti, Heluetiorum ad tria millia, quibus adiunxit trecentos & eò plures ſagittarios, quos cuſtodiæ ſuæ cauſa habere conſueuit, eiſque detraxit equos, & pedites pugnare iuſſit: ſumma, quicquid erat peditũ ad eam aciem reſcripſit. In eo peditatu erant Engelibertus frater Ducis Cliuenſis, & prætor Diuionenſis, Heluetiorum præfectus. Eos proximè antecedebant tormenta. Hîc certè, quos Rex in Florentinorum agro reliquerat, & Genuam miſerat contra plurimorum ſententiam, ij nobis potuiſſent in eo rerum ſtatu bonam operam nauaſſe. Prima noſtra acies iam peruenerat ad illorum ferè caſtra ſic, vt initium pugnæ futurum ab ijs putaretur. Reliquæ autem duæ acies aliquantò longiùs inter ſe diſtabant, neque tam idoneè, quàm pridie, fuerunt inſtructæ, vt ſibi auxilio inuicem eſſent. Marchio Mantuæ cum ijs, quas ſuprà dixi, copijs flumen tranſijt, & minimo interuallo poſtremum noſtrum agmen placidè ſequebatur. Itaque Rex, qui medium agmen gubernabat, neceſſe habuit ad primam noſtram aciem obuertere tergum, & hoſtem aduerſum ſpectare, ac nouiſſimo agmini ſeſe cõiungere. Et hactenus quidem Cardinalis & ego cùm à legatis reſponſum

sum expectaremus, extra ordines morati fuimus: verùm vbi rem eò deductam esse vidi, regem petebam. In itinere treis famulos, qui interiecto aliquo spacio me sequebantur, amisi, & vix centum passus processeram, cùm in eo loco, vnde veniebam, ingens clamor & strepitus exaudiretur. Hi erant stratiotæ, qui in calones ac impedimenta nostra impetu facto, multisque interfectis ac vulneratis, carros & quicquid erat eius generis, valde perturbarunt. Cùm ad Regem venissem, reperi occupatum creandis equitibus, quod in eiusmodi periculis & angustijs fieri consueuit, excitandi studij & virtutis causa, verùm quòd hostes iam erant in propinquo, reuocatus fuit ab eo negocio, & à quibusdam suis familiaribus, quibus multùm fideret, attributus fuit ei locus ante signiferum, ita quidem, vt ex nostris, præter vnum & alterum, nemo propius hostem, quàm ipse, consisteret. Nouissimũ enim agmen nostrum, cui subsidio ipse veniebat, aberat paulò longius ad dextrũ latus. Ijs cataphractis qui cum Rege erant, conjunxerunt se Scoti sagittarij equites. Impetu igitur facto concurritur vtrinque magna vi. Stratiotæ verò, qui illos proximè sequebantur, quum impedimenta nostra perturbata, nullis ordinibus deferri, & ad primam nostram aciem contendere, & sui ordi-

nis homines, quos suprà diximus ob eam rem emissos, prædam sectari conspicerent, relicto equitatu, cui subsidio esse debebant, ad prędam euolarunt. Ea res maximum nobis ad salutem attulit momẽtum. nam si suis illi gladijs, quos habent præstantissimos, nos adorti fuissent, planè de nobis, propter paucitatem nostrorum, actum erat. Equites ergo statim à primo concursu terga verterunt, & pedites etiam ad alterum latus elapsi, fuga salutem sibi perebãt. Eodem ferè temporis puncto, Gaiazius à fronte instabat, & primam nostram aciem inuasit: sed non tam cominus, neque tam acriter pugnatum fuit, quàm à nobis. Nam illi sub tempus prælij, & priusquam concurreretur, perterriti in fugam se coniecerunt. Quò minùs autem nostri persequerentur fugientes, in causa fuit, quòd Gius magnas hostium copias non procul à se animaduertit, ideoq; suos continuit. sed qui cum Rege fuerant, magno studio consectabantur fugientem hostem. nostri etiam calones atque seruuli maximam illorum partem conciderunt, armati securibus, quas circumferebant ad cædendum materiam, & construendis casis atque tabernaculis. Nam illi cùm essent grauis armaturæ, vix magno negocio poterant interfici, ideoque plures paucos circumsistebant, & magna vi perfractis

ctis galeis, expugnabant, ad eamque rem adiumento etiam erant prælongi nostrorum sagittariorum gladij. Interim dum nostri his rebus occupantur, Rex cum paucis quibusdam in eo loco, vbi commissum fuit prælium, remanserat, neque se ad primam nostram aciem recipere volebat, ne fugæ consimilis ea profectio videretur. Ibi ex hostibus nonnulli, qui diuersi dissipatiq; in omnes partes fugiebant, cùm eò fortè essent delati, & à defensoribus vacuum eum locum viderent, impetum fecerunt in Regem vno tantùm famulo tunc comitatum. Ipse, quòd equo vtebatur longè præstantissimo, fortiter sese defendebat, donec reliqui comites, qui nonnihil diuerterant, subsidio venirent. Eorum aduentu perterriti hostes, fugæ sese mandarunt. Rex eo periculo commotus, ad primam aciem contendit. Ea non se commouerat loco, quod Regi peropportunè accidit: quanquam si paululùm modò fuissent progressi, nemo omnium restitisset, eaq; de re magna fuerat inter nostros contentio. Quæ sua fuisset eius diei fortuna, cùm sub vesperum in munitiones reuertisset, mihi recitabat, ijs quos secum esse voluit, præsentibus. Initio pugnæ, nondum disiecto hostium equitatu, viginti circiter passibus ab eo, captus fuit quidam militum præfectus, quò

magis videre licet,in quanto ipse fuerit discrimine salutis. Ex hostibus omnium primus occubuit Rodolphus,ex Mantuanorum familia. Equitatus noster fugientes illos consectabatur, propè ad extrema vsque ipsorum castra, quæ ad Forum nouum spectabant.Ibi tandem, cum ex ducibus quidam magna voce dixisset, ad Regem esse reuertendum,omnes constiterunt,vt equos,qui cursu & labore erant exanimati,reficerent.Dum ibi moramur,prȩter nos fugiebant ex hostibus circiter triginta equites.In eos autem consultò non fuit factus impetus.Recreatis aliquantulum equis à labore, ad Regem contendimus, de quo nihil initiò nobis constabat:progressi aliquousque procul tandem animaduertimus vbi esset. Iacebant humi plurimæ illorum hastæ, pictæ quidem & elegantes, sed infirmæ atque leues, eas iussimus à famulis tolli & asportari. Inter eundum occurrebant nobis aliquot illorum cohortes pedestres,in eos facto impetu, & compluribus interfectis,reliqui per flumen fuga euaserunt. Dum à conflictu hostem insequimur, ex nostris aliqui monebant, ne cupidiùs progrederemur,verbulo vno mentione facta cuiusdam prælij,inter Ludouicum vndecimum & Maximilianum Cæsarem, qui victoria tunc potitus erat,quòd nostri prædæ studerent.Instrumentum

tum omne militare, & quicquid erat impedimentorum regis & ipsius familiarium, à stratiotis direptum fuit. Sed & nostri partem aliquam fraudarunt. multi enim ad pugnam inutiles & impuri homines castra sequebantur. Paucos in eo prælio desiderauimus. Ex ipsis interfecti fuerunt trecenti & quinquaginta equites cataphracti, & quod rarò solet in prælijs euenire, nemo fuit captus. Stratiotæ, quòd ad prædam decurrissent, pauci interierunt. Summa, omnium interfectorum fuerunt ad tria millia & quingenti, quod ex ipsis nonnulli mihi recitarunt, & vidi descripta nomina, in quibus erant circiter quinque, ex familia Gonzagica, propinqui & necessarij Marchionis Mantuæ, qui ex suâ etiam nobilitate amisit ad sexaginta, & in occisorum numero nullus fuit repertus pedes, & quod mirum est, omnes manu & cominus pugnando fuerunt occisi. Tormentis enim vix decem opinor vtrinque sublatos fuisse, & minimum temporis spacium durauerat prælium. Statim enim à primo concursu, illi cùm aut perfregissent aut proiecissent hastas, fugam petebant, & in persequendo vix horam consumpsimus. Itali autem longè alia ratione ac nos præliãtur. singulæ enim cohortes cum singulis contendunt, alij post alios, eoque fit, vt totum aliquando diem æqua

victoria decertent. Magna fuit ipsorum trepidatio: nam & cataphracti circiter trecenti & pleriq; omnes stratiotæ in fugam coniecti, alij Rhegium Lepidi, Parmam alij petebant, octo circiter milliaribus ab eo loco.

PHILIPPI COMINÆI, EQVITIS, COMMENTARIORVM Liber quartus.

SVPRA diximus de Petiliano Comite, & Virgilio Vrsino, quos Rex captiuos ducebat, ij profugerunt ambo post inceptũ prælium, & Petilianus, qui Florentino ac Ferdinando Regi militauerat, & in hostium exercitu erat non ignotus, rectà contendit ad illos longissimè iam fugientes, cúmque propiùs venisset, edito suo nomine, cœpit acclamare & hortari vt fuga desisterent, ipsorum esse victoriam, & cùm nonnihil confirmasset, maiorem partem reduxit. Quòd nisi hic casus interuenisset, omnes fuga sibi salu-

salutem petijssent: tametsi profectò parum erat in ea re solatij atque præsidij, quòd ab illo qui in nostris fuisset castris, reuocarentur ad prælium. Erat eius consilium, nocte illa faciendum esse in nos impetum: sed reliqui non probabant, vt ex ipso deinde & ex Marchione Mantuæ cognoui. Quòd nisi ad virtutem ipse vnus fuisset eos cohortatus, omnes ea nocte profugissent. Postquam ad Regem conuenimus omnes, apparebant nobis aliquot hostium cohortes pro castris, magno numero & instructa acie, ac solo capite atque hastis extabant. Hi non commouerant se loco, neque prælio interfuerant. Erat autem opinione longius interuallum, & transeundum erat flumen, quod iam paulatim augescebat superioris noctis atque etiam eius diei tempestate & imbribus. Rex ad concilium detulit, impetúm ne fieri placeret, an minùs. Erant cum eo tres magnæ virtutis Itali, Iacobus Triuultius, Franciscus Cæcus, annorum circiter septuaginta duorum, & Camillus Vitellius cum tribus fratribus. Hi suadebant adoriendos esse. nostri verò, quòd magna pars diei consumpta erat, consilium hoc improbabant, & satis eo die perfectum, & castris deligendum esse locum dicebant. Illi contrà magis instabant, & Franciscus in primis, qui

etiam manu commonstrans illos fugientes Parmam, in quod oppidum proximum habebãt receptum, valde sollicitabat prælių. Quòd si eius valuisset sententia, fugæ sese mandassent omnes, quod præcipui ipsorum duces posteà ad me non dissimularunt. Insignis fuisset ea maximiq́ue momenti victoria. nam eius nomine atque opinione, res omnes erant nobis futuræ secundiores. Mediolani Ducem valde oderat populus, neque difficile fuisset, ad nos inclinante fortuna, finibus illum expellere. In eadem causa fuissent etiam Veneti, propterea quòd nisi intra suos fines atque ditionẽ, quam habent in continente, nullam habuissent facultatem conducendi nouas manus, quò minùs etiam de Neapoli nobis timendum fuisset. Verùm accidit, quòd Hieronymus mihi prædixerat, fore, vt eius belli gloria penes nos, consisteret, nulla nostra virtute aut merito. Tum quidem adeò nihil erat apud nos rationis aut consilij: vt victoria, si qua contigisset, non potuissemus vti. Dum ad eum modum, vt iam dixi, deliberamus, interuentu noctis, illi se in suas munitiones recipiunt, nos etiam non procul illinc, vbi prælium commissum erat, locum nobis delegimus, non quidem certa ratione vel ordine, vti fieri consueuit, sed quam quisque in partem primùm veniisset, eam occupa-

cupabat. Quibus erat quod ederẽt, ij ſeſe nonnihil reficiebant. Cubabam ea nocte humi in vinea quadam, valde anguſtè, ſine ſtratis atque pallio. Rex enim vtebatur meo, qui in prædiũm quoddam vicinum, incommodè ædificatum, diuerterat. Multùm iam̃ noſtri homines de ſua ferocia remiſerant, neque tantos ſpiritus ſibi ſumebant, vt ſuperioribus diebus. Ex ipſis qui ſaucij erant, nonnulli curabantur in cubiculo Regis. Heluetij noſtri diligenter ea nocte excubabant, eisque dono Rex dabat aureos trecentos. Interim verò de ſalute Regis valde eram ſollicitus, & vt tutò progrederetur, conſtitui intermiſſam pacis actionem renouare, ſed vix ægrè licebat internuncium aliquem reperire, qui ad ipſorum caſtra proficiſceretur. Nam in ipſo prælio nouem illorum præcones, cùm non agnoſceretur, fuerant interfecti, & illi ex noſtris quendam in vincula coniecerant, alium etiam, qui à Rege miſſus fuerat ante prælium, occiderant. Vbi tandem eſſet inuentus qui iret, miſſæ fuerunt vltrò citroque literæ, quibus idoneè cauebatur venturis ad colloquium, quod illi æquo ſpacio ab vtriſque caſtris haberi poſtulabant. Et quanquã difficultatem in eo ineſſe videbam: nolui tamẽ interpoſita cauſa colloquium tolli. Rex ad eam rem delegit Cardinalem, Gium, Piennium &

me: illi verò Marchionem Mantuæ, Gaiazium, & legatos Venetos. Vbi ad flumen venimus, missō ad ipsos qui longiùs aberant, caduceatore, vt progrederentur hortabamur. Illi, quod fore suspicatus eram, respondebant, dictum esse, vt loco medio conueniretur: se iam longiùs, quàm oporteat processisse: adesse primos totius exercitus, neque velle tantum in se periculum recipere. Eadem ferè nostri dicebant, & adductis rationibus, cur nòn progrederentur, cœperunt hortari me vt transirem: neque tamen quid ipsorum esset consilij, aut quid vellent proponi, monebant. respondi, velle me testem habere eius quod agerem, neque solum esse iturum. Comitatus igitur Roberteto scriba, cui Rex plurimùm tribuebat, & caduceatore, & famulo, flumen quod iam creuerat, transiui, vel eo solùm, vt ipsis, qui meo rogatu & impulsu illuc veniissent, satisfacerem. Ad primum congressum, vbi salutassem, incusabam, quòd non satis essent progressi, & hortabar vt saltem ad ripam vsque fluminis procederent. Nam si eousque peruenirent, sperabam non nisi colloquio habito discessuros. Verùm illi excusabant, latum esse flumen & rapidum, neque fieri posse, vt si vtrinque in ripa consisteremus, alij alios intelligant, sonitu enim fluminis atque curiu sermonem impediri:

pediri. petebant ergo, vt conditionem aliquam pacis ostenderem. Ad ea paucis respondi, me, qui solus essem, nihil amplius dicturum, neque vllum eius rei mandatum habere: quòd si rationem aliquam compositionis ipsi proferãt, ad Regem esse relaturum. Dum ita colloquimur, ex caduceatoribus nostris quidam equo admisso celeriter accurrit, mihique nunciat, collegas nolle diutiùs morari: si quid omnino velim agere, vt id statim perficiam. Id verò minimè committendum esse mihi putaui, tum, quòd illi, quæ Regis mens esset atque voluntas, non paulò meliùs quàm ego, scirent, eò quòd essent familiares: tum, quòd ex ipsis nonnulli, eodem die, manè, cùm haberetur consilium, occultè fuerant cum Rege locuti. Marchio Mantuæ, cùm in pugnæ mentionem incidisset, quòd si captus fuisset in eo prælio, an capite Rex ipsum mulctasset, quærebat? Respondi, minimè facturum fuisse: nam quòd eum esset adortus, magnam ipsi conciliasse gloriam. Pro captiuis posteà deprecabatur, qui tamen nulli erant, vt suprà diximus: in primis autem pro suo patruo Rodolpho, quem adhuc superesse putabat, & vt ipsius haberetur exquisita cura, petebat: & cùm ex nostris illi nonnullos commendassem, constitui me rediturum ante noctem, & ad illud tempus

pactæ fuerunt induciæ. Reuersus ad nostros, vbi quid actum esset, commemoraui: Rex indicto consilio, cœpit deliberare: sed alij in alios respiciebant, vt fieri solet, rebus in summam difficultatem adductis. Et cùm in aurem aliquid Rex immurmurasset Cardinali, iussit vt ad hostem reuerterē, & quid ipsorum esset voluntatis, cognoscerem. Cardinalis etiam, ne quid omnino decernerem, mandabat. Erat sanè vtriusque mandatum valde alienum ac præter rem. Nam quòd eius colloquij author eram, dubitari non poterat: quin illi sermonis initium à me fieri vellent: deinde, ne quid decernerem, metui non oportebat, eò quòd rem nullam, de qua verba facerem, mihi præceperant: sed occasionem nullam paciscendi prætermittere volebam, ac certò sciebam, etiam si nihil efficerem: causam tamē nostram me non esse facturum deteriorem. Accessit, quòd quo essent hostes animo cognoscere me posse sperabam, erant enim non minùs, quàm nos, perterriti. Cogitabam etiam inter colloquendum fieri posse, vt aliquid illis excideret, quod nostris rationibus esset non incommodum. Iam nox suberat, cùm ad flumen venirem, eoque statim accurrit quidam citato equo, missus ab illis quatuor, quos suprà dixi, qui nunciaret, ne longiùs, imminente iam nocte, procederem:

Stratio-

Stratiotas enim excubare, qui nullum hominem norint,& promiſcuè in omnes impetum faciant. Volebat ille quidem officij cauſa me comitari: ſed ne quid ea nocte ſpeculando de rebus noſtris cognoſceret, tum etiam quòd de ſententia Regis nihil habebam comperti, propter eas,de quibus diximus,occultas ſuſurrationes,remittebam ad ſuos, & in poſterum diem ad horam octauam iuſſi, vt ad flumen me expectaret,eò me venturum, aut ſi quæ res noua intercederet, renunciaturum per Caduceatorem. Reuerſus igitur ad noſtros,quid accidiſſet,expoſui. Id erat ſub cœnæ tempus, deinde quieti ſeſe dabant omnes. Poſt mediam noctem reuertor ad Regem, eius cubicularij iam erant parati ad iter,mihiq; dicebant, eum conſtituiſſe celeriter proficiſci Aſtam, & in agrum Montferratẽſem: ſimul hortari me cœperunt,vt manerem, colloquendi cum hoſtibus cauſa. Verùm excuſans dicebam non me futurum in poſtremis, neque vitæ periculum velle me ipſum creare mihi. Non multò pòſt, expergefactus Rex,peracto ſacro, conſcendit equum,horam vnam antè quàm illuceſceret. Tuba ſignum fuit datũ excubitoribus,vt ſuum facerent officium, nec aliud fuit in caſtris enũciatum: quod ſanè ad terrorem militum pertinebat,in ea propinquitate hoſtis, & quòd iter

nobis faciendum erat per loca syluestria & impedita. Nam & à via aberrauimus, & audiui, cùm è signiferis quæreretur, vbi essent itineris duces. Quòd nisi Deus rem omnem gubernasset, quomodo sit credibile, regem adeò potentem absq; commonstratore viæ, nocturno tempore profecturum fuisse? Verùm in eo maximè fuit illustre Dei beneficium, quòd hostes profectionem nostram tunc primùm senserunt, cùm multus iam esset dies, arbitrati venturos ad colloquium, vt pridie cõstitutum fuerat. Flumen etiam, quod inter nos erat mediũ, adeò creuerat, vt ante vesperum nemo auderet transire, ac tunc primùm Gaiazius cum ducentis circiter equitibus leuis armaturæ transijt, non sine periculo, propter aquæ vim & rapiditatem, atque è suis vnum & alterum amisit. Confecta sex milliarium via per loca impedita & angusta, vbi singularibus progrediendum erat, deuenimus in planiciem & amœnissimos campos, vbi prima nostra acies cum impedimentis omnibus nos expectabat. Erat in eo agmine Iacobus Triuultius, & quoniam eius insignia erant propè consimilia ijs, quibus Marchio Mantuæ vtebatur, nostri, cùm vidissent, vehementer perterriti fuerunt, ac hostium copias ibi consedisse putabant: sed & illi vicissim, cùm non recto itinere, sed per loca deuia nos aduen-

aduentare conſpicerent, in conſimili erãt metu,& inſtructa vtrinq; acie,cùm equites huc illuc excurrerent,ac ſe inuicẽ agnouiſſent, detectus fuit error. Progreſſi aliquantulum refecimus nos quodã in oppidulo, vbi de induſtria fuit conclamatum ad arma, vt à direptione auocarentur Heluetiorum animi. Poſtero die non procul à Placentia,Trebiam flumen trãſiuimus,relictis ab altera fluminis parte ducentis equitibus cataphractis, item Heluetijs atq; tormentis propè omnibus, quod militũ cauſa Rex faciebat, vt eò ſeſe commodiùs & laxiùs reficerent. Flumen illud, maxima tẽporis parte, eſtate præſertim,eſt exiguũ,ſed ad decimam horam noctis adeò creuit, vt ne equites quidẽ auderẽt tranſire,quod in ea propinquitate hoſtis erat periculoſiſſimum:ac multæ fuerunt ea nocte rationes initæ, vt illos, qui trans flumen erant,traijceremus,ſed fruſtrà ſumptus fuit omnis labor,& expectandum erat donec decreſceret, quod fuit manè ſub horam quintam. Tunc in vtramque ripam tenſi fuerunt funes, quibus adiuti pedites tranſierunt, ac ſolo pectore ex aqua extabãt. Poſt eos tranſijt equitatus cum tormentis. Mediolani Dux magnum habebat præſidium Placentiæ, & Gaiazius recens eò peruenerat: quò maius erat periculum noſtrum, quibus à tergo imminebat hoſtis.

Placentini autem eò spectabant, vt Regem vrbe reciperent, atque illud fieri volebant nomine & causa eius pueri, quem Ioannes Mediolani Dux hæredem reliquerat, vt suprà diximus. Eò si Rex voluisset animum adijcere, multi alij per Insubriam defecissent, impulsu & opera Triuultij, qui & ortum ex ijs locis habebant, & valde erat acceptus multitudini: sed rex in gratiam sui patruelis, Aureliorum Ducis, recusabat, tametsi huius facultates nollet nimiùm amplificari, ideoque litem illam de Insubria non magnoperè etiam curabat, de solo transitu sollicitus. Continuata profectione, quinto die Dertonam peruenimus. Qui erat eius oppidi præfectus, cùm ex nostris qui præcesserat, audisset, regi esse in animo iter illàc facere sine maleficio, frumẽtũ & quicquid esset necessariũ, subministrari iussit, & obuiam progressus purgabat se Regi, quod oppido non reciperet. Is erat ex familia Sanseuerina, frater Comitis Gaiazij, & cùm Neapolim Rex iret, nobis militauerat. Dertona Rex Nissam peruenit, quod est ad Tanarum flumen, ditionis Monferratensis oppidum, & quòd in amicorum iam essemus agro atque finibus, magna fuit militum lætitia. Gaiazius enim continenter nobis instabat à tergo, & primis aliquot diebus magna nos affecit molestia. Ex nostris equitibus pauci

pauci volebant in postremo agmine versari, & quò propiùs ad Galliam accessimus, eò minor erat illorum virtus. Itaque rectè illi, qui Gallorum animos ad suscipienda bella prōptos esse & alacres, verùm remollescere paulatim, & ad perferendas calamitates minimè resistere dixerunt. Heluetij autem, qui postremum agmen clauderent, circiter trecenti, minoribus suis tormentis, quæ circumferebant, impetum illorum tardabant, & stratiotas, qui reliquis equitibus erant permixti, facilè reijciebant. Hostium reliquus exercitus, qui nobiscum dimicauerat, magno quidem studio nos persequebatur. sed quòd iter diei præcessimus, & quòd ipsi grauioribus equis impedirentur, non poterant quantum cupiebant, progredi, & re desperata, Nouariam contendebant, vbi Mediolani Dux aliquot habebat copias, vt anteà diximus. Quòd si nos consequi potuissent, credibile est, fœliciùs multò quàm priùs, rem gesturos fuisse: at bellum hoc Deus administrabat. nam eo toto itinere vagabamur absque ordine ferè, & quem quisque poterat, hospitij locum sibi capiebat, & in magna eramus inopia commeatus, & perfacile fuisset Italis, veneno corrumpere quicquid erat cibariorum, puteos etiam & omnem aquam. Tantus enim erat æstus solis, vt nostri milites, quocun-

que veniſſent, paſſim in ſtagnis & oppidulorum foſſis, magno concurſu & auiditate ſitim reſtinguerent, exanimati labore itineris. Nam ante lucem ortam Rex dabat ſe in viam, & in multum vſque diem progreſſus, nonnihil ſe reficiebat, & pabulum equorum deportandum nobis erat magno labore, quod & ipſe feci non ſemel, & biduum fuit, cùm præter atrum & malè coctum panem nihil eſſet quod ederem. His autem difficultatibus vna res erat ſubſidio, militum virtus & laborum tolerantia. Nam æquiſſimis animis hæc omnia ferebant, & dici non poſſit, quàm fuerit omnis generis moleſtiæ plena profectio. Multa quidem tuli ſub Carolo Burgundiæ Duce, verùm nihil ad iſta. Lentè nobis progrediendum erat, & non longiùs, quàm maiora tormenta deducerentur, vbi ſubinde conſiſtendum erat atque morandum, cùm aliquid eſſet perfractum aut laxatum. Quòd autem dixi, noſtros perturbatè, nulloq; ordine atque conſilio pleraque adminiſtraſſe, non eò pertinet, quaſi nulli eſſent in caſtris egregia virtute & conſilio viri. Erant quidem certè, ſed eorum hoc erat fatum, vt exiguam haberent authoritatem apud Regem adoleſcentem. Septimo die poſt commiſſum prælium, non procul ab Alexandria conſedimus, ibiq́ue diligenter diſpoſitis excubijs, poſtero

ſtero die de nocte profecti Aſtam peruenimus. Rex cum ſuis familiaribus oppidum ingreſſus, reliquis copijs mandabat, vt in vicino agro ſeſe reficerent. Magna fuit in eo oppido reperta copia commeatus. quod noſtris valde opportunè accidit, qui fame, & ſiti, & æſtu, & vigilijs erant vehementer afflicti, detritis etiam & laceratis veſtibus. Obſidebatur tum Nouariæ Dux Aureliorum, ſed non tam anguſtè, quin exitus illi pateret. Ad ipſum igitur eodem die quo peruenimus Aſtam, miſi Philippum Coldræum, nobili genere natum, qui nunciaret, inter Regem & Mediolani Ducem agi de compoſitione, meque ipſum ad eam rem adhibitum à Rege vti opera & interceſſione Ferrariæ Ducis, ideoque meum eſſe conſilium, vt confirmatis eorum animis, quos ibi præſidio collocaſſet, qui erant ſupra ſeptẽ millia lectiſſimorum militum, veniret ad Regem, ac ſpem illis faceret ſui reditus, aut ſoluendæ obſidionis. Poſtridie eius diei quàm Rex eò venit, inter alios nunciabat ei Dux Aureliorum, ambos exercitus hoſtium circumſidere Nouariam, & quia non multum ſupererat, quo famem intus tolerarẽt, orabat vt auxilio ſibi veniret. Suprà diximus, quomodo parum diligẽter illi de commeatu prouiderant. Nam ſi frumentum & alia maturè comportaſſent in

oppidum, facilè illud ab hoste defendissent. Astæ Rex commoratus aliquot dies, Peronem Bassum ablegauit, qui classem pararet, & copias conduceret, quæ nostris hominibus per regnum Neapolitanum essent subsidio. Ille re omni procurata, classi præfecit Arbanum, qui profectus ad oram vsq; Neapolis, cùm nō procul esset ab hostibus, tempestate prohibitus nō potuit propiùs consistere, & Liburnum redijt, vbi maior pars militum egressi in continẽrem, profugerunt, desertis nauibus. Hostium verò classis in portum quendã, non procul à Plumbino, appulit, ibiq; per menses duos morabatur, atq; interim nostris fuisset nō difficile progredi, & subuenire Neapolitanis, propterea quòd eius portus, quem hostes tenebant, ea est natura, vt nisi vno solùm vento, qui tempore hyberno valde est infrequens, non possit inde solui. Erat quidem Arbanus egregia virtute, sed parum peritus rei maritimæ. Asta profectus, Taurinum Rex venit. Hîc multa fuit actio pacis, & vidua quoq; Sabaudiæ domina, eam rem curæ habebat. Sed & ipse diligenter sollicitabam de compositione, quod valdè cupiebant primi nominis hostes, ij, quos non semel anteà diximus, eoque missis literis, idoneè mihi cauebant. Sed quæ in magnorum principum familijs regnare solet inuidia, Cardinalis actio-

actionem meam euertit, vt istud, quod Sabaudiæ vidua instituerat, perficeretur. Hoc autem tribuebat suo hospiti, quo Taurini vtebatur, homini prudenti, & eius regionis quæstori. Cumque longior quædam mora huic actioni interueniret, prætor Diuionensis ad Heluetios fuit missus à rege, vt copias cõduceret ad quinque circiter millia. Paulò antè dixi, quemadmodum classis nostra tempestatibus detenta nihil potuit efficere. Ea re nunciata, Mompenserius, item princeps Tarentinus, Stephanus Verius & multi alij, relictis præsidijs, pro numero & exiguitate commeatus, Neapoli discesserunt, quod grauiter tulit Rex Ferdinandus, & pactum eos violasse, ac potestatem habere se dicebat interficiẽdi quos dedissent obsides, in quibus erat Comes Marchianus, Arduennæ syluæ incola. Nam treis circiter menses ante hoc tempus, Rex Ferdinandus, partim fauore suorum, partim indiligẽtia nostrorum, Neapolim ingressus erat. Quod tametsi occultè ageretur: nostri tamen priusquam accideret, præsenserant. Multa sunt quæ de eo dicam, sed quæ corã ipse non vidi, ea non soleo prolixè cõmemorare. Interim dum esset in vrbe, allatum fuit de morte regis, & Mediolani Dux, scriptis literis confirmabat, eum in prælio ad Forumnouum, occubuisse. Huic famæ nostri fidem

habebant,&Columnenſes etiam, qui alioquin eò ſpectabant,vt potentioribus ſeſe coniungerent,ideoque ſtatim à nobis defecerunt, tametſi plurimis eſſent à Rege & ampliſſimis ornati beneficiis.Noſtri ergo cùm in magna eſſent commeatus difficultate,rebus omnibus amiſſis, quas in vrbe haberent, obſeſſi iam in quartum ferè menſem, pacti fuerunt cum hoſte,ſexta die Octobris:quòd niſi Rex intra certum tempus ſubſidia mitteret,redituros in Gal liam,neq; bellum deinceps vllum vel terra vel mari facturos Neapolitano regno, eiusque rei cauſa dabant obſides. Et quoniam ante præfinitum diem diſceſſerant, Ferdinãdus contendebat,fidem ab ipſis non ſeruatam eſſe:Illi verò contrà, nihil à ſe factum eſſe præter officium,dicebant: ſed obſides interim in maximo erant vitæ diſcrimine.Prudenter illi quidem & cautè,quòd ei pactioni parum fiderẽt: ſed honeſtiùs multò fuiſſet,ad cõſtitutum diem reddere illi quas tenebant arces, & liberare obſides,preſertim cùm paucis pòſt diebus,qui preſidio relicti erant, deſperata ſalute, & inedia coacti,deditionem facerent. Dum Rex Taurini & in finitimis oppidis Heluetiorum aduentum expectaret, tẽtabat quo modo pòſſet cum Mediolani Duce paciſci, & de Aureliano parum erat ſollicitus, tametſi crebrò ſollicitaretur

retur ab eo de auxilijs. Vix enim iam tolerabãt famem qui intus erant, & hostes arctiùs obsidebant oppidum, & aucti erant nouo equitatu, circiter mille armatorum, quibus præerat Fridericus Capelarius Firtensis, vir summæ virtutis atque consilij, & præter Venetorum copias, erant ad vndecim millia Germanorum, in finibus & agro Maximiliani Cęsaris conducti. Augescente ergo hostium numero, & cùm nulla posset honesta conditio impetrari, persuasum Regi fuit, vt Vercellas sese reciperet, & occasionem aliquam expectaret eripiendi suum patruelem, & eos qui obsidebantur. Hortatus fui Ducẽ, vt anteà dixi, veniret ad regem, & qui ad defensionem essent inutiles, eos vt dimitteret. quod si feciſſet, non fuissent in eas redactæ angustias ipsius copiæ. Nam præsens ipse communicasset nobiscum consilia, & si non qualem optabat, saltem tolerabilem aliquam pacem impetrasset. Verùm Archiepiscopus Rothomagensis, qui cum ipso Nouarię semper fuerat, & legatus ab eo venerat ad Regẽ, hortabatur eũ ad virtutẽ atq; constantiam, & spem faciebat auxiliorum, cõfisus oratione & pollicitationibus Cardinalis, qui vnus omnia imperia administrabat. Et quanquam prolixè admodum ille pollicebatur, non me tamen latebat, frustrà sperari. Nisi enim prælio

Rex interesset ipse, non erat omnium quisquam pugnaturus, & lis tantùm erat de Nouaria, quam Aurelianus retinere, & Mediolani Dux restitui sibi volebat. Vt autẽ vni omnia cederent, oportebat. sunt enim in Ducatu Mediolanensi, non magno interiecto spacio, circiter decem vrbes. Quòd si Nouariam redderet, & Genuæ possessionem sibi Rex permitteret, omnia se facturum in eius gratiam Dux pollicebatur. Farinam subinde nostri homines deportabant ap oppidum, sed eius magna portio in via peribat: nonnunquam etiam ij, qui ferrent, deprehendebantur, tantaque iam erat omnium rerum inopia, vt aut fame morerentur, aut grauissimè ægrotarent, eamque suam miseriam occultis literis atq; notulis, quę summo periculo perferebantur, nobis significabant. Nostri verò spe semper illos alebant, in eoque certè valde peccabant. Causa, cur spem illis facerẽt, erat, vt interposita mora, paratum Rex haberet exercitum ad pugnam. Hoc quidem erat eorum, quibus authoritatem rex tribuebat, consilium, sed interim non videbant, neminẽ esse omnium, qui sententiam eorum probaret. Nam præcipui belli duces, & in his, Auraicæ princeps, qui recens aduenerat, cuiq; magnam Rex habebat fidem in re militari, cupiebãt honestè paciſci, his potissimùm de causis,

sis, quòd & hyēs suberat, & pecunia nulla suppeteret, & ex nostris plærique aut decumberēt ægroti, aut discederent, alij sponte, alij impetrata dimissione: sed ijs rebus nihil isti permoti, nolebant desistere negotio, & Aurelianum hortabantur, ne discederet. Nam qui ad Heluetios erat missus, prætor Diuionēsis, magnam spem iniecerat de copijs, quas esset adducturus. Ea re confisi, magis vrgebant suum institutum, & prætori, vt quantas omnino posset copias adduceret, mandabant. Breuiter, omnia tumultuosè, nulloque ordine aut consilio fiebant. Qui compositionem oderant, hanc etiam sui propositi rationem adducebant, non esse dignitatis ipsius Regis, vt pacis initium faceret, expectādum esse, donec hostes vltrò inciperent, sed ab illis eadem dicebantur, atque interim magis atque magis augescebat corū, qui Nouariæ obsidebantur, miseria, eousq; vt ipsorū iam literę, non nisi desperatissima nunciarent. Dum hæc geruntur, moritur vidua Monferratēsis. Ea res aliquam excitauit simultatem, & de administratione contendebant Salassiorum Marchio, & Constantinus, de quo suprà dictum est, eius fœminæ patruus, homo Græcus, expulsus finibus, & fortunis omnibus dispoliatus à Turca. Is & arcem Casalis tenebat, & filios duos nepotes suos, è quibus natu

maior erat annorum circiter nouem, in potestate sua habebat. Rex igitur, ne per eam occasionem altera factio Mediolani ducem accerseret, eique summam rei committeret, mihi negocium dedit, vt eò profectus, constituerem quod & ad liberorum salutem esset idoneum, & quod maior hominum pars approbaret. Nam ager ille omnis, propter vicinitatem, valde est opportunus Galliæ. Sed vehementer angebat me casus eorum, qui Nouariæ obsidebantur, & iam instabat hyems, & verebar, ne Cardinalis & Rothomagensis Episcopus Regem denuò excitarent ad prælium, & nisi Heluetiorum nouæ copiæ accederent, videbam non esse tutum ei dimicare cum hoste: quòd si etiam magno numero venirent, vt nostri homines iactabant, metuebam ne periculosum esset, eorum saluti sese committere: deinde, maxima erat hostium multitudo, & castris idoneum locum delegerant, eumque manu & opere communierant. His rationibus commotus, Regem antè, quàm discessi, compellabam: videri mihi, ipsum nulla ferè de causa velle se conijcere in summum discrimẽ: meminisse velit, in quanto fuerit periculo ad Forum nouum. ibi necessitate adductum decertasse prælio: hîc autem nullam rem talem interuenire: nõ esse pacem aliquam honestam repu-

repudiandam, neq; debere ipsum eo moueri, quòd nonnulli dicãt, ab hostibus oportere pacis initium fieri: quòd si velit, effecturum me, vt ad colloquium illi veniant, & vtrique parti sua constet dignitas. His auditis, vt Cardinalem de eo conuenirem, iussit. qui simul atque rationes & consilium meum accepit, valde respondit alienè, & ad pugnam omnino spectabat, & quasi certa iam atq; explorata victoria, confidenter admodum loquebatur. Rumor erat, Aureliæ Ducem, si Mediolanum occuparet, promisisse cuidam eius filio, decem aureorum millia annua. Postridie, dum eo salutaturus Regem ante obitũ, occurrit mihi Tremolius. huic, quòd Regi erat familiaris, rem omnem expono, simul rogo, an ipsum denuò sollicitandum esse puret? Vbi confirmasset, reuertor ad regẽ, & præsente Cardinali, priorem orationem repeto, cohortatus eum ad compositionem. Ibi Cardinalis, eam rẽ ad se, quòd esset ordinis Ecclesiastici, pertinere dicebat. Tũ ego, nisi ipse ageret, me profitebar esse acturũ, atq; hoc eò dicebam confidentius, quòd & regi & ipsius propinquis non ingratum esse sciebam. cumq; deinde Auraicæ principi, qui totius exercitus erat imperator, rem omnẽ communicassem, ita mihi cum illo conuenit, vt si quid de pace agerem, ad ipsum diligenter

omnia perscriberem. His cõstitutis rebus, Casale, quod iter bidui ferè distat Vercellis, proficiscor. Eius familiæ clientes propè omnes, Cõstantino sese addixerant. Nam vt is administrationi præesset, plærique omnes iudicabant tutissimum esse liberis, propterea quòd Salassiorum Marchio succedendi ius in eo agro habebat, quò maius erat periculum, si rerum procuratio fuisset ad ipsum delata. Vbi eò venissent nobilitatis & ordinis Ecclesiastici & ciuitatum primi, à me conuocati, quæ Regis esset mens atque voluntas, demonstrabam, hoc scilicet, quam nunc Constantinus haberet administrationem Reipublicę, in ea vti permaneat. Illi, quòd & natura student Galliæ, & quòd Rex ibi cum exercitu aderat, facilè assenserunt. Triduo post me venit eò quidam à Marchione Mantuæ, deploratum mortem eius fœminæ, quæ principum est consuetudo. Cùm eo cœpi conferre sermonem de componendo bello, sine maiori tumultu. iam enim sua sponte res huc inclinabant, exercitumque rex traduxerat Vercellas, vt anteà diximus: & ipse quidem in oppidum se recepit: Auraicæ verò princeps, & Comes Fossensis, & Vindicensis, & Gius, & reliqui omnes militum præfecti in castris permansérant. Spes tota exercitus & præcipuum robur erant Heluetij, qui Neapoli cum Rege

fuerant,

fuerant. Nostrates enim milites, propter oppidi propinquitatẽ vix poterant contineri, complures etiã ex ijs ægrotabant, & multi quotidie cõmigrabãt ex castris. Legatum illum, de quo diximus, cœpi monere, quam obrem Marchio pacis consilia sequi deberet: scire ipsum, quãto in periculo fuerit, superiori prælio. Quòd etiã ijs militet, qui ipsius virtuti ac meritis non referant parem gratiam, multos valde mirari. hortabar itaque vt pacis rationem haberet, atque idem facturũ esse me profitebar. Ille, Marchionem ab eo consilio non quidem alienum esse dicebat, sed oportere, quod aliàs quoq; dictum sit, vt à nobis fiat initiũ, eò quòd Romanus Pontifex, & Cęsar Maximilianus, & Hispaniarum rex, & Mediolani dux, confœderati authoritate ac potentia regem antecedant. Ad ea respondi, ineptum esse, tantulis rebus impediri: quòd si antiquissimum quodq; tempus atq; morem spectari oporteat, ab ipsis debere potiùs, quàm à nobis initium fieri, propter regis præsentiam, quos autem nominasset, ij solùm per legatos agerent. Quòd si ipsi ita videatur, nos vt intercessores vtrinque facturos initium, modò vt in sententia Mantuæ princeps permaneat, & constanter agat. Ad eum modum collocuti, placuit, vt postridie literas darem ad legatos Venetos, ijs literis, quid inter ipsum &

me conueniſſet, recitabam, occaſione ſumpta ab eo, quod Patauij mecum illi conſtituerant, vt non ſemel dixi. Nam & Rex operam meam probabat, & rerum noſtratum cõditio pacem flagitabat. Facilè quidem reperiuntur, qui rem aliquam perturbent, & diſſidijs materiam ſubminiſtrent: qui verò dexteritatem illam habeant, & voluntatem etiam, conciliandi animos & componendi ſimultates, vix paucos inuenire liceat. Nec enim eſt omnium, ea quę in eiuſmodi actionibus dici conſueuerunt & obijci, patiẽter ferre. Acceptis meis literis, legati magna fuerunt affecti lætitia, ſimul nunciabãt, ſe breui reſcripturos, & cùm ad ſenatũ Venetum retuliſſent, paulò pòſt reſponſum tulerunt. Ad exercitum noſtrum deinde venit è Ferrarienſi familia quidam, & cauſam aditus habebat per Iacobum Triuultium. Is, cum principe Auraicæ velle ſe colloqui, dicebat, quòd inter legatũ Marchionis & me conuenerat, eoque ſe miſſum eſſe profitebatur, vt idoneè caueretur Marchioni, & ijs quos ille ſecum eſſet adducturus colloquendi cauſa cum ijs, quos Regi placeret ad eam rem conſtituere. Hæc cùm palam dixiſſet, priuatim cœpit adhortari Regem, ne pacificaret, & timorem hoſtium propoſuit, ac breui moturos illinc caſtra domumque reuerſuros eſſe dicebat. Ei ſermoni intererat

Iaco-

Iacobus Triuultius, qui Mediolani Ducem grauissimè oderat, ideoque bellum potiùs quàm pacem suadebat, sed & Ferrariæ Dux, odio Venetorum, qui fertilissimam agri partem illi ademerant, vt suprà diximus, bellum ipsis inferri cupiebat. Audita eius oratione, Rex me iubet accersiri, & ad concilium defert, an ijs qui ad colloquium venturi dicebantur, caueri oporteret? Ibi præter Iacobum Triuultium, alij etiam, quos sæpe dixi, gratificantes, vt ipsi quidem putabant, Aureliorum Duci, prælium poscebant, & quibus essent in anguſtiis, ac rerum omnium inopia hostes, multa locuti, confirmabant eos paucis pòst diebus migraturos. Atque hæc eò confidentiùs dicebant, quòd reliquis omnibus ad pugnam excitatis, longè ipsi post principia sibi cauissent. Altera erat eorum sententia, in quibus & ego fui, qui dicerent, nobis metuendum esse potiùs ab inopia commeatus, quàm illis, qui suo in agro & ditione castra feciſſent, & firmiorem esse ipsorum exercitum, quàm vt vel à nobis expugnentur, vel rebus desperatis fugiant: qui eiusmodi illorum difficultates proponant, eos velle Regem suas fortunas omnes in periculum deuocare. Quæ sententia cùm in concilio vicisset, cautum illis fuit per literas, & nunciatum, Auraicæ

Principem, Gium, Piennium, & me, postero die venturos ad locum medium inter vtraque castra, colloquij causa. Postquam eò deuenimus, magno cum equitatu, aderat Marchio Mantuæ, & Venetus quidam, stratiotarum præfectus, cumq; peramicè salutatum esset vtrinq;, placuit, quò commodiùs & expeditiùs agi posset, vt ex ipsis nonnulli postridie ad nos transirent, atq; idem à nobis inuicem fieri oportere. Ad constitutum tempus, venit à Mediolani Duce, Franciscus Bernardinus Vicecomes, & cum eo quidam Marchionis Mantuæ scriba. Cardinalem Rex nobis adiunxerat, & vbi ventum est ad colloquium, Nouariam, in qua tenebatur obsessus Aureliorum Dux, & Genuam, quæ pertineret ad ditionem Galliæ, postulauimus. Ad hæc illi, nihil se contra Regem, nisi defendendi sui causa, feciſſe: Aurelianum eripuisse Nouariam Mediolani Duci, & nostris auxilijs belli feciſſe initium: postulata nostra recipi non posse, quantum ipsi quidem existiment: in cæteris rebus omnibus cupere se Regi gratificari. Bíduo apud nos commorati, reuerterunt ad suos, & nos deinde ad ipsos profecti, vt constitutum erat, de Nouaria diligenter sollicitauimus, & saltem eò rem deduci optabamus, vt Maximiliani Cæsaris fidei permitteretur, eò quòd Insubria, cuius est oppidum

dum Nouaria, Romani est Imperij prouincia. Hæc enim sola ratio nobis visa fuit tum idonea, tum honesta. Interim dum sic vtrinque commeant internuncij atque legati, Rex voluit vt in ipsorum castris manerem, ac tandem collegas etiam eò redire iussit, & Ambianorũ prætorem atq; Gannæum iureconsultum adiunxit, vt is latinè verba faceret. nam eousque locutus eram vtcunque Italicè. Fuit autem ad hũc modum actio instituta. Simul ad Mediolani Ducis domicilium peruenimus, ipse cum vxore nobis obuiam progressus, excepit. In eius cubiculo erant duo sedilium ordines, in eorum altero sedebant Maximiliani Cæsaris & Hispaniarum regis legati, & Marchio Mantuæ, & legati Veneti, posteà Dux ipse cum vxore, ac deinde Ferrarię Ducis legatus. Contra ipsos, ab altera parte, nos consedimus. Pro ijs Dux tantùm verba fecit, & ipsorum est consuetudinis, vt placidè & distinctè loquantur: nos autem tumultuosiùs ferè, & nonnunquam bini aut terni simul, ideoque Dux aliquando interpellans monebat, vt singuli cum singulis ordine loquerentur. Quicquid inter nos conueniisset, statim fuit exceptum & literis mandatum à scribis, qui, priusquam dimitteretur concilium, recitabant quòd ita scripsissent, Italicè vnus, alter verò Gallicè, atque eadem in

proximo conuentu relegebant, vt eò certiùs atque faciliùs omnia perficerentur. Est autem ea ratio valde idonea, cùm magni aliquid tractatur. Quindecim dies in ea re consumpsimus, ac primo statim die pactum fuit, vt Aureliorum Duci liceret ex oppido prodire, ideoque inducias fecimus in eum diem, quæ paulatim deinde productæ fuerunt vsque ad pacificationem. Et ne per fidem Aureliorum Dux circumueniretur, obsidem sese constituit Marchio Mantuæ, magis vt nobis gratificaretur, quàm vllius causa metus. Inprimis autem iureiurando nos adegerunt, vt profiteremur, nihil à nobis callidè vel insidiosè fieri, neque compositionem nos eò facere, vt illum ab obsidionis periculo liberemus, verùm agere liberaliter, & quicquid pepegissemus, velle seruare. Quo facto, Mareschallus Gius, & cum eo quidam missi à Mediolani Duce, Nouariam profecti, Aurelianum euocarũt, qui paruo cum comitatu egressus, magnam testabatur lætitiam. Sed qui intus erant, adeò vehementer iam affligebantur morbis & inedia, vt Gius nepotem suum cogeretur illis dare obsidem, pollicitus fore, vt proximó triduo omnes illinc discederent. Suprà diximus de prætore Diuionensi, qui ad omnes Heluetiorum pagos missus erat vti copias conduceret

ad

ad quinque millia. Is nondum reuersus erat cùm Aurelianus oppido excederet: alioquin dimicatum prælio fuisset, vt mea fert opinio. Et quanquam certò nobis constabat, multò plures, quàm iussi erant, venturos: tamen propter incredibilem miseriam eorum, qui obsidebantur, nõ potuit vlla mora interponi. Mortui enim sunt in ea obsidione, partim inedia, partim ægritudine & morbis, ad duo circiter millia: reliqui verò tam erant exhausti viribus atque deformes, vt non viui, sed mortui potiùs viderentur. Et præter Hierosolymæ obsidionem, opinor nullos vnquam homines in tanta fuisse rerum necessariarum inopia, quod tamen ipsorum indiligentiæ tribuendum est, vt nõ semel anteà diximus. Triduo pòst quàm Aurelianus prodisset, pactum fuit, vt ijs etiam qui præsidio intus erant, egredi liceret. Marchioni autem Mantuæ ac Galeacio Sanseuerino datum fuit negocium, vt illos ab iniuria defenderent, ac in locum tutum deducerent. Oppidum in fide ac custodia ciuium permansit, interposita fide, ne cui traderent priùs, quàm de rebus omnibus conueniisset. Ad arcis defensionem relicti fuerunt circiter triginta milites, quibus Mediolani Dux annonam permittebat, quantum in dies singulos satis esse videbatur. Erat miserabile spectare illos,

qui oppido exirent. nam sic erant afflicti & exinaniti, vt cùm circiter millia quinque prodirent, vix sexcenti essent ad pugnam atque defensionem vtiles. Equos propè omnes in illis angustiis deuorauerant, & vbi iam prodissent, in itinere, multi passim, exanimati languore, cùm progredi non possent, moribundi procumbebant, sic vt etiam hostes misericordia in illos vterentur. Nouaria petebant Vercellas, vbi Rex erat cum exercitu, vt anteà diximus. Interueni, cùm ex nostris nonnulli reficerent circiter quinquaginta, decumbentes quodam in horto, qui omnes modico pane, quem iusseram illis emi, recreati fuerunt. Vbi Vercellas venerunt, Rex aliquam pecuniæ summam dono dedit, & stipendia omnibus persolui iussit, etiam iis qui decesserant. Heluetiis quoque satisfieri mandauit, ex quibus perierãt circiter quadringenti, sed quantumuis amicè illis administraretur: extincti tamen sunt Vercellis circiter trecenti, partim auiditate nimia cibi, partim aliis incommodis, ac passim in oppidi sterquiliniis multi vitam finierunt. Ad hoc ferè tempus aduentarunt Heluetii nuper conducti, ad decem ferè millia, & iam erant in exercitu duo millia, qui cum Rege Neapoli fuerant, præter eos, qui Nouariæ toleraverant obsidionem. Consultum ergo Regi fuit, vt eas

manus

manus distineret, neque sineret coniungi. Vix enim vnquam eo numero suis finibus excesserant, neque cohiberi poterant, quò minùs venirent, & nisi in Taurinis aditu fuissent prohibiti, quod facile est in illis montibus, opinor cum vxoribus atque liberis eò fuisse commigraturos. Ludouicus Rex, Caroli pater, multis eos ornauerat beneficiis, & occasionem ipsis præbuit comparandi nominis atque gloriæ, eamque nonnulli causam esse putabant, cur tanto studio & alacritate nobis venirent auxilio. Verum quidem est, aduenisse tũc nonnullos veteranos ac militum præfectos, annorum circiter lxxij, qui Ludouico Regi contra Carolum Burgundiæ Ducem militauerant: sed lucri spes atque prædæ, quia rem familiarem habent plærique omnes exiguam, incitauerat eos, vt laborem & operam quotidianam militia commutarent. Erant autem lectissimi viri, quos nemo facilè, meo quidem iudicio, nisi per inediam aut consimilem aliquam necessitatem expugnasset. Aurelianus, vbi se per aliquot dies refecit, & animaduertit, nonnullos mirari, quòd, cùm tantas haberet copias Nouariæ, de commeatu non satis diligenter prouidisset: cœpit mentionem facere committendi prælii, atque eius adiuuabant sententiam Comes Liniacus & Archiepiscopus Ro-

thomagenſis, quo valde vtebatur familiariter, & cum his alij quidam humilis cõditionis homines. hi ſummittebant quoſdam Heluetios, qui dicerent, velle ſe confligere cum hoſte, neque tamen ſui propoſiti rationem vllam adferebant: Regi enim licebat vti pace, nec opus erat ei prælio decertare, niſi vt ipſum obſidione liberaret. Hoſtes verò non ſolùm multitudine & numero ſuperabant, præſertim equitatu, verumetiam ita ſe communiuerant foſſis atque vallo, vt noceri ipſis nequaquam poſſet, & ſoluta iam obſidione, non erat quòd eruptionem vllam ex oppido metuerent, & nobiſcum illis tantùm res erat. Aurelianus autem, & quibus ipſe perſuaſerat, videbantur eò ſpectare, vt in ipſis caſtris atque munitionibus hoſtem adoriremur: ſed incidit grauior quædam deliberatio, ne videlicet Heluetij, coniunctis omnibus copiis, Regem, qui præ ipſis erat infirmior, & primos exercitus comprehenderent ac captiuos abducerent, neque temerè fuit ea ſuſpicio, vt poſteà ſum dicturus. His rebus inter nos diſceptatis, non abſque magna contentione, & eouſq;, vt Aureliorum Dux Auraicæ principi conuitium faceret, ac mendacium exprobraret. Gius, Piennius, Gannæus, Moruillerius, Ambianorũ prætor, Carnutum præfectus & ego, reuerſi ad hoſtium caſtra,

castra, pacem fecimus omnino talem, vt facilè viderem non esse futuram firmam, sed nostrarum rerum status & anni tempus propemodum eò cogebant, vt scilicet honesta aliqua ratione illinc discederemus, impetrata pace, quæ literis mandata posset in omnes partes dimitti. Ad eum finem Rex inprimis respiciebat, & in frequenti concilio, præsente Aureliano, quid suæ esset voluntatis, ostenderat. Eius pacis hæ erant conditiones: vt Mediolani Dux Genuæ possessionem retineat, sed ex ea vrbe, cuius maxima sit opportunitas, Regi subsidium & auxilia quæcunque præstet: vt suo sumptu naues duas longas instruat, quæ Neapolis arci, quam tunc nostri adhuc tenebant, subsidio proficiscantur, vt anno pòst tres eiusdem generis naues habeat instructas, & si regem contingat Neapolim redire, belli gerendi causa, vt tum ipse comitetur, & nostris copiis det iter per suum agrum atque ditionem. Quòd si Veneti eam pacem intrà duos menses non recipiant, & familiam Arragonicam propugnare velint, vt aduersum eos Regi ferat auxilium: ea tamen lege, vt quicquid ipsis bello fuerit ademptum, ei cedat: deinde, quoniam Regi ad eam profectionem mutuo dederat centum & viginti quatuor aureorum millia, remisit eius summæ ad octoginta millia. Cautũ

etiam fuit, vt ciues Genuenſes duos, & Mediolanenſes totidem, Regi daret obſides. Arx Genuæ, Ferrariæ Ducis, qui neutrius erat factionis, fideicommiſſa fuit in annos duos, & ſumptus qui cuſtodiæ cauſa fierent, æquis portionibus ambo ſuſtinebant. Quòd ſi quid ex ea vrbe Mediolani Dux contra Regem moliretur, iam illi licebat eam arcem in Regis poteſtatem tradere. Quos promiſerat Mediolanenſes obſides, eos dedit, Genuenſes quoque daturus, ni properanter Rex abiiſſet, quod vbi vidit, intulit aliquid ad excuſationem. Poſtquàm hæc omnia iureiurando confirmauit, Rex quoq; fidem interpoſuit, & conſtituit poſtero die commigrare. Sed ea nocte Heluetii, qui in noſtris erant caſtris, frequentes ad concilium conuenerunt, ſub ſuo quiſque vexillo, vt ipſorum fert conſuetudo. Suadebant nonnulli, Regem, & qui cum ipſo erant, potentiores omnes debere comprehendi. Alii verò trimeſtre ſtipendium ab eo poſtulandum eſſe contendebant, quod pater eius pactus eſſet dare, quoties domo cum ſignis exiſſent. Erant ſententiæ, quæ dicerent, non ipſum quidem, ſed eius familiares oportere capi: & iam cogitabant, quod decreuiſſent, perficere, ſed priuſquàm inter ipſos conuenit, Rex cognito eorum conſilio, ingreſſus iter Taurinum contendit.

tendit. Erat in ipsorum castris Lornæus, qui multa iam consuetudine linguam eorum sciebat, & copiis aliquot erat præfectus. Is Regem de eo certiorem fecit, & mihi deinde rem omnem exposuit. Iniquum erat quod postulabant. Nam & in mensem vnum duntaxat fuit eis promissum stipendium, & antequam is exiret, domum reuerterunt. Qui cum Rege fuerant Neapoli, comprehenderunt prætorem Diuionensem & Lornæum, ac satisfieri sibi postulabant in dies quindecim, domum redeundi causa. Reliquis omnibus promissum fuit stipendium trimestre, & cùm obsides atque fideiussores accepissent, nihil ampliùs mouerunt. Vt autem turbam hanc excitarent, nostri homines, qui factam compositionem grauiter ferebant, illis persuaserant, & ex ipsorum præfectis, quidam Auraicæ Principem de eo commonuit, atque is deinde regem. Vbi Taurinum Rex venit, Gium, Gannæum & me ad Mediolani Ducem misit, oratum, vt ad se colloquendi causa veniret. Et cùm multæ essent à nobis adductæ rationes, in eam sententiam, vt diceremus, nihil ab eo fieri posse vtilius ad confirmandam pacem: ille, quamobrem id sibi non esset integrum, plurima respondit, & hoc in primis, quòd cum Papiæ Rex esset, inita fuissent consilia de se capiendo. Comitem

Liniacum & Cardinalem Maclodiensem non hoc modò, sed & alia quædam eius generis non obscurè dixisse. Multa quidem tunc fuerunt à nostris dicta parum prudenter, sed à quibus me latet. in hoc autem tempore, grauiter & seriò Rex cupiebat eius pacem atque amicitiam. Ille quidem non recusabat venire ad colloquium, sed interposito sepimento & flumine eius loci: quòd vbi Rex cognouit, illicò discessit, mihique negocium dabat, vt Venetias redirem, alios verò Genuam mittebat, vt nauibus illis, quas Mediolani Dux daturus erat, copias imponerent: verùm ille, cùm nostri maximos sumptus fecissent, non solùm remoratus est eos, verùm etiam naues duas Neapolim misit, quæ nostros oppugnarunt. Causa, cur ad Venetos remitterer, hæc erat, vt cognoscerem an ratam vellent habere nuper factam pacem, & ijs quæ Rex postularet, satisfacere, quorum primum erat, vt Monopolim, Apuliæ oppidum quod nobis ademerant, redderent: alterum, vt Marchionem Mantuæ & reliquas copias, Ferdinando Regi subsidio missas, reuocarent: postremum, vt profiterentur, Ferdinandum non esse eius fœderis, quod nuper cum Pontifice Romano cæterisque fecissent. Cùm eò venissem, exceperunt amanter, sed non æquè ac superioribus

mensi-

mensibus, cuius hæc erat causa, quòd nobis iam cum ipsis bellum intercederet. Vbi de iis mandatis Reipublicæ Dux cognouit, dicebat se communicata re cum senatu, breui responsurum. Mox decreta fuit trium dierum supplicatio, & in pauperes distributę facultates, & habitæ conciones ad populum, & ad Deum effusæ preces, vt quod commodum sit atque fœlix Reipublicæ, consilium suggerat. Percunctãdo cognoui, hanc esse ipsorum consuetudinem, quoties de re graui deliberatur. Religionem enim admodum diligenter procurant, & templa sumptuosè exornant, in eoque pares ipsos cum Romanis, & sanctimoniæ illi tribuẽdum esse puto, quòd Rempub. habent adeò florentem & amplam, digni certè tanta prosperitate. Vbi per dies quindecim essem commoratus, responderunt, se nihil eorum quę peterem, posse præstare, neque vllum ipsis esse bellum cum Rege, & quicquid fecissent, hoc totum pertinere ad defensionem Mediolani Ducis, socij & confœderati, quem Rex profligare velit. Cùm ea publicè Dux pronunciasset, iussus à senatu, solus mecum ac separatim in colloquium venit, ac eiusmodi conditiones deferebat, vt Ferdinandus, præstita fide ac iureiurando, regnum Neapolitanum Regi acceptum ferat, & aureorum millia quinquaginta

annua,& iam ſtatim mediocrem aliquam pecuniæ ſummam dependat,& oppida quædam aut partem aliquam Apuliæ, Regi permittat, qui Tarentum alioqui poſſideat: ſe curaturos vt in ea Regni parte vnum & alterũ oppidum illi prætereà detur: id nobis ad bellum Turcicum valde fore opportunum. Nam quo tempore primùm in Italiam Rex venit, multam eius rei mentionem fecerat, ideoque bellum hoc Neapolitanum à ſe ſuſceptum eſſe dicebat. Id erat autem ſimulatum, ac meritò noſtros homines eius figmenti pudere debeat. Eſt enim Deus, qui cogitationes omneis nouit, nec illi quicquam eſſe poteſt occultum. Hoc prætereà addebat, quòd ſi bellum rex aduerſus Turcam ſuſcipiat, illam Apuliæ partem ſatis ei futurã: deinde,Italiam omnem in eius belli ſocietatem eſſe venturam, & Maximilianum quoque Cæſarem, ipſoſque & Regem authoritate ſua facilè poſſe omnibus per Italiam perſuadere. Quantum ad ipſos pertineat, velle ſe Regi ſubminiſtrare in eo bello centum naues inſtructas rebus omnibus, ſuoque ſumptu alere equitum millia quinque. Pecuniam verò,quam ſit daturus Ferdinandus eam ſe mutuo illi daturos: quod eò faciebant, vt Brunduſium, Hidruntum & alia quædam Apuliæ loca,in ſuam poteſtatem redigerent. Eo

accepto

accepto responso, dicebam me relaturum ad Regē. Posteà reuertor ad Mediolani Ducem: qui tum erat Vigesij, in venationibus occupatus. Orabam, vt priuatim mihi cum ipso colloqui liceret. Grauatè quidem ille primò, sed tamen concessit. Ibi tum cœpi vrgere ac sollicitare, vt quas nuper esset pollicitus naues, dimitteret. arx enim Neapolis nondum deditionem fecerat. Erat Genuæ Pero Bassus, missus à Rege, vt idem negocium procuraret. Qui vbi de reditu meo cognouit, missis ad me literis, grauiter de Mediolani Duce questus, insidiosè illum & perfidè agere dicebat, eò quòd interim dum simulet velle subministrare naues, miserit duas hostibus auxilio. Nam Genuę præfectus, cùm ab eo de nauibus interpellaretur, respondit, nolle se illas armari milite Gallico, neq; plures quàm vigintiquinq; ex nostris velle imponere, & multa id genus alia, quæ ad excusationem pertinerent, dicebat, temporis extrahendi causa, vt interim nostri, difficultate & inopia adducti, arcis Neapolitanæ deditionē facerent. Sciebat enim Mediolani Dux, illos non ampliùs mensem vnum posse tolerare obsidionem, & quas per prouinciam Rex conduci iusserat copias, eæ non poterant idoneè subuenire nostris, nisi adiunctas sibi haberent duas illas naues, propterea quòd hostes

maxima classe & exercitu arcem obsiderent, adiuti à Venetis & Hispaniarum Rege. Triduum fui cum Duce, atque interim re semel ad cõcilium introducta, cœpit stomachari, quòd quantùm ad naues pertinebat, non probarem eius responsum, ac dicebat pollicitum se quidẽ, vt Regi subministraret naues, nõ autem, vt militem vllum Gallicum iis imponi pateretur. Ad ea respondi, excusationem hanc valde esse infirmam. quòd si mulam aliquam præstantem commodato mihi daret, vt alpes transirem, atq; interim iuberet, vt pedes illam deducerem, neq; vsum eius mihi concederet, an existimet vllum se mihi beneficium præstitisse? Post mulram disceptationem abduxit me in diuerticulum. Ibi cæpi commemorare, quanta sollicitudo, quantusq; labor meus & aliorum interuenisset, vt pax constitueretur: docebam, in quantum periculum Regis fortunas deuocaret, quòd à pactis discederet, & arces illas nobis eripi pateretur, ad eamq; rem auxilia summitteret hostibus: iis amissis arcibus, totum regnum à nobis defecturũ esse: cogitare secum velit, quantum ex ea re sit oriturum dissidium inter ipsum atq; Regem: eius iniuriæ perpetuam & immortalem futuram esse memoriam. Quòd si pacta seruet, Tarentini agri possessionem omnem pollicebar: simul demõstrabam, quan-

quantum periculum & sibi & Italiæ toti conciliaret, quòd mallet illa Apuliæ oppida esse imperij ac ditionis Venetorum. Ille, quæ dicerem, vera quidem esse omnia profitebatur, atque inprimis illud de Venetis, verùm exitus eius orationis erat, vt diceret, nullam sibi posse cum Rege firmam aut tutam esse amicitiam.

PHILIPPI COMINÆI, EQVITIS, COMMENTARIORVM Liber quintus.

OMNI spe impetrandi adempta, cœpi discedere domum, deductus ab eo circiter milliare vnum. Inter eundum aliquid excogitabat, vt me, quem tristem esse videbat, placaret. Et vt solent ij, qui subitò sententiam mutant, dicebat velle se mihi singulare quoddam beneficium præstare, vt tantò gratior essem Regi: postridie se missurum esse Galeacium (is erat summo apud eum loco) vt naues Genua dimittat, & reliquis

noſtris copijs coniungat: velle ſe Regi ſeruare Neapolis arcem, quòd ea defenſa, regnum totum in fide permanſurum eſſe cognoſcat, & ſtatim vbi naues è portu ſoluerint, ſe ipſum mihi ſcripturum, vt per me omnium primò Rex certior ea de re fiat, & intelligat hanc tam egregiam atq; fidelem operam me ipſi nauaſſe: & antequam Lugdunum perueniam, adfuturum mihi in itinere nuncium, qui eas literas perferat. Ea ſpe recreatus ab illo diſceſſi, & ingreſſus iter, quicumq; poſt me veniret celeribus equis & incitato curſu, hunc arbitrabar eſſe, quem ille pollicitus erat, tametſi, quòd hominis ingenium noueram, in dubio verſabar. Progreſſus Cameriacum, vbi amanter fui exceptus à Sabaudiæ Duce, pòſt, Lugdunum perueni menſe Decembri, cùm Rex ante bimeſtre eò veniſſet. Qui moleſtè ferebant pacem nuper factam, ij cùm verba nobis eſſe data viderent, magna fuerunt affecti lætitia, & ſibilis atq; geſticulationibus me deridebant, vt in eiuſmodi rebus fieri conſueuit. Quid egiſſem, ordine Regi commemorabam, & quas Veneti propoſuerant pacis conditiones, eas exhibui deſcriptas, verùm ipſe & Cardinalis pro nihilo ducebant. Interiectis autem aliquot diebus, denuò interpellabam. vtilius enim mihi videbatur, illa, quæ deferebantur, accipere, quàm

totum

totum amittere. Nam quibus omnem administrationem permittebat, ij non solùm non erant tantis rebus gerendis idonei, verumetiam homines peritiores ad sua consilia vix vnquam admittebant, quod tametsi Rex non probaret: tamen eo fuit ingenio, vt quibus fidem atque authoritatem tribueret, eos non auderet offendere. Huc igitur tanquam in speculum respiciant Principes, & assuescant sua ipsi tractare negocia, & aliorum quoq; sententias audiant, suosq; familiares, quorum vtuntur consilijs, in pari propemodùm habeant honore. Nam si quis singularis tantam habeat fidem apud Principem, vt reliqui eum metuere cogantur & obseruare: is reuera dominatur, & regnum obtinet, suisq; rebus tantùm ac facultatibus consulit, ac publicas commoditates negligit, quod Regi scimus euenisse. Quod suprà dictum est, nondum deditionem fecerant arcis Neapolitanæ, & quos ibi Rex constituerat, passim erant in præsidijs, Monpenserius, Salernitanus, Albinius in Calabria, & alij alijs in locis: verùm adeò destituti à nobis, vt vix vnquam aliquis ad eos nuncius aut literæ perferrentur. Et si quid fortè nunciaretur, id totum erat confictum, & alebantur vana spe ac pollicitationibus. Rex enim nihil administrabat ipse. Quòd si maturè fuisset eis

prouisum de re pecuniaria, defendissent regnũ ab hoste: sed interposita mora, longè maiores deinde sumptus frustrà fecimus, ac tandem rebus omnibus deperditis, allata fuerunt illis ad quadraginta aureorum millia, quæ quidem pecuniæ summa, mensem vnum citiùs deportata, restauraſſet ōmnia, & ignominiam illam quæ amisso regno secuta fuit, à nobis depulisset. Eius rei causa fuit, quòd Rex nihil ipse procurabat, nec eos, qui de suorum statu docere ipsum poterant, audiebat, & quòd eius familiares erant homines imperiti & ignaui, & quòd ex ipsis nonnulli, vt opinor, consilia sua cum Pontifice communicabant. Vbi per mensem vnum & alterũ Rex Lugduni fuit, nunciatum est ei de infirma valetudine sui filij, quẽ habebat vnicũ, ac triduo pòst allatũ fuit de eius morte. Deplorauit quidem ille casum, sed leuiter: vxor autem Anna, Britanniæ Ducis filia, grauissimè tulit, & suprà quàm dici potest, fuit afflicta, & videbatur ei mens aliquid siniſtri prænunciare in posterum. Rex verò, vt eam recrearet, nobiles aliquot summisit, qui coram ea saltarent, quod nostro more fieri consueuit, excitandæ lætitiæ & depellendi mœroris causa. In his fuit Dux Aurelianus, annorum circiter triginta quatuor. Et quoniam à morte Regis ad ipsum, qui genere proximus erat, defe-

rebatur

rebatur regni succeſſio & ſumma imperij, regina factum hoc ſic accipiebat, quaſi filij ſui morte lætitia eſſet affectus, ideoque cœpit odiſſe, & multo pòſt tempore ab eius abſtinuit colloquio. Erat puer ille annorum trium, admodum formoſus, & in loquendo audax, neque timebat ea quæ reliqui pueri ſolent. Rex igitur, qui corpore erat exiguo, & ingenio parum excitato, ſed alioqui placidiſſimis moribus, eò leuiùs mortem eius ferebat, quòd metueret, ne grandior ille factus, gratiam & authoritatem ſibi inter ſuos minueret. Hîc autem mihi vide magnorum Regum atq; Principum miſeriam, qui à ſuis ipſi liberis ſibi metuunt. Ludouicus vndecimus, cùm eſſet annorum tredecim, facta coniuratione nobilitatis, arma ſumpſit aduerſus parentem ſuum, Carolum ſeptimum, & cùm excreuiſſet, adeò cœpit vehementer ab eo diffidere, vt relicto Delphinatu, prouincia ſua, recipere ſe ad Philippum Burgundiæ Ducem. Et cùm deinde graui valetudine afflictaretur, ne filio quidem ſuo, qui tunc erat annorum circiter quatuordecim, fidebat, vt in ſuperioribus commentarijs demonſtrauimus. Ita videlicet comparatum eſt in rebus humanis, vt omnes pariter aliquo afficiantur dolore. A condito enim mundo, rerum

omnium fabricator Deus hoc ita constituit, neq; licet cuiquam illius euitare decretum: sed differunt inter se cruciatus. Nam qui sunt animi, grauiùs vrgent, quàm corporis, & quibus obnoxij sunt prudentes, ij multò sunt tolerabiliores, quàm insipientum: etsi diuersum nõnulli sentiant. hi enim quo se consolentur atque sustentent, nihil habent. Quòd si Principes ac potentiores, qui in maxima rerum omnium copia vitam agunt, nullas acerbitates experirentur, esset profectò desperatissima miserorum hominum conditio, qui labore quotidiano, maximisq; vigilijs & ærumnis, vxorem, liberos atq; familiam alunt, & magistratui tributum pendunt, sed longè secus quàm vulgò putatur, res habet. nam si recensere velim, quàm multos nouerim principes viros atq; fœminas, annis abhinc triginta, qui in summis angoribus atq; tristitia vixerunt, non mediocrem sim conscripturus librum. Atque hi tamen, quum rebus omnibus affluerent, ijs, qui non nouerant familiariùs, videbantur esse omnium hominum beatissimi. Neque dici potest, quàm tenues ac infirmas plerumq; sui mœroris causas haberent. Magna enim ex parte nitebantur suspicionibus & calumnijs. Atq; hic est morbus occultus, qui in familijs principum regnat, & plurimis incom-

commodis materiam ſubminiſtrat, in Gallia quidem adeò frequens, vt à Carolo magno vix pauci Galliæ Reges annum ætatis ſexageſimum exceſſerint, collecta ſæpe ægritudine ex ſuſpicionibus & ijs quæ clanculum ac falsò eſſent delata. Ludouicus vndecimus, paulò antè, quàm decederet, cùm ſuſpicionibus niniiũ indulgeret, nulli prorſus homini fidebat, & omnes inſidiari ſibi putabat. Eius pater cùm decumberet ægrotus, perſuaſum habebat, paratum ſibi eſſe venenum, ideoq; ab omni cibo abſtinuit. Caroli ſexti eò fuit deterior conditio, quòd deliraret ac mente cãptus eſſet, dum ijs quæ deferebantur, priùs quàm oportebat, crederet. Prudenter ergo facturi ſint principes, cùm aliquid ad ipſos occultè defertur, ſi delatorem ſiſtant, & fidem ſibi fieri iubeant eius quod ſit delatum. Hac enim ratione multò viuent tranquilliùs, quando nullus eò ſit progreſſus amentiæ, vt quod probare non poſſit, de eo ſit alicui facturus calumniam. Sed ſunt ex ipſis nonnulli adeò ſtolidi & ignaui, vt etiam iureiurando promittant, ſe nihil enunciaturos, atque interim anguntur in animis, & ab impuris ſæpè hominibus perſuaſi, incipiunt illos odiſſe, quos pro ipſorum virtute ac merito debebant amore ac beneuolentia ſumma complecti. Mortuo Regis filio, pau-

lò pòst fuit allatum, quos Monpensérius præsidio reliquerat in arce Neapolitana, eos deditionem feciſſe, vt obsides redderentur, de quibus anteà dictum est. Aliud etiã accidit, quod ad Regis infamiam atq; dedecus pertinebat. Cùm in Italiam veniſſet, Florentini non solùm maximam pecuniæ vim ei donauerant, verumetiam in ipsius fidẽm permiserant Pisas, Sarezanam, Sarezanellam, Petramsanctam & Libramfactam, vt suprà diximus, atq; ille duplici iureiurando promiserat, se redditurum omnia. Primò, cum Neapolim iret, ac deinde confecto bello, cùm domum rediret, Astæ, quo etiam tempore mutuo ei dabant triginta aureorũ millia, ea lege, quòd si Pisas redderet, vt eius debiti nihil persolueret, atq; ipsi quæ accepiſſent ab eo pignora, restituerent. Tunc & illud pactum fuit, vt sexaginta aureorum millia Regi mutuo darent, eamq; pecuniam distribuerent in nostras copias, per regnum Neapolitanum, ad eiusq; defensionem, trecentos equites cataphractos nobis alerent. Sed is de quo suprà dictum est, Entragius, homo auarus & infidus, quem iis locis Rex præfecerat, Pisanis reddidit arcem, accepta pecunia, Sarezanam oppidum & arcem ibi positam vendidit Genuensibus, Petramsanctam Lucensibus, & Libramfactam Venetis, qua quidem in re

summè

ſummè peccauit, & Gallico nomini inſignem maculam inuſſit, propter interpoſitum iuſiurandum, & hoc effecit, vt regnum Neapolitanum à nobis totum deficeret. Florentini enim, cognita ea perfidia, nihil eorum de quibus conuenerat, præſtiterunt, & quam mutuo dederant pecuniam, eam à nobis repetebant. Harum rerum omnium cauſa fuit, quòd Rex nihil ipſe præciperet, & ſuſurrationibus illis occultis nimium tribueret. Nam ex ipſius familiaribus nonnulli, fuerant authores Entragio, vt ad eum modum ageret. Monpenſerius ergo & Virgilius Vrſinus, & Camillus Vitellius, & alij noſtri duces, re deſperata, collectis quas habebant paſſim copijs, oppidula quædã occupabant: ſed ijs occurrit cum exercitu Rex Ferdinandus & Marchio Mantuæ, quem Veneti nuper eò miſerant. Nam ipſi ea pecunia, quã Ferdinando mutuauerant, & ſumptu belli æſtimato vſq; ad ccl aureorum millia, ſex Apuliæ oppida tenebant oppignorata, in quibus ſunt Brunduſium, Gallipolis, Hidruntũ & Monopolis. Ei ſummæ volunt etiam adijci, quicquid ea oppida ſeruandi ac defendendi cauſa impendunt, neq; ipſorũ propoſiti eſſe puto, vt vnquã reddãt. Nec enim ſolent, cùm aliquid ſemel occuparint, quod ipſorũ finibus cõmodũ ſit & opportunũ, vt ſunt ea loca quæ diximus,

posita in illa ora maris Adriatici. Habet quidem Pontifex Romanus aliquot oppida interiecta, sed quicumq; mare illud nauigant, hi Venetis sunt vectigales. Neque omnes intelligunt quanti sit momenti, quòd eam oram maritimam suæ ditioni coniunxerint. Nam præter alias commoditates redit ad eos quotannis maxima copia frumenti & olei. Ii quos diximus, Ferdinandus & Marchio Mantuæ, cùm nostros haberent in conspectu, cœperunt communire castra, veriti ne prælio dimicandum esset, quod hactenus infœliciter ipsis accidit. Sed inter nostros orta fuit simultas, propter inopiam commeatus & pecuniarũ. Nam & equitatui, & Heluetijs & Germanis, multis iam mensibus nihil erat depensum, atq; hi direptis aliquot oppidulis, se sustentauerant. Quòd si quadraginta illa aureorum millia, quę Rex promiserat, maturè fuissent perlata, nihil accidisset incommodi, & prælio nostri decertassent: quod etiam si fecissent aduersum, non tamen adeò multos è suis desideràssent, quàm posteà, quando tam ignominiosas conditiones acceperunt. Monpenserius quidem & Virgilius Vrsinus omninò suadebant pugnam, sed alij quidã eis renunciabant, cùm signa ferri iussissent, non se fore dicto audientes. Erant in castris Germani circiter octingenti, qui nuper eò ve-

eò venerant. Hi cùm periculum suum viderẽt, non præstiterunt nobis eam fidem atq; amorem, quem Heluetij, & ad Ferdinandum defecerunt. & quoniam belli duces inter se diffidebant, vt dictum est, turpiter cum hoste pactum fuit, his conditionibus: vt potestati Ferdinandi sese permitterent, vt tormenta omnia darent, & quicquid occupassent, restituerent. Ille vicissim promittebat se curaturum, vt mari transportarentur in Taurinos, rebus omnibus saluis. Eo facto iussit omnes Neapolim deduci. An vlli vnquam homines turpiùs pacti sint, ignoro, neq; simile exemplum legisse me puto, nisi quod Liuius recitat de consulibus Romanis, qui prope Furcas Caudinas, adeò viles ac indignas pacis leges receperant, vt senatus eas repudiaret, & ambos, qui pacti fuerant consules, ad hostem remitterent. Neapoli fuerunt impositi nauibus nostri milites, & in vicinam insulam deportati, vbi cùm diutiùs hærerent, morbis affecti, magno numero moriebantur, & in his Monpenserius, quem alij veneno, alij febre extinctum esse dicebant, quod & ego puto. Breuiter ex omni eo numero qui erant aliquot millia, vix mille & quingenti superfuerunt, & Heluetij circiter trecenti & quinquaginta, quorũ sanè laudanda est virtus atq; constantia, quòd extrema omnia pati, quàm à no-

bis ad Ferdinandum deficere maluerunt, qui longo tempore eos in Insula detinuit in maxima cibariorum inopia. Qui ex his in Galliam redibant, eos vidi cùm appellerent. Erant omnes afflicta valetudine, & ex macie corporis atq; deformitate, quam essent multa perpessi facilè potuit cognosci, & è nauibus egressi, non poterant firmiter insistere. Virgilio Vrsino & ipsius filio, reliquisq; Italis, qui Regi militauerant, licebat ex pacto redire domũ. Non multò post eam pacificationem, Ferdinandus, qui nuper vxorẽ duxerat, amitam suã, circiter quatuordecim annorum puellam, febri diuexatus, è vita discessit. Horrescit animus, dum cogito: nec ipse tantùm, sed & ipsius aliquot maiores, multa contraxerunt eius generis matrimonia. Ab eius morte, summa rerum delata fuit ad patruũ Fridericum. Videre hîc licet magnam rerum humanarum incertitudinem ac mobilitatem fortunæ, Biennio enim quinq; fuerunt Reges Neapolis, Ferdinandus, Alphonsus, Ferdinandus, Carolus Galliæ Rex, & Fridericus. Quòd nostri milites diutiùs quàm pactum erat, detinebantur, atq; etiam duriùs habebãtur, Ferdinandus & post eum Fridericus excusabãt, eoq; fieri dicebant, quòd Monpenserius non iusserat ipsis omnia restitui. Caietam enim & alia quædam nostri adhuc tenebant: verùm ille

culpa

culpa vacabat. nam etsi Regis erat legatus, tamen ipsius nō erat ijs, quorum fidei Rex commiserat arces & oppida, in eo præscribere aut imperare. quamquam si & ipsi deditionem fecissent nullo magno incommodo Rex fuisset affectus. Nam missi fuerūt aliquoties è Gallia, qui subsidio ipsis venirent, & commeatum importarēt Caietam, eiusq; rei sumptus fuit æstimatus ad centum & quinquaginta aureorum millia, neq; tamen quicquam eo profecimus. Rex diu commoratus Lugduni, & totus occupatus ludis atq; spectaculis, vt anteà dictū est, optabat quidem retinere Caietam, & quod reliquum adhuc erat, in sua potestate, nec vlli in ea re sumptui parcebat, sed erat fugiens laboris, neq; studebat ipse de suis rebus aliquid cognoscere aut prouidere. Pleriq; enim per Italiam cœperunt cum eo sua communicare cōsilia, & conditiones proponebant, Galliæ futuras non inutiles, quæ cùm sit locuples atq; copiosa, sumptus facilè tolerare potest, quod in Italia fieri necesse est. Sic enim fuerunt Italorum rationes, vt qui ipsorum opera velit vti, hunc oporteat largitionibus aditum sibi facere, & liberaliter dependere militum præfectis atq; ducibus, quorū authoritas & gratia statim minuitur, si nihil habeant quod in alios distribuant. Biennio pòst, quàm Rex domum redijt,

cùm noſtra eſſet adhuc Caieta, & Mediolani Dux, eorum quæ pactus erat, nihil ſeruaret: quod nõ tam fraude atq; malitia, quàm timore faciebat, veritus ne rebus per Italiam ſecundis, profligaretur à Rege, quem ſibi minimè fidelem fore putabat: conſtitutum fuit vt Dux Aureliorum magnis cum copijs Aſtam proficiſceretur. De Ferrariæ Ducis amicitia certò nobis conſtabat, qui tametſi Mediolani Ducis erat ſocer, tamẽ vt ſuis fortunis conſuleret, paratus erat ſubminiſtrare nobis equites quingentos, & duo millia peditum. Venetos enim habebat graues aduerſarios, ab ijsq; ſpoliatus erat quadam agri ſui parte: & quamquam ſui generi Mediolani Ducis amicitiam, ſibi ſuisq; liberis atq; populo iudicabat eſſe magis opportunam: tamẽ verebatur etiam, vt exiſtimo, ne ille temporum ac fortunæ iniquitate coactus, cũ Rege paciſceretur. Marchio Mantuæ, qui alteram Ferrariæ Ducis filiã in matrimonio habebat, cùm & de ipſo Veneti neſcio quid ſuſpicarentur, & ipſe de illis inuicẽ quereretur, erat tunc temporis cum ſuo ſocero, comitatus trecentis equitibus cataphractis, atq; is facilè ei perſuaſiſſet, & ad noſtras traduxiſſet partes. Ioannes Bentiuola, qui Bononiæ rerũ ſummã adminiſtrabat, auxilio nobis erat miſſurus ad centũ & quinquaginta equites, ac duo illius fi-

lij

lij tum equitũ tum peditũ aliquot cohortes adduxissent, & fuisset ager ille omnis valde opportunus ad perturbandam Insubriã. Florentini, ne Pisas & alia quædã oppida, de quibus dictũ est, prorsus amitterent, parati erãt suo sumptu nobis alere equites circiter octingentos & peditũ millia quinq;, deq; re pecuniaria prouiderant in sextũ vsq; mensem. Vrsini & Romæ præfectus, frater Cardinalis Ostiensis, quoniã à Rege stipendiũ habebãt annuũ, conduxissent ad mille equites cataphractos, quorum non est eadẽ apud illos ratio, quæ in Gallijs. nam ibi, singulis in annum datur stipendiũ aureorum centũ: apud nos aũt ea summa duplicatur, propter equites sagittarios, qui singulis cataphractis attribuuntur. Iis, quos iam diximus, dependenda fuissent stipendia, Florentinis aũt minimè. Ferrarienſis & Mantuanus & Bentiuola, nihil magnoperè à nobis exigebãt, propterea quòd per Insubriã magna sibi pollicebantur emolumenta. His viribus impetu in illũ facto, credibile est, fœliciter rem administrari potuisse, eoq; confecto bello, Neapolitanũ regnum facili momẽto in nostrã fuisset redactum potestatẽ. Erant iam Asta missi à Rege, circiter octingenti equites cataphracti nostrates, & peditũ ad sex millia, atq; in his Heluetij quadringenti. Sed Dux Aureliorũ, quem toti bello im-

perioq; Rex præfecerat, quiq; impedimenta sua omnēq; familiam & comitatū premiserat, mutata voluntate Regem orabat, vt ad conciliū denuò referret, an eam profectionem sibi suscipiendā esse putarent. Re semel atq; iterū deliberata, cui concilio & ipse intererā, omniū fuit ea sententia, vt dicerent, omninò ei proficiscendū esse, propterea quòd multi per Italiā principes ac amici nostri, quibus iam esset persuasum, magnos in eius belli apparatum sumptus feciſſent, & omnibus rebus essent instructi, ac ipsius modò aduentum expectarent. Ille verò, quòd Regē tenuiori valetudine videret, cui si quid accideret humani, ipse esset futurus successor: tum sua sponte, tū admonitus & impulsus à quibusdā, respondit, non se profecturū eò, sui priuati doloris vlciscendi aut iuris repetendi causa, verùm vt pro legato Regis eò contendat, non recusare. Postridie eius diei, cùm hæc essent acta, Florentini & alij quidā legati valdè Regē sollicitabant vt illum dimitteret. Rex ad ea respondit, nolle se inuitum ad gerendum bellū extrudere. Ad hunc modū intermissa fuit ea expeditio, quod ipsum Rex valdè grauiter tulit, qui & sumptus maximos in eam rē fecerat, & in summam spem venerat vlciscēdi iniuriam à Mediolani Duce acceptā. Nam & Iacobus Triuultius, & Aureliorū Dux, procreatus

tus è familia Mediolanensi, fauore atq; gratia plurimùm ijs locis perfeciſſent. In hoc etiam tempore alia res noua fuit oblata. Genuenſes mobilitate quadam animi ferè ſtudent rebus nouis. In ea Repub. ſunt aliquot familiæ præſtantes. ex ijs Aurij & Spinulæ ſunt genere nobiles: Campofulgoſi verò & Adurni plebeij. Solet autem ea ciuitas adminiſtrari à Duce, quem ſibi deligit & conſtituit. Is eſt magiſtratus plebeius, neq; nobilibus communicatur, etſi creandi Ducis poteſtatem iſti habent. Eum magiſtratũ geſſerat ſuperioribus aliquot annis Baptiſta Campofulgoſus, in ijsq; factionibus multum poterat, & magnas habebat cliẽtelas, verùm deceptus à ſuo patruo Cardinali Genuenſi, qui Remp. prodidit Mediolani Duci, proſcriptus fuit. Is igitur in ſpem venerat perſuadendi ſuis, vt arma caperent: quod ſi fieret, non dubitabat, quin inimicis exturbatis, rerum ſumma deferretur ad Regem, cuius ipſe eſſet ibi futurus legatus. Eſt etiam ijs locis oppidum & portus valdè opportunus, Sauona. Hi cùm eſſent in poteſtate Genuenſium, & ſeruitutis conditionem odiſſent, ac libertatem recuperare ſe poſſe ſperarent, nunciabant Cardinali Oſtienſi, qui noſtrarum erat partiũ, tenere ſe firmam ac certã rationem, vt oppido ipſum recipiant: quod ſi accidiſſet,

Genuenſes in magnis erãt futuri anguſtijs, ob prouinciæ noſtræ vicinitatẽ. His de rebus vbi Rex cognouit, nunciabat Iacobo Triuultio, quem cũ ſuis copijs Aſtã præmiſerat, vt Baptiſtę Campofulgoſo ſubminiſtraret aliquot militũ cohortes, qui ipſum Genuã vſq; comitarẽtur, excitandi cauſa clientes illius atq; familiares. itẽ, vt ei, quẽ diximus, Cardinali præberet quoq; militẽ, qui Sauonã vſq; deducerẽt, ac ſimul mandabat, ne quid contra Mediolanũ Ducẽ experiretur, neq; pacẽ cum eo factam violaret, quod à ſuperiorib. illis mandatis planè erat diuerſum: ſed ita ſolẽt res adminiſtrari, cũ principes nullã ipſi curã ſuſcipiunt, & inconſideratè literas conſcribi iubent, & legationes decernũt priùs, quã de cauſa plenè cognouerint. Quod Campofulgoſus & Cardinalis Oſtiẽſis moliebantur, fruſtrà fuit. nã vt propiùs ad Genuã accederet, opus erat maximis copijs, propter eius vrbis magnitudinẽ atq; frequentiã. Nã & Mediolani Dux, & Veneri, quũ defectionẽ valdè metuerent, auxilia illis ſummiſerant. Eadẽ erat cõditio Sauonæ, nam & ibi milites præſidio ille collocauerat. Triuultius autẽ maluiſſet his rebus omiſſis, bellum inferri Mediolani Duci, neq; dubito, ſi cõceſſum ei fuiſſet à Rege, quin magni aliquid perfeciſſet: & iam aliquod eius rei fecerat initiũ. nam ingreſſus iter cum ſuis copijs,

copijs,eam viam,qua ab Alexandria Genuã venitur,incedit,vt Mediolani Ducem,si fortè nostris Genuã proficiscentibus vim facere vellet, cohiberet,oppidula etiam quædã eius agri cepit. Nã etsi Genuã atq; Sauonã Rex tentabat: tamen idcircò nolebat videri bellũ facere Mediolani Duci,& vtrumq; populũ suę ditionis esse dicebat.Cardinalis vbi Sauonam venit,re desperata propter impositũ præsidium,discessit. Eadẽ erat fortuna Campofulgosi,atq; is quidẽ in magno futurus erat periculo, si propius Genuam venisset. His igitur de causis consistebat omnis belli administratio, & dimissus fuit peditatus, & relicta quæ Triuultius occupauerat, oppidula,nõ absq; dispendio Regis,qui magnã pecuniæ vim in eam rem profuderat. Atq; hęc ferè gerebantur biennio pòst, quàm domũ ille reuertisset, quo toto tempore cum ipso fui, & partẽ aliquam negociorũ procurabam. Lugduno profectus Molinũ Borboniæ oppidũ, in Turones inde contendit, ludis & delicijs atq; spectaculis intentus, pro sua cõsuetudine, neq; de re vlla graui sollicitus. Inter eius autẽ familiares maximæ erant simultates.Maclodiensis enim & Stephanus Verius, vt authoritatẽ retinerent,bellũ Italicum suadebant. Ammirallius autẽ, qui summo loco fuerat apud Regẽ ante eius profectionẽ in Italiam,magna contentio-

ne resistebat eorum cõsilijs, recuperandæ causa dignitatis: atq; is fuit rerum status per sesquiannum ferè. Interim Rex crebrò mittebat legatos ad Hispaniarum Regem, qui nos oppugnabat, mari præsertim, & magna summiserat auxilia Neapolitanis regibus, è Sicilia, quæ minimo interuallo & arctissimo freto diuiditur à Calabria, cuius ad exitum est Rhegium oppidum, & sunt qui putent olim fuisse continentem. Et quoniam mari plurimùm ille poterat, missis ad oram Neapolitanam nauibus, tam ex Hispanijs, quàm à Sicilia: fiebat, vt Rex ipsorum classi minimè posset resistere: quò magis cupiebat illo vti pacato. Terra non admodùm nobis incommodabant, nisi quòd equites, magno numero, paucorũ dierum excursiones fecerunt in proximos fines Galliæ Narbonensis, cui finitimus est ager Ruscinonensis, in quo ciuitas est primi nominis Parpignianũ, & oppidulum quoddã, Salsum vocant. Ex eo impetum illi in nos faciebant, eoq; sese, cùm à nostris premerentur, recipiebant. Erat autem Narbonensis Galliæ præfectus, Borboniæ Dux: eius legatus, nobilis quidã Andræanus, cœpit rationem inire capiendi eius oppiduli, & cùm fortuna confiiiũ hominis probaret, vi expugnauit, interfectis circiter quadringentis militibus, & ex nobilitate, magni nominis

minis ad quadraginta, & filio Archiepiscopi Compostellæ. Præter expectationē enim hoc illis accidit, & quantos facerēt impetus nostra tormenta, nondū perspexerant. Hæc fuit belli summa, quod cum ipsis gessimus, qua in re tātò plus erat dedecoris, quòd illi positis castris ad miliare vnum ab oppido cōsederant, & nostros multitudine longè superabant. Non erat certè nulla, quam nobis fecerant, iniuria. & quum Ludouico vndecimo Ruscinonensem agrum oppignorassent pro trecentis aureorū millibus: Rex, qui patri successit, & eam pecuniæ summam eis donauit, & regionem illam omnem restituit, & antiquas cōsœderationes Galliæ Hispanięq; regum, quæ sunt arctissimę, & plenæ officij, cum ipsis renouauit. actum illi tanto affecti beneficio promittebant, nec impedimentum vllum se illaturos ei bello, quòd Rex constituisset, neq; filias suas in Neapolim, aut Angliam aut Flandriam nuptum collocaturos. & hoc quidem postremum vltrò deferebant non sollicitati à nobis, vsi in his rebus opera cuiusdam monachi Franciscani. Sed simulatq; bellum Rex in Italia mouere cœpit, nuncios & literas in omnes partes dimittebāt, inprimis autē Venetias, fœderis cōtra Regem faciendi causa, de quo multam mentionem fecimus, eoq; decreto fœdere, confestim nobis

bellum fecerunt, illata causa, quòd de suis liberis collocandis pacti fuissent, id nulla ratione aut æquitate subsistere. Sed vt ad propositum reuertar, cùm per Italiam nihil iam ageretur ampliùs, & Rex præter Caietam nihil in regno Neapolitano teneret, atq; etiam in ora illa Ruscinonensi nullus esset motus: illi quendam genere nobilem, & cum eo monachos aliquot miserunt legatos ad Regem. nam id genus hominibus vti consueuerũt in eiusmodi rebus: quod facere ipsos opinor & calliditate quadã, & parsimoniæ causa. Nam Franciscanus ille Regi author fuerat, vt eum quem diximus agrum, ipsis liberalissimè redderet. Hi de quibus diximus legati, primùm excusabant se de superioris temporis consilio, ac Regem orabant vt eius quam accepisset, iniuriæ memoriam deponeret. Ad hunc modum deprecati, cœperunt agere de induciis, in iisq; socios omnes ac confœderatos comprehendebant, & Regi Caietam, ac quicquid reliquum erat iis locis, & vt per inducias commeatum inferret, permittebant. Hoc etiam petebant, vt indiceretur dies, quem ad diem socij fœderis mitterent legatos, constituendę pacis causa, qua impetrata, velle ipsos intermissum bellum persequi & traiecto mari, quod Hispanias ab Africa diuidit, in Mauritaniam proficiscí dicebant.

Superi-

Superioribus enim annis expugnauerant Granatam, eiusq; regni summam occupauerant: qua certè victoria, non fuit vlla nostris temporibus illustrior, ac ipsorum maiores frustrà sæpe illam desiderarunt. Quò magis vellem, ipsorum quidē causa, vt eiusmodi tantùm bellis occupati, firmam pacem nobiscum coluissent. Rex iis auditis postulatis, remisit cum legatis in Hispanias Clerium Delphinatem, nobili genere natum, & pacem cum illis facere cupiebat aut inducias, non comprehensis eorum sociis. Quòd si conditiones ab eis propositas tunc accepisset, Caietam seruasset: qua sola defensa, potuisset totum deinde regnum, ope amicorum quos iis locis habebat recuperare. Sed antequam in Hispaniam ille venit, amissa fuit Caieta, & reuersus illinc nouas rationes atq; mandata secum attulit. Petebat Hispaniæ Rex, vt vetus amicitia atq; fœdus inter nos redintegraretur, vt cōiunctis deinde viribus, Italia subigeretur, & vt ei bello vterq; interesset, sed inducias primùm fieri volebat, quę suis confœderatis essent communes, & in Taurinis diem constitui, quò sociorum omnium legati venirent. Cogitabat enim ab eo fœdore honesta aliqua ratione discedere, vt ipse quidem præ se ferebat: sed mea fert opinio, nec nihil posteà dē eo cognoui, ipsius fuisse consi-

lij, vt tempus extraheret, ac Friderico Regi Neapolitano spacium daret recipiendi se & colligendi è superioribus bellis: tametsi rerum summam & eius regni imperium ad se transferre maluisset, in quo plus haberet iuris, quàm possessores ipsi. Andegauensium quidem familia suum ius omnium potissimum esse contendit: sed is est illius regni situs, & eorum qui incolunt, ea natura, vt mihi videatur eius esse, qui occupare illud atque tueri possit, nouis enim imperijs valdè studeant. Is quem dixi, Clerius, in Hispaniam fuit remissus à Rege, & familię Arragonicę nonnihil fauebat, inq; spem venerat consequendi agrum Crotonienſem, quem Hispaniæ Rex bello nuper in Calabria acquisierat. Reuersus ab ea legatione, quendam Hispaniæ Regis legatum adduxit, & in concilio, quid actum esset, & quid impetrasset, exposuit: Hispaniæ Regẽ, qui ius & actionem habere se dicat in regno Neapolitano, fore cõtentum Calabria, quæ Siciliæ sit finitima: reliquam verò eius regni partem regi concedere, ipsum q; velle interesse ei bello, & sumptus in ea re facturum, quantos Rex faceret. Aderam cùm ista referret, ac complures dolum subesse iudicabant, ideoq; placuit, vt aliquis maiori præditus ingenio ac rerum vsu, mitteretur. Is fuit Bocagius, vir magni consilij, quo multum

fuerat

fuerat vsus Ludouicus vndecimus. Qui cum Clerio venerat ex Hispanijs legatus, non confirmabat quod ille dixerat, sed vrbanè excusans, existimare se dicebat, illum nisi in mandatis haberet, non esse dicturum. quo quidem sermone magis augebat omnibus suspicionem. nulli enim persuaderi potuit, Hispaniæ Regem, aut ipsum velle interesse ei bello, aut pares cum Rege sumptus facturum esse. Iam enim quinq; circiter oppida Calabriæ tenebat, & in his Crotonem, primi nominis. Vbi Bocagius & Clerius in Hispaniam venerunt, tributum fuit eis hospitium, in loco, vbi nemo haberet ad ipsos aditū, & ne quis cum eis colloqueretur, obseruatum fuit. Rex autem atq; Regina ter cum illis in collocutionem venerunt, & cùm Bocagius recitaret, quid ille, nuper ab ipsis in Galliam reuersus, commemorasset, respondebant, non quòd ita constituissent, sed quòd aliquid eius generis fieri possit, locutos esse cum eo familiariùs: hoc etiam addidisse, non se recusare molestiam atq; laborem componendi belli, quod nobis cum Neapolitanis intercedat, & sperare pacem se posse facere, cùm vtilem Regi, tum honestā. Responsum hoc Clerius grauiter tulit, & contendebat illos ad eum modū, vt ipse in Gallijs recitasset, dixisse. Bocagij tandē opera & diligentia, facta

fuerunt in menſes duos iudiciæ, in quibus ipſorum, nō quidem ſocij fœderis, ſed generi & generorum parentes comprehendebātur. Hi erant Maximilianus Cæſar, & Henricus ſeptimus, Angliæ Rex. Vbi domum reuerſus Bocagius, de ſua legatione retuliſſet ad concilium, ſenſit Rex, prudenter à ſe miſſum fuiſſe illum, dubitatione iā omnī ſublata. Bocagius & illud addebat, præter inducias nihil ſe potuiſſe impetrare, & in Regis arbitrio eſſe, vel admittere illas, vel repudiare. Ad concilium re introducta, Rex confirmauit pactum, ac prudenter quidem. Cum enim ſepè fruſtrà tentaſſet confœderationem illam diſſoluere, iam illud his induciis conſequebatur. Venturos quoq; poſt ſe legatos ex Hiſpaniis dicebat, & diſcedenti ſibi Regem confirmaſſe, poteſtatem illos eſſe habituros omnino paciſcendi: cùm etiam diſcederet, Hiſpaniæ Regis filium vnicum grauiter ægrotaſſe. Duodecimo ferè die pòſt, allatæ ſunt literæ ad Bocagium, eius caduceatoris, quem in Hiſpaniis reliquerat, deducendi cauſa legatos, qui illinc in Galliam venturi erant, vt anteà diximus: iis literis nunciabatur, quòd legati, de quibus conſtitutum ſit, diutiùs morentur, factum eſſe morte Caſtiliæ principis, filij Regis: quem caſum adeò grauiter ac immoderatè ferant eius parentes, vt metuendum ſit, ne re-

ne regina dolore expugnata, vitam finiat. Fuit certè longè vehementissima omnium eius regni tristitia. Nam vt à legatis posteà cognoui cessatum fuit publicè & priuatim ab omni labore totos quadraginta dies, & lugubrem vestem ferebant omnis generis homines, nec id modò, verumetiam nobiles, & qui erant re lauta, mulas, quibus veherentur, atris vestibus integebant, & omnium vrbium ac oppidorum portis fuerunt super imposita nigri coloris vexilla. Margarita, Maximiliani Cæsaris filia, in sextum iam mensem grauida, postquàm de marito cognouit, incredibili afflicta mœrore peperit ante diem, & infantem edidit mortuum. Quàm erant hæc acerba huic familiæ, tam celebri, tam honoratæ tamque potenti, quæ multitudine prouinciarum & amplissimis finibus longè superabat alios, quæ Granatam & agrum illum omnem suæ nuper ditioni coniunxerat, quæ Regem vt ab Italia cum exercitu discederet, coëgit, & ipsius euertit institutum? Decreuerat Pontifex Romanus attribuere illis nomen, vt Christianissimi dicerentur, & in suis ipse literis atq; sermone sic eos vocabat: sed cùm ex Cardinalibus quidam resisterent, neq; Galliam vellent appellatione illa priuari, Catholicos nominari iussit. Breuiter, videbantur esse omnium regum beatissimi:

sed præter eam acerbitatem aliud etiam accidit eiusdem ferè generis. Ipsorum filia natu maxima, habebat in matrimonio Lusitaniæ Regis filium. Is tertio mense post nuptias collapsus cum equo, in aspectu vxoris, ceruicem sibi perfregit, eoq; casu fuit exanimatus. Non multò pòst, parentes, ne quem omninò per Lusitaniam haberent inimicum, ei qui nunc rerum potitur, Emanueli, eandem filiam nuptum collocabant. Hispani autem omnes natura valde oderunt Lusitanos & contemnunt etiam. Itaque quòd illi, qui non esset futurus acceptus multitudini, suam filiam in matrimonium dedissent, vehementer ipsos pœnituit. Et quanquam eo dolore valde afficiebantur: tamen per primas regni ciuitates circumduxerunt ambos, & fidem ac iusiurandum eis præstari ab omnibus iubebant, & vt ad ipsos ordine ac successione deferretur summa imperij, cauebant. Filia paulò pòst cœpit gestare vterum, eoq; nuncio fuerunt nonnihil recreati parentes, sed ne tantulum quidem gaudium fuit eis diuturnum. nam puerum quidem edidit eiusdem cum patre nominis, verùm ipsa dolore partus extincta periit. Sed nunc ad nostra reuertor. Amboræ Rex erat, quod est ad Ligerim flumẽ, eratq; eius propositi, oppidum & arcẽ pulcherrimis ædificijs ornare, & Neapoli

poli secum adduxerat pictores, sculptores, & id genus alios artifices valde præstantes, & quicquid vspiã erat elegans atq; venustũ, id omne magno studio comparabat. Nã quòd adolescẽs erat, lõgã ętatẽ sibi pollicebatur, & de reditu in Italiã cogitabat, & erratũ à se bello superiori fatebatur ipse, & quid peccasset, familiariter cõmemorabat, & si quãdo amissum regnũ recúperaret, multò se prudẽtiùs administraturũ omnia dicebat, & equites cataphractos, ad mille & quingentos per Italiam deligere, eisq; præficere Marchionem Mantuæ, & Vrsinos, & Vitellios, & Romæ præfectum cõstituerat. Eius sumptus dimidiam partem erant depensuri Florentini, in sex menses, atque his copijs decreuit inuadere Neapolim. Alexander Pontifex iratus Venetis, pacem & amicitiam eius valde sollicitabat, & occultè quendam misit, qui Regem per me adibat. Sed & Veneti non detrectabant coniurare nobiscum aduersus Mediolani Ducem, vt de Hispanijs suprà dictum est. Maximilianus quoque Cæsar magnoperè cupiebat esse illi quàm amicissimus, & coniunctis viribus optabat nobiscum Italiæ bellum facere, odio Venetorum, qui & Austriacæ familiæ & imperij quoq; Romani possessiones nonnullas occupauerãt. Habebat in animo Rex emendare iurisdictionẽ, & ordinẽ

Ecclesiasticum, & remittere plurimùm de tributis, neq; ampliùs quàm proceres regni decreuissent, extra ordinem imperare, cuius pecuniæ summa erant circiter sexcenta aureorum millia quotannis, eamq; pecuniam destinauerat commodis ac necessitatibus Reipublicæ: ipse autem consueto Franciæ Regũ patrimonio, quod est ad aureorum millia quingenta, futurus erat contentus, qua sanè re populum valde recreasset, qui nunc admodum grauatur, & supra duodecies centena aureorum millia dependit. Monachorum etiam ordines aliquot ad seueriorem disciplinam adducere cogitabat, & ex ipsis, qui vitæ sanctimonia præstare videbantur, sibi habebat familiares. De Episcopis ita sentiebat, oportere ipsos vno esse cõtentos sacerdotio, & suis præesse Ecclesijs: Cardinalibus autem putabat aliquantò plus indulgeri posse. Præclara quidem voluntas illius atque studium: sed perficiendi summa erat futura difficultas. In homines egenos valde erat munificus & liberalis, & certis diebus cognoscebat de querimonijs atq; causis omnium, qui quaq; de re aliquid ad ipsum deferrent, quod pauperum & miserorum hominum causa inprimis faciebat. Et licet non multa conficeret, tamen eò pertinebat institutum hoc, vt præfecti in officio atq; metu continerentur.

rentur. Sed ecce, cùm esset Amboſæ, & eos, qui pila exercebantur in arce, ſpectaret vnà cum vxore, variis de rebus ſermonem instituit, ac inter alia dicebat, ſperare, nihil se facturum esse deinceps, quo Deum offendat. Iis pronunciatis verbis è vestigio concidit, amissa loquendi facultate, & quo in loco fuit collapsus, permãsit, donec è vita migrasset. Recollegit se bis térue, & ſuſpirans implorabat auxilium diuinum, & virginis Mariæ & diui Claudij atque Blaſij, cumque ad eum modum decubuisset per horas nouem, decessit. Quidquid est eius rei, commemorauit mihi Andegauorum Epiſcopus, quo ille vtebatur ſacrifico, paucis enim antè diebus domum profectus eram. Atque hic quidem est exitus potentiſſimi Regis, qui cùm tam multa tamque ſplendida haberet ædificia, mortuus est in loco totius arcis viliſſimo. Nam vrinæ faciendæ cauſa omnes eò cõfluebant, quo magis videre licet miſeriam noſtræ vitæ, quam tantis defatigati laboribus & ærumnis cogimur deponere, quocunque temporis puncto Deus præceperit. Suprà dixi de Hieronymo, qui Florentinis inter alia multa pronunciauerat etiã de Regis aduentu, quem excitatum esse dicebat à Deo, vt per vim & arma ſtatum Eccleſiæ emendaret, ac ſimul Italiæ tyrannos mulctaret, & quoniam diuinitus ea

sibi demonstrata esse dicebat, in plurimorum incurrit reprehensionem. Pontifex etiam Romanus & Florentiæ complures, cœperunt eũ grauiter odisse. Moribus erat inculpatis, quãtum quidem perspici poterat, & docendo multos ad sanitatem vitæque emendationem perduxit. Fore etiam dixerat, vt Rex in Italiam reuerteretur, & negociũ sibi commissum à Deo perficeret: nisi faciat, impendere illi grauissimas pœnas. Hæ illius conciones typis excusæ prostant, & Regem etiam scriptis literis de eo commonuit. Sed quo tempore è vita rex decessit, Florentini grauiter inter se dissidebant. Regem alij expectabant, permoti concionibus illius, & ingentes idcircò faciebant sumptus, inque spem venerant recuperandi Pisas & reliqua omnia quæ nostræ fidei permiserant: alij verò magna cõtentione resistebant, & in fœdus reliquorum accedendum esse suadebant: frustrà enim Regis aduentum expectari & subesse dolum, & Hieronymum, qui sit hæreticus & homo sceleratus, in flumen esse præcipitandum. Hæc quidem illi tumultuosè: verùm tanta erat ipsius ad vulgus authoritas, vt nemo quicquam aduersus eum moliretur. Pontifex autem Romanus & Mediolani Dux, crebris literis instabant, & hortabantur Florentinos, vt à Regis amicitia discederent,

& de

& de Hieronymo supplicium sumerent: si facerent, pollicebantur curaturos, vt quæ in aliena essent potestate ipsorum oppida, redderentur. Et ad istud ferè tempus creabatur Florentiæ nouus magistratus, quod bimestri tempore fieri solet. In ijs multi oderant Hieronymum: & submissus fuit, vt multi dicebant, monachus Franciscanus, qui cum illo cœpit rixari, & facto cõuitio, hæreticum vocabat ac impostorẽ, qui cum Deo fingeret sibi esse colloquium. Ea contentio sic exarsit, vt diceret, velle se demonstrare, esse hominem nefarium & hæreticum, nisi faciat non recusare flammas & capitis pœnam atq; hæc omnia coram magistratu dicebãtur. Cùm autem Hieronymus flammam atq; supplicium refugeret, quidam eius familiaris paratum se esse dicebat, ipsius causa periculum subire, & ex Franciscanis inuentus est, qui idem profiteretur. Ad constitutum diem cùm ambo venissent, comitati sui ordinis monachis, Dominicanus præferebat manibus azymum panem consecratum, quod corpus Domini vocant. Franciscani autem & magistratus vrgebant, vt à se deponeret: quod cùm ille pertinaciter recusaret, domum vtrique reuerterunt. Ibi verò populus incitatus ab aduersarijs, facto concursu, & conniuente nouo magistratu, Hieronymũ,

& cum eo duos prætereà comprehendunt, grauissimisque subijciunt tormentis, & ipsius præcipuum amicum magnę virtutis virum, Franciscum Valorum interficiunt. Quod vbi Pontifex resciuit, misso legato, permisit illis, vt de causa cognoscerent. Eo facto, crematus tandē fuit cum sociis. Supplicij causa erat, quòd motū & dissensiones in Repub. excitasse, & quicquid de rebus futuris prænunciasset, à senatoribus, suis amicis, cognouisse dicebatur. Non mihi sumo partes illum aut accusandi aut purgādi, neque iudicare possum, rectè an perperam sit damnatus: hoc vnum tamen affirmare possum, multa illum verè prædixisse, de quibus nemo mortalium potuisset eum admonere. Nam & Regi prædixit, fore, vt extincto filio, ipse quoque non diu superesset, atque has illius ad Regem literas, ipse legi. Periit autem Rex apoplexia, & confestim ab eius morte, omnes Aureliæ Ducem petebant, ad quem, propter generis propinquitatem, regni summa deferebatur. Sumptus funeris æstimatus fuit ad vigintiduo aureorum millia. Mortuus est maximo sanè cum dolore suorum familiarium. erat enim omnium hominum longè benignissimus, neque sermone vllum vnquam offendit, vt mea fert opinio. In me quidem fuit præ cæteris aliquantò durior, sed tri-

tribuebam hoc & illius ætati, & aliorum calumniis. Commoratus per aliquot dies Ambosæ, quem ad locum biduo proximè ab eius morte veneram, contuli me statim ad nouum Regem, Ludouicum, eius nominis duodecimum, cui nemo fuerat anteà, me familiarior. Nam ipsius causa & maximos suscepi labores, & fortunarum quoque periculum subiui. Sed tunc cùm esset ad ipsum delata imperij summa, parum fuit memor officiorum quæ ei præstiteram. Ex Galliæ regibus hic est quartus ad quem ex obliquo & collaterali gradu regni successio peruenit, supputationis initio sumpto, non à Faremundo, sed à Merouæo Rege.

IOANNES SLEIDANVS LECTORI S. D.

QVAE *sunt in his commentarijs obscuriora, paucis explicabimus, & primò quidem de Vicecomitum & Sfortiarum familijs, quæ Ducatum Mediolanensem possederunt. Ante annos circiter mille, hi qui dicuntur Longobardi, mutatis sedibus ex Pannonia transierunt in eam Italiæ partem, quæ nunc est Insubria, & ab ipsis, qui occuparunt, vulgò nomen habet. Hi ducentis ferè pòst annis, quàm eò venerant, deuicti à Carolo Magno, facultates omnes atq; regnum amiserunt, & in Imperij Romani potestatem redacta prouincia, constitutus ibi fuit præfectus, qui vulgò dicebatur Vicecomes, ad eumq; modum administrata fuit, donec Ducatus nomen atq; dignitatem obtinuit, quod fuit Wenceslao Cæsare. Is enim Ioannem Galeacium, Vicecomitem, hominem crudelem, accepta pecunia, Mediolani Ducem instituit, sic tamen vt esset in Imperij Romani fide ac clientela. Huic duo erant filij, Ioannes & Philippus, cognomento Maria. Ioannes, quum suis moribus atq; nequitia voluntates hominum alienasset, interfectus*

fectus fuit à suis familiaribus, & quod nullos habebat liberos, imperij summa peruenit ad Philippum. Is in matrimonium duxit Ioannis Gallia Regis filiam, Bonam, & absque liberis decessit. Eius verò sororem, Valentinam, in matrimonio habuit Ludouicus Aureliorum Dux, Caroli quinti Gallia Regis, filius, quem Ioannes Burgundia Dux, Lutetia, per insidias, noctu, summissis percussoribus, interfecit. Ludouicus treis reliquit filios, Carolum, Philippum, Ioannem. Carolo filius fuit Ludouicus Aureliorum Dux, de quo plurima fit in his libris mentio, postea factus Gallia Rex, eius nominis duodecimus. Philippus Virtutensium Comes, absque liberis è vita decessit. Ioannes Engolismorum Comes filium habuit Carolum, Francisci primi, Gallia Regis, nuper mortui, parentẽ. Ab illa igitur, quam diximus, Valentina, Ludouicus duodecimus, & post eũ, Gallia Reges, Insubriã ad se pertinere cõtendũt. Nũc de Sfortijs dicendũ est. Is quẽ diximus, Phil. Maria, tertius Mediolani Dux, nullã quidẽ legitimã sobolem, sed filiã habuit nothã, eamq; duxit in matrimonium Franc. Sfortia, quem hi commentarij celebrãt: qui cũ esset summa virtutis, et bello multa fecisset praclarè, mortuo socero Mediola-

ni Principatum arripuit, quo tempore bellis ardebat tota Gallia, quam hinc Burgundiones, illinc Angli confœderati diuexabant. Sfortiæ quinq; erant filij, Galeacius, Ioannes, Philippus, Aſcanius, Ludouicus, de quo perpetuam hoc libro mentionem author facit, & quemadmodum ad Principatum peruenerit, dilucidè commemorat. Huic deinde bellum fecit Ludouicus duodecimus, Galliæ Rex, & occupata Inſubria, captiuum in Galliam deduxit. Erant ei duo filij, Maximilianus & Franciſcus. Maximilianum, qui bellis contra Galliam excitatis à Pontifice Iulio, Mediolanum recuperauerat, totis viribus oppugnauit ſucceſſor Ludouici Regis, Franciſcus primus, & caſis ad Morignanum Heluetiis, exercituq; omni profligato, cepit, captumq; in Galliam miſit, vbi & vitam ille finiit, vti pater. Franciſcus autem, ex fratribus alter, variis agitatus procellis, beneficio & opera Caroli quinti, Cæſaris, poſt diuturnum bellum profligatis Gallis, tandem recuperauit agrum paternum, & fuit eius nominis ſecundus Mediolani Dux, ac in matrimonio habuit Cæſaris è ſorore Iſabela neptē. Eo demum mortuo ſine liberis, Cæſar Inſubriam omnem in ſuam poteſtatem redegit, & ſupra duodecim nunc annos eam poſſidet.

Pro-

Proximum est, vt de regno Neapolitano quadam dicamus. Inde à morte Friderici secundi, Cæsaris, perpetua fuerunt super eo regno & grauissima dissidia, inter Arragonicam & Andegauensem familiam. Et reiterato subinde bello, quum postremò Ioanna Regina Neapolis, Alphonso, Arragoniæ Rege, quẽ priùs adoptauerat, repudiato, Ludouicum Andegauensem arrogasset, varia fuit ac incerta victoria: verum extiterunt superiores tandem Arragonij, & Neapolim tenuerunt, quoad eijcerentur à Carolo Rege octauo, sicut author commemorat: sed recuperarunt tandem, vt in his commentarijs videre licet, & ad hoc vsque tempus possident, ac Franciscus Galliæ Rex, bello captus ad Ticinum, inter alias pacis conditiones, liberam eius regni possessionem Carolo Cæsari permisit, & ab omni iure atque actione discessit, ante annos viginti duos.

Guelphorum & Gibellinorum factiones, originem habuerunt Friderico secundo Cæsare, primum in Hetruria, neque multò pòst, omnem Italiam peruaserunt. Guelphi sunt Pontificii, Gibellini autem Imperio Romano sunt addicti. Turcarum Cæsar, de quo loquitur, fuit Baiazethes, huius, qui nunc rerum potitur, Solymanni, auus. Erat ei frater,

Zizimus, natu maior, qui grauiter ferens, ad illum esse delatam imperij summã (quod ope Ianizarorum acciderat) ad AEgypti Regem transiit, ab eoq; impetratis auxiliis, cœpit mouere bellum: sed bis prælio victus, Rhodum profugit. Quod vbi Baiazethes resciuit, missis legatis & amplissimis donis, Rhodiorum ordinis præfectum orabat, vt illum diligenti custodia mandaret: si faceret, annuam pecuniam, ad 40 aureorum millia, simul intermissionem belli aduersum Christianos, pollicebatur. Quò minùs ergo dilaberetur ille, missus tandem fuit in Galliam; pòst dono fuit datus Innocentio octauo, Pontifici, ac Romam deductus, cumq; Neapolim Carolus Rex iret, Alexander sextus, Pontifex Rom. eum ex pacto reddidit, sed veneno priùs infectum, vt plerique dicebant, & paucis pòst diebus, quàm Regi traditus fuit, è vita decessit. De Ianizaris quia mentionem author facit, paucis rem exponemus. Turcarum Cæsaris hunc ferunt esse morem, vt quarto quoque anno, per Græciam & Asiam minorem deligat Christiana professionis hominum filios. E quibus qui præstantiores videntur ac pulchriores, eos in palatium, quod habet Constantinopoli, transfert, reliquos verò distribuit per agros in interiori Asia,

ri Asia, & quotidiano labore sese durent, ac simul linguam addiscant. Post, reuocantur Constantinopolim, & traditi magistris, varia discunt artificia: distributi deinde inter milites, quum iis aliquandiu sunt famulati, ascribuntur ipsorum ordini, & Ianizari vocantur. Interim dum ruri educantur, victum eis communicant patresfamilias qui eorum vtuntur opera: in reliquos autem, qui sunt Constantinopoli, Turcarum Cæsar sumptum facit. Nam in eo, quod diximus, palatio semper alit, vti ferunt, circiter quingentos adolescentulos, ex omni multitudine delectos, vt paulo suprà diximus, eosq; nõ minus in literis, quàm in armis exerceri iubet, cũq; per ætatem idonei sunt, rebus gerendis admouentur, ac præfecturas obtinent. Hanc rationem primus omnium instituisse dicitur Amurathes, eius, de quo diximus, Baiazethis, auus, qui Peloponnesum expugnauit. Meminit author Constantini, hominis Graci, qui Monferratensem ditionẽ administrauit. Id autem sic accidit: Veneti Peloponnesum ademerant Turcis, & à Corinthiaco sinu ad Megaricũ, qui est aditus regionis atq; spaciũ vbi mare intermittit, murũ perduxerant: sed Mahometus, eius nominis secũdus, Amurathis filius, ũ, qui Constantinopolim

cepit, cùm ad eum locum veniſſet, prælio cum illis dimicauit & vicit, ac non modò illam Græciæ partem, ſed & Euboeam inſulã, & Lemnum, & Mytilenen, & Neritum, & Zacynthum, & Samum, & Croiam occupauit, & Comneno, patri huius quem dicimus, Conſtantini, Scodram vrbem ademit. Carolum octauum, Regem, vocat conſobrinum Ioannis Galeacii, Mediolani Ducis. Carolam enim, Sabaudiæ Ducis filiã, Ludouicus vndecimus, alteram verò filiam, Bonam, Galeacius, Mediolani Dux, eius quem diximus, Ioannis, pater, in matrimonio habuit. Renatus Siciliæ Rex, Andegauorum Dux, Prouinciáq; Comes, frater fuit Ludouici: quem Ioanna Regina Neapolis adoptauerat, vt ſuprà diximus. Is filium habuit vnicum, Ioannem, Calabriæ Ducem: huic ſuperuixit ipſe, ideoque hæredem inſtituit Caroli fratris ſui filium, Carolum, qui ſine liberis decedens Ludouicum vndecimum teſtamento fecit hæredem. Idem Renatus filiam habuit, matrem Renati Lotharingiæ Ducis, de quo ſtatim initio libri mentionem author facit, ſed & ſororem habuit, quæ mater fuit Ludouici Regis vndecimi. Renatus Lotharingiæ Dux is eſt, qui Carolum Burgundiæ Ducem, ad Nanceium prælio ſuperauit, adiutus ab

Hel-

Heluetiis. Venetorum Dux, cuius virtutem predicat, est Augustinus Barbaricus, inter eius Reipub. Duces, septuagesimus septimus. Hunc inter & eum, qui nunc praest, Petrum Landum, tres fuerunt Duces, Leonardus Loredanus, Antonius Grinius Grimanus, Andreas Gritius, Marchio Mantuæ. tunc Venetorum exercitus Imperator, fuit Franciscus Gonzaga. Ferrariæ verò dux tum erat, Hercules Estensis, cuius alteram filiam Elizabetham, is quem dixi, Marchio, in matrimonio habuit; alteram verò Beatricem, Ludouicus Sfortia: nam & author vtrunque vocat eius generum. Fuit autem ei filius, Alphonsus, & huic, Hercules, qui nunc rem administrat, Ludouici duodecimi, Galliæ Regis, gener. Hieronymus Dominicanus, fuit is qui cognomento dicitur, Sauonarola, Ferrariensis, vir doctus, & cuius extant non pauca lucubrationes. De cataphractis quod scribit, sic accipiendum est, vt singulis quatuor attribuantur equi pro consuetudine Gallica. Cardinalis Ostiensis, quem sæpe nominat, factus est deinde Pontifex Romanus, Iulius secundus. Familia Medices, primam celebritatem dedit Cosmus, qui octogenarius è vita migrauit, anno salutis nostræ, supra mille & quadringentos sexagesimo quarto. Filios

habuit Petrum & Ioannem. Petro filij fuerunt Laurentius & Iulianus. Laurentius quem author tantoperè prædicat, filios habuit, Petrum, Ioannem, Iulianum. Ex ijs Ioannes, fuit Cardinalis, & postea Pontifex Romanus, appellatus Leo decimus, Iulii successor. Virgilius Vrsinus, post defectionem familiæ Columnensis, fuit reconciliatus Carolo Regi, & cùm aliquandiu fuisset captiuus, tandem dimissus militauit ei, quod addendum esse putaui, ne quis authorum parum sibi constare putet. Reliquum est, vt de ipso authore quædam etiam dicamus. Ortum habuit è Flandria, & genere atq; necessitudine coniunctus erat eius loci præcipuis viris, & amplas habebat facultates, non ibi tantùm, sed & in Hannonia. Forma fuit elegantis, & statura procera: Gallica lingua optimè vtebatur; Italica verò & Germanica, & Hispanica, mediocriter. Historias omnis generis gallicè conscriptas, præcipuè Romanorum, diligentissimè legerat, & memoria propè tenebat. Multus erat ei vsus cum exteris hominibus: quod eò faciebat, vt ab ijs aliquid, quòd priùs ignorasset, addisceret. Temporis autem habebat accuratissimam rationem, nec vnquam erat otiosus. Memoria fuit insigni, ac sæpenumero

qua-

quatuor scribis eodem tempore dictabat, res diuersas, ad Rempub. pertinentes, tanta quidem facilitate ac promptitudine, ac si vnum modò tractasset argumentum. Vehementer ei dolebat per omnem vitam, quòd àteneris annis non fuisset institutus in lingua Latina, & hanc suam infœlicitatem non rarò deplorabat. Ludouico Regi, vndecimo eius nominis, longè erat gratissimus; & quandiu ille viueret, summa fuit per Galliam authoritatis. ac demum vxorem duxit Helenam, ex familia Monsorella, in finibus Andegauorum. Ludouico autem mortuo, valde fuit exagitatus: & quoniam externus erat, augescente inuidia res eò deducta fuit ab aduersariis, vt Losca, quod est oppidum & arx Biturigum, in vincula conjiceretur: quod in iis fieri consueuit, qui sunt læsa maiestatis rei. Duriter admodum in eo carcere tractatus fuit, vt in suis ipse commentariis recitat. Sed interim eius vxor magna quadam sollicitudine hoc effecit, vt Lutetiam deduceretur captiuus. Quò cùm venisset, aliquanto pòst accersitur in Senatum. Aduersarios autem habebat valde potentes, ac magna tunc authoritatis; & cum idcircò nullum pos-

set inuenire patronum, causam ipse suam egit, & per horas duas locutus, màgna cum attentione omnium, ita se defendit, vt à iudicibus tandem absolueretur. Inter alia commemorabat, quàm varios & graues labores pro Rege atque Repub. suscepisset: quam propensa fuisset Ludouici Regis erga se voluntas & munificentia: nihil autem auarè, nihil cupidè: nihil intemperanter à se factum esse: quòd si priuatis tantùm commodis & rei familiaris amplificationi studuisset: suas facultates posse cum cuiusuis opibus conferri demonstrabat. Captiuus fuit per annos ferè treis, & anno pòst, quàm dimissus fuit, vxor ei filiam peperit, Ioannam quæ posteà nupsit Renato, ex familia Britanniæ Ducũ, Comiti Pentabriæ, eique filium edidit inter alios liberos, Ioannem, qui & Britanniæ præfecturam hodie obtinet, & Regis Galliæ est primi ordinis Eques, & plurimas habet amplissimásq; possessiones, atque in his, Ducatũ Stampensem. Quum esset annorum circiter sexaginta quatuor Comineus, mortuus est domi suæ, quam in Pictonibus habebat, Argentonicum vocant, anno salutis humanæ, supra mille & quingentos, nono, mensis Octobris die decimo septimo, & illinc Lutetiam dela-

delatus, in Augustinensium templo sepultus fuit. Rebus secundis habebat sibi peculiare dictum illud (nobilium hæc est consuetudo) Qui non laborat non manducet. Quum autem commutata fortuna grauissimè affligeretur, & surpauit illud, Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.

Quærat aliquis, Vnde hæc de Cominæo, tibi, homine Germano? Dicam paucis. Est apud Carnutes in Gallijs, vir cum primis honestus & eruditus Matthæus Atrebas. Is domesticè nouit Cominæum, eiq; famulatus est, ac præceptor deinde fuit eius è filia nepotis, quem paulò suprà diximus esse Ducem Stampensem. Legit hic fortè alteram Cominæi historiam, de Ludouico Vndecimo & Carolo Burgundiæ Duce, quam superioribus annis Latinam feci, & delectatus, & ait, argumento, propter heri sui præstantissimi viri memoriam, ea quæ suprà commemorauimus, per amicum quendam mihi communicauit. Et quoniam illius laudes verecundè suo scripto prædicat, idcirco maiorem ei fidem tribuendam esse putaui, ac pergratum mihi fuit, quòd eadem ferè, quæ per Galliam sæpe & ab alijs audiueram, ex ipso, qui

familiariùs ac propiùs omnia nouisset, cognoscerem. Hæc sunt, amice lector, quæ tibi communicanda esse videbantur, vt nonnulla quæ his libris continentur, aliquanto meliùs intelligi possint. Vale. Argentorati, sexto Calendas Iunii.

FINIS.

INDEX

INDEX IN FROSSARDVM, ET COMINÆVM.

A

ABbeuilla ad regem redit,& quo iure 557
Adamas precioſiſſimus aureo venditus 529
Adolphus Geldrius captus detinetur 453
Adolphi Geldrij in patrem inhumana crudelitas 451
Aduocatorum fraudes & expilationes in Gallia maximæ 613
Adurnorum propoſitum 804
Ægrotantes cogi Ludouicus non vult 617
Æmulationes aliquot principum, populorum, ciuitatum, familiarum 658
Africani Genuenſes infeſtant 234
Aguilonum à Gallis oppugnatur 40
Albert. Bauarus, Hannoniæ Dux 168. 169
Albertus Hannoniæ princeps 257
Albienſis epiſcopus 617
Albinius Scotus, Gallici exercitus præfectus 729. Calabriæ præficitur à Carolo VIII, 793
Alcmæria 421
Alduaidalis fl. 690
Alexandri VI iocus de Gallis 757
Allobroges 684
Alphonſi, Caſtiliæ regis, filij 70

Alphonſi Neapolitani regis, potentia & vires 727
Alphonſi exercitus duo 729
Alphonſi conſternatio 759.760
Alphonſi ad Venetos legatio 777
Alphonſi vitia enormia 756
Alphonſi inclementia 754
Alphonſus exul morbo & mœrore ad pœnitentiam adigitur 761
Amari quàm metui à principe, melius 450
Ambari, pop. 683
Ambianum à rege occupatur 410
Ambiani conueniunt Gallici & Anglici legati 481
Ambitio vbiq; dominatur 86
Amboſius, Cranij ſucceſſor, Heluetios Gallo deuincit 603
Amboſius in Burgundia quæ geſſerit 604
Amboſij dexteritas 605
Ammirallij dignitas 693.170
Ammo, Vallorũ princeps, ab Anglo necatus 94
Andegauenſis Dux Anglũ infeſtat 88
Andegauius regi iuniori adiungitur 126
Andegauiæ Duci cõfert Pontifex Siciliam, Neapolin, Calabriam, Apuliam, Prouinciam 114
Andegauus profectionem in Italiam molitur 126.131. 146
Andegauus moritur 168

168
Andegauij auaritia & rapacitas 124.126
Andegauij filij 169
Andegaui vidua Prouincialibus bellū infert 169
Andreani virtus 886
Angli bilioſi 476
Angli vaticinijs plurimum tribuunt 495
Angli quando regibus extraordinaria dent ſubſidia 457.502
Angli naturali ardore aduerſum Gallos bellaturiūt 586
Angli quare Galliam ad ſe pertinere cōfirment 586.681.682
Angli difficilè traijcere exercitū in Galliam poſſunt 471
Angli quas Gallię partes olim tenuerint 682
Angli Conneſtablio & Carolo ſuccenſent 477
Angli lautiſſimè à Ludouico tractantur 488
Angli à Gallis profligati 587
Angli trepidant 191
Anglorū ſtrenua virtus 44. memorabilis victoria 43.45.53.78
Anglorum in Luſitanico bello miſeria ex peſte & febre 210. legatio ad Hiſpanum 211
Anglorum ad exteros belli cauſſa profecturorum mos 123
Angliæ cōſuetudo in prælijs 423
Angliæ mos in tuendis nobilium pupillis 267
Anglicum iugum ægrè admittunt Gal

li 63
Anglicorum militum conditio 470
Anglorũ equitum in prælijs mos 302
Anglicorum sagittariorum virtus 53. 77. 182
Anglici Ordines Galli & Cæsaris conatum in pacanda ecclesia iuuare detrectant 271
Angliæ reges sine Ordinũ & populi consensu nihil ardui suscipiunt 456
Angolisma Anglis se dedit 39. à Gallis recuperatur 40
Angolismensi Duci non inuita nupsisset Burgunda 594
Anna Britanna 686.
Anna Britãna quare ab Aureliano fuerit alienata 871
Ant. Britannus 305
Anton. Tesinus 714
Apologus de vrso & tribus iuuenibus 465
Apulia ad Gallum deficit 766
Aquitani Burgundũ contra regem sequuntur 322
Aquitani implorant opem Caroli v cõtra principem suũ 81. 82
Aquitani, deserto Anglo, in Galli fidem se dant 184
Aquitania, quæ Galliæ pars 685
Aquitaniam depopulantur Angli 40
Aquitanus Caroli Burg. filiam ambit 410
Aquitanus nuptias vrget 424. 428
Aquitanus Carolum Burg. contra regẽ sollicitat 430

Aquitanus moritur 432
Arar fl. 690
Arbanus, Gallicæ classis præfectus 840
Area, opp. 628
Argenteæ patinæ pro stanneis venditæ 529
Argentonicum 912
Armeniæ rex profugus 192.248
Armignaci Comes à prælio moritur 238
Armoricæ ciuitates 685
Arnoldus, episcopus Leodiensis 227
Arragonij morientis hortatio ad filios 195
Arragonij & Vallorũ princip. fœdus 195. à Ioanne filio violatur 196
Arragonios à Gallo quid alienarit 378
Astæ se reficiunt Galli 839
Atrebatum 557
Atrebatum bipertitũ 570
Atrebati pars Gallo traditur 571. altera eidem se dedit 574
Atrebates incendio vastat Ammiralius 467
Atrebatense præsidium cæditur 463
Auberocham occupant Angli 38
Audenarda obsidetur à pileatis 119
capitur 121
Augustinus Barbaricus Venetorũ Dux 909
Auraicus regi in oppugnanda Burgundia nauat operam 583
Auraicus qua occasione ad regẽ trãsierit 583

Auraici laus 388
Aurelianus Lutetiæ interfectus 493. 675
Aureliorum Dux Nouariã contra mandatum Caroli occupat 802
Aureliorũ Duci præclara offertur conditio 806
Aureliorum Ducem ad ferendam obsidionem hortatur Cominæus 839
Aureliorum Dux per inducias obsidione liberatur 854
Aurelianus in odium reginę incurrit 871
Aureliorum Dux expeditionem in Italiam detrectat 882
Aureliæ Dux Carolo VIII succedit in regni administratione 900
Auxona strenuè se tuetur 583
Auxona dedit se Gallo 605

B

Baiazethes 905
Baiona obsidetur 105
Baluensis Cardinalis 367
Baluensis Cardinalis carceri à se excogitato inclusus 642
Baluensis Cardinalis à Ludouico eximitur è vinculis 618
Baptista Campofulgosus Genuam tenet 720
Baptista Campofulgosus Genua expulsus 883
Barbari infestant Genuenses 234
Barcinona 646
Barnabas, Mediolani Vicecomes 253. 254. à Galeatio nepote occiditur 255.

& 237. filiæ eiusdē & filius, ibid. & 255
Basam, Rex Turciæ, Hungaro bellum infert 251.253
Basam maximum colligit exercitū 258. vincit 260. in nostros sæuit, ibid. familiariùs habet Gallos, imprimis Burgundi filium 261. eiusdem magnanimitas 262
Beatrix, Lusitani filia 185
Belgicæ partē quam teneat Gallus 685
Bellouacū oppugnat Burgundus 439
Bella ex leuibus sæpe causſis oriūtur 522
Belnā recuperat Gallus 606
Benedictus Clementi subrogatur 248
Benedictus pontifex superbè ad legati petitiones respondet 269. post longam obsidionem se dedit 271. dignitate priuatur 277
Beneficia cum iudicio conferenda 362
Beneficiorum, etiam tenuium, effecta, ibid.
Bergeratum Anglis se dedit 38
Berrię Dux susceptam expeditionem impedit 191
Berriæ Dux Lenclastrij filiam ambit 224
Bertholdus Mechlinius 214
Beruicensis Comitis potentia 419
Beruici mos in pugna 423
Beruicus in pugna cadit, ibid.
Beruici Comes exilio

mulctatur 266. reuocatur 275
Beruici arx bis capitur 101
Biturix se cum Burgundo coniungit 313
Biturigem maturiús belli tædet 316
Biturix à rege fratre quæ petierit 332
Blanckefurtensis Marchio 171
Blesium opp. 223
Bocagius, regis legatus 491
Bocagius à Gallo ad Hispanum mittitur 890
Bohemiæ princeps & Lenclastrius conciliantur 50
Boij, pop. 684
Bolonia 365
Boloniam occupat Ludouicus 572
Bona Sabauda, Sfortiarum tutrix 713
Bonifacius Neapolitanus creatur pontifex 234
Bonifacius principũ arbitrio se placidè subijcit 269
Borbonia & Aruernia quando & quomodo ad Galliam accesserint 686. Borboniã inuadit Gallus 299
Borbonium accersit Ludouicus socer 635. 640
Borbonius ab Hispano dimittitur 212
Bouilli 345
Bouillis conuenitur 446
Brabanti, Flãdri, Hannonienses arctiss. fœdus ineunt 27
Brabanti à Geldro cæduntur & fugãtur 226
Brabanti Gallis trãsitum negant 237

Brabantiæ domina 168.
Bresta,opp. 130
Brestæ obsidionem soluunt Briton. 188
Brisacum 462
Brissonetus 708
Brissonetus fit Cardinalis 763.800
Brissonetus Cardinalis pacificationem impedit 840.843
Britannia minor & maior 685
Britannia quos populos contineat 684. 685
Britannia quando & quomodo accesserit ad Galliam 686
Britanni icti sapiunt 343
Britannici exercitus laus 300
Britannus & Biturix se cum Burgundo coniungunt 313
Britãnus à Gallo placatus domũ redit 342
Britannus confirmatur à Burgũdo 437
Britannus,ignauꝰ 443
Britannum Gallo cõmendat Anglꝰ 496
Britannici procancellarij astus 297
Britones Gallis cõtra Anglos opẽ ferunt 96
Britones Ducem suũ ab Anglis auocant 130
Britonici belli origo 31
Britonicũ bellum recrudescit 146
Britoniæ partem bonam subigit Conestablius 97
Britoniæ Dux moritur 30
Brugenses Gandauos in se irritant 114
cum Gandauis cõtra principem se

coniungunt 119. seditione coorta principem accersunt, pœnasq; rebellionis luunt 132. timiditatis & ignauiæ pœnas dant acerbissimas 153. Gallo se dedunt 156. 158
Bullæ Clementis & Vrbani 161
Burburgum, opp. 164
Burgundię populi qui sint 684
Burgundia vastatur ab Heluetijs 462
Burgundia occupatur ab Amboſio 605
Burgundici belli origo 290. 292
Burgundici exercitus quantitas & qualitas 296
Burgũdicus equitatus malè instructus 304
Burgundi animũ colligunt 311
Burgundi tertio funduntur ab Heluetijs 550
Burgundiones à Germanis accusantur luxus 379
Burgundionum insolentia grauiter à Deo punita 296
Burgundiæ post florentiss. statum calamitas 552
Burgũdicæ domus potẽtia quomodo & quantũ aucta 514. 553
Burgundica domus multis principibus afflictis hospitium & patrociniũ præstitit 553
Burgundicorum ducum laus 312.

C

CAen Angli capiunt 41
Cæsaris commentarij

rij quales 698
Caietam amittit Gallus 889
Calabria ad Gallum tranſit 766
Calcaria lignea 757
Caletũ ab Anglo obſidetur 44.47. Anglis ſe dedit 48. præſidio munitur ab Anglis 49
Caletenſes migrare iubet Anglus, colonia ſuorum & præſidio ibi collocato 48
Cambericũ,opp. 533
Cameracum Imperio reddit Ludouicus 566
Cameracum ſuis vti legibus cur ſiuerit Gallus 600
Cameracum fruſtra ab Eduardo obſidetur 24
Camillus Pãdulphus, Ferd.legatus 759
Campanæ ſonitu cogitur populus 359
Campanię populi qui ſint 684
Campobachius, Comes Neapolit. 456
Campobachius quomodo in Galliam venerit 516
Campobachius à Carolo ad Lotharingum deficit 548
Campobachius à Germanis ob proditionem excluditur caſtris 549
Campobachij cũ Lotharingo pactum 512
Campobachij perfida improbitas 517
Campobachij in Carolum perfidia & cum Lothar. colluſio 539.543.549
Cancell. Galli à Gandauenſib. ſupplicio afficitur 582

Canonici à Leodiensibus infestantur 375
Canthabrigiæ Com. Lisbonam appellit 145
Cãthabrigiæ Comes iratus Lusitano domum redit 149
Cantorbiensis Archiepiscopus Derbiũ ad regni habenas vocat 273
Capite alicuius opus habere 501
Capuani Gallum admittunt 765
Carceres horrendi 641
Carentonium 319
Carolus Amboſius 534
Carolo à Blois adiudicatur Britonia 31
Carolus à Blois Philippi Valesij opem implorat 36
Carolus Bloisius ab Anglis capitur 47
Carolus Bloisius, custodia liberatus, bello redintegrato in pugna occumbit 68
Carolus Bohemꝰ Leusam contra Andegauum munit 147
Carolus Bohem. moritur non sine veneni suspicione 171
Carolus Bohemus Ludouico Bauaro oppositus, Archiepiscopum Mediolanensem liberaliter renumeratur 254
CAROLVS Burgũdus gloriæ auidiss. 469
Carolus impatiens otij & moræ 367
Carolus perturbatus quid in more habuerit 382
Carolus vincit 305

Carolus bis vulneratus eripitur, hosti 306
Carolus se reficit 310
Carolus Parisinos sol licitat 319
Carolus à rege quæ petierit 332
Carolus à Mareschallo acriter reprehẽsus, & cur 339
Carolũ in Flãdriã abeuntem rex deducit 340
Carolus à Picardis fidem accipit 341
Carolus Leodios infestat Ib.
Carolus cum Leodiensibus transigit 347
Carolus honorificè à Gandauensibus excipitur 363.367
Carolus regis technis exasperatur 376
Carolus pace cũ Lud. firmata, denuo in Leod. tendit 384
Carol. ad Amb. cum copiis subsistit 415
Carol⁹ atroci bello infestat reg. & cur 433
Carolus Norm. infestat 442
Carolus quo iure Geldriã sibi vsurparit 453
Carolus, animum in Germ. cõuertit 453
Carolus Noueſiana obsidione soluta, Eduardo proficiscitur obuiam 474
Carolus Eduardo ob pacẽ cum Gallo factã iratscitur 487
Carolus fugit 522
Carolus Losanæ victus 530
Carolus militem colligit Ib.
Carolus quantis copiis ad Moratũ instructus fuerit 532
Carolus secundò ab Heluetiis victus Ib.

Carolus ſuis cur diffideret 520
Carolus, aſper in ſuos 537
Carolus magis magíſque deſeritur & cõtemnitur 537
Carolus occũbit 550
Carolus quot quantosque labores exantlarit 650
Carolus dementatus 460. 470. 471. 481. 517. 542. 549
Carolus quomodo & cur à Deo euerſus 515
Carolus ἀϑαδείᾳ & ſe & ſuos perdidit 312
Caroli Burgundi ingenium & mores 551
Caroli animus 419
Caroli laus à laborũ patientia & animi robore 313
Caroli potentia & opes 514. 523
Caroli ad orationem Gallici legati reſpõſio 292
Caroli expeditio in Galliam 296
Caroli literæ ad reg. Lud. 416
Caroli inclementia 540. 541
Caroli indignum facinus 513
Caroli naufragiũ primum 526. Secundum 528
Caroli poſt cladem Helueticã demiſſio 524
Caroli mœſtitia & morbus 536
Caroli pretioſiſſima ſupellectilia vili vẽdita 529
Caroli familiares Gãdauenſes eijciunt, Gallus recipit 584. 593
Caroli filia deſtituta à ſu-

à suis à Gandauensibus proteruè tractatur 575
Caroli filia indicit cõcilium 579. pudefit Ib.
Caroli filia frustra pro captiuis apud Gandauenses intercedit 582
Caroli filia Eduardi opem implorat 589
Caroli filia magis magisq; atteritur 592
Caroli filiæ maritus quæritur 593
Caroli filia à Gallo alienata ib.
Caroli filia Maximiliano nubit 597. populo carissima, mariti amantissima, 599. moritur Ibid. & 620
CAROLVS V, Galliæ rex coronatur Remis 66. pro Aquitanis bellum Anglo denunciat 83. fratres contra Anglum mittit 83. 85. prudentia & benignitate Galliam locupletat 88. 101. contra Anglũ mirificè se instruit ib. amissas Galliæ ditiones recuperat 95. Aquitaniam recuperat 101. Scotum contra Anglos instigat Ibid. Nauarrio filios remittere detrectat 104. Nauarricæ ditionis partem occupat Ib.
Caroli V morientis ad fratres & familiares oratio 124. Eiusdem prudentia & dexteritas 107. 123. 127. 128
CAROLVS VI nascitur 82. corona-

tur 126. Parisienses, Rothomagēses aliosq; tumultuantes compescit 144. Flandro fert auxilium 154. Gandauos fundit 157. Flādro denuo fert supetias 163 inducias cum Gandauis & Anglis paciscitur 166. duos contra Anglos instruit exercitus 169. Stephani Bauari filiam ducit 170. validissimum contra Anglos exercitum cō trahit 191. Connestablium in Angliā cum copijs mittit 196. 198. Borboniū in Hispaniam 197. expeditionem cōtra Geldrum suscipit 226. Geldro reconciliatur 228. connubium inter Hispani filium & filiam Lenclastrij conatur impedire 230. inducias cum Anglo, Scoto, Hispano & Lusitano facit 231. longinquiores regni sui prouincias inuisit 232. Genuensibus cōtra barbaros auxilia mittit 234. pacem cum Anglo tractat 243. fratri Aurelianensem ditionem cedit, ib. in expeditione cōtra Britonem in mentis alienationem & morbum incidit 245. 674. cum Anglo inducijs factis in morbum recidit 248. Cæsarē aliosq; principes hortatur ad constituendam ecclesiæ pacem, ib. filiam suā Richardo

do Angliæ regi dat 258. à Mediolanensi expeditione retrahitur ib. de stabilienda ecclesiæ cõcordia cum Imperatore deliberat 268. ex mœrore ob Angli calamitatẽ, in morbum recidit 276

CAROLVS VII, ab Anglis affligitur 492. Anglos Normania & Aquitania eijcit 621. 677. 682. Grauibus exactionibus onerat populum 621. 667. quibus cõditionibus cum Philippo Bono pacem fecerit 677. veneno sibi perire videtur 617

CAROLI VIII ætas cùm regnum susceperit, & quæ primùm senserit aduersa 667. 668

Carolo octauo sponsa adducitur Maximiliani Austrij filia 630

Carolus VIII priore sponsa dimissa Britannam ducit 678. 722

Carolus VIII quorũ instinctu susceperit bellum Neapolitanum 708

Carolus VIII quo iure Siculum & Neapolitanum regnũ petierit 710

Carol. VIII, quãuis dissuadẽtibus amicis, Neapol. expeditionẽ persequitur 728

Carolus VIII Mediolanensi duci funus facit 738

Carolus VIII cũ Florent. transigit 749

Carolus VIII Romæ

subsistit 753.761
Carolus VIII à Neapolitanis magna cum gratulatione excipitur 765
Caroli VIII ad Venetos legatio 771
Carolus VIII abitione sua & remissione occupata loca à se alienat 793
Carolus VIII domũ redire parat 794
Caroli VIII conflict⁹ cum Cæsarianis & Venetis 821
Carolus VIII Insubriam negligit 836
Carolus VIII Taurini expectat Heluetios 842. Vercellas se recipit 843.848. pacem cum Mediolanensi, Venetis & Cæsarianis facit 859. denuo Cominæum ad Venetos ablegat 862. Lugdunum redit 868. filij mortem cur leuiùs tulerit 871. imperitis & ignauis hominibus nimiũ tribuẽdo Neapolitano regno excidit 870. 874. legatos ad Hispanum mittit 886. iurisdictionem & ordinem ecclesiasticum emendare cogitat 895
Carolus VIII religiosè moritur 897. Apoplexia extinctus 900
Carolus VIII quomodo fuerit consobrinus Ioannis Galeatij 908
Caroli VIII expeditio rideri primùm ab Italis, postea metui cœpit ab ipsis etiam Hispanis 778

Caroli VIII amicitiã multi principes & resp. ambiunt 895
Caroli VIII benignitas in egenos 896
Caroli VIII filius moritur 870
Carolus Prudens 674
Carolus Simplex in custodia moritur 694
Carolus Hispanus à Nauarrio necatur 51
Carolus, Hungariæ regis nepos, Maioricæ regẽ cum vxore captum quibus conditionibus dimiserit 114
Carolus Nauarrius à Ioan. Valesio capitur 51. liberatur 55
Carolus Nauarrius incursionibus vexat Gallos 57. pacem cum Gallis facit 59. denuo in Normanum concitatur 61. 66
Carolus Nauarrius Hispani filiam ducit 108
Caroli Nauarræ vehementia in exigẽdis tributis 220. mirus exitus, ibid.
Carolus V, Imp. Insubriã occupat 904
Carolus Tarentinus princeps in Hungaria captiuus moritur 112
Castelfortinum capit Gallus 764
Castelgionius 520. 526
Castelgionius captus 602
Castiliæ princeps moritur 892
Cataphracti equites 694
Cataphracti à Gallis & Italis quantum accipiant stipendium 881

Catholicorũ cognomen vnde sit Hispaniæ regibus 893
Cauea lignea collocutioni struitur 492
Cenomanorũ Comes regis partes sequitur 301
Cenoman⁹ fugit 307
Centrones à Burgundo obsidentur 351
Centrones deditionẽ faciunt 356
Chirburgum 104.130
Cico in carcere moritur 714
Cifronius inclementer suspenditur 540
Cinonium, opp. 615
Clarentiæ dux à Beruico ad Eduardum fratrẽ deficit 422
Claretus 588
Clemens pro Vrbano legitur põtifex 109. pontificatũ armis tuetur, ibid.
Clemens Vrbanũ in odium adducit 111
Clemens ex Auenione & Gallia impugnat Vrbanum 161
Clemens pacem facere conatur inter Anglũ & Gallum 47
Clemens spe sua fallitur 234. moritur 248.50
Clemẽtis fautores 110
Clementia, humana & benigna tractatione quantum efficiatur 360.361
Clerius Galli ad Hispanũ legatus 889. 890
Cliſſonius indignè mulctatur capite 37
Cliuensis repulsam patitur 579.595.596
Cloceſtrius pacis osor 242.247. muneribus à nepote delinitur 258. ob crebras turbas & affectatum imperium in

in custodia strangulatur 563
Clodouæus 691
Cocterius liberalissimè à rege habitus 638.641
Cocterij medici in Ludouicum ægrotantem asperitas 641
Cohinus 537. occiditur 538
Colloquij legatorum exemplar 853
Columnensiũ in Gallũ ingratitudo 794
Columnenses à Gallo deficiunt 842
Columba candida in Eduardi tabernaculo cõstãter sedet 498
Cominæus quis & qualis fuerit 700
Comin. XVIII annis versatus in maximis regum negotijs 371
Comin. verax 435.563
Cominæus quando se in familiam Caroli Burgundi dederit, & vnde historiam auspicetur 290
Cominæus visa à se ex principũ congressionibus mala cõmemorat 377
Comin. quando se in familiã & clientelã regis dederit 443
Cominæus legatos audit 500
Comin. Florentiam à rege mittitur 606
Cominæus ex Italia reuocatus, humaniter à rege excipitur 610
Cominæi iudiciũ de Ludouici & Caroli dissidijs 435
Cominæi commentarij quibus sint profuturi 429
Cominæi vita breuiter descripta 910
Cominum, opp. 155
Cõpedes horrẽdꝰ 642

Compendiũ,opp. 367
Condium,cast. 549
Conflantium 319
Connestablij dignitas 692
Connestabliatus,maximum Galliæ munus 334
Connestablius, Comes Sanctopauli, quibus de caussis regem in Burgundũ instigarit 406
Connestablius & Niuer. Comes à rege destituuntur 434
Connestablius in omnium odia incurrit 444
Cõnestablius & Dammartinus reconciliantur 448
Connestablius ad regem venit 447
Connestablius calamitatibus exercetur 466
Connestablius mitigare regis animũ studet 467
Connestablius Carolum vana Sanctquintini spe ludificatur 468
Connestablius apud Carolum Burgundum se purgat 475
Connestablius legatos ad regem mittit 484
Connestablius Anglũ à Gallo alienare frustra conatur 489
Connestablius capitur 509
Connestablius damnatur 513
Connestablio quæ exitium attulerint 445. 510
Connestablij ad regẽ legatio 500
Connestablij fluctuatio 507
Connestablij metus 473. 484

Conneſtablij deplo-
randa conditio 502
Conneſtablij frater à
rege dimiſſus & in
regiam familiam
aſcriptus 468
Conneſtablius capi-
tur 42
Conſtantinopolis ex-
pugnatio 655
Cõſtantinus, Comne-
ni filius 907. exul
769.771. præficitur
Monferratenſi di-
tioni 848
Conſtantini lis cum
Marchione Salaſ-
ſiorum 845
Contæus 295
Contæus vt inſtruxe-
rit Burgundũ mo-
nitis & cõſilijs 334
Contæus egregiam
ante obitum nauat
operam 555
Contæus capitur 464
Contæus à rege ad Ca
rolum Burg. mit-
titur 486
Contæi vehementior
impetus 348.351
Conuerſionum exem
pla memorabilia
509.515.551.759.274
Corbellium 308
Corbia exuritur à re-
ge 463
Cordæus 354
Cordæus ad regem
quo titulo tranſie-
rit 571
Cordæum ante ſextũ
menſem diſcedere
à filio ſuo Ludoui-
cus non vult 639
Corij pro pecunia vi-
ſus 670
Coſmi Medicij mode
ratio 732
Coucius Nauarriam
infeſtat 105. Hy-
bernum è Gallia
exturbat 232. cum
Borbonio auxilia-
tum Genuenſibus
it 234. Gallico ex-

ercitui contra Turcas præficitur 251. Turcas cædit 253. mœrore conficitur 261
Cranius, regis legatus in Burgundico bello 584
Cranio succedit in belli administratione Amboſius 602
Craonius ab Aurelianenſe eiectus ad Britonem ſe confert 244. Britonis inſtinctu Conneſtablium vulnerat, ibid.
Creuilius 484
Croij proſcripti fugiunt 295
Cruciatibus & malis omnes ſumus obnoxij 871. Eorundem vtilitas 872
Crudele facinus 183
Crudelitatem Deus in primis deteſtatur 661
Crudelitatem crudeles conſequuntur cruciatus 642
Cruris tumor inauditus 657
Cupiditas & ambitio omni ſuauitate vitam priuant 651
Curſorũ inuſitatum genus à Ludouico rege inſtitutũ 554
Cypri rex Gallum aliosq; principes cõtra Turcam ſollicitat 65

D

DAmmartinus Comes inimicus Conneſtablij 448
Dammas 118
Danię priuilegium in legendo rege 682
Daruernum 470.502
Dauid, Scotiæ rex, Anglorũ aliquot munitiones expugnat 32.

32. ab Anglis in prælio capitur 45. pace cum Anglo firmata domũ redit 55. moritur 97
Delationes quomodo excipiendæ sint à principibus 873
Delphinus 482.676. 693
Delphini nuptię 640. 630
Delphinatus quos habeat populos, & quousq; se porrigat 684
Delphinatus propriè ad Delphinũ pertinet 693
Depa,opp. 442
Derbij Comes Pictauium capit 44
Derbius Comes ab Anglo relegatus in Galliam proficiscitur 267. à patruo impeditus, non ducit Berriam 272. ad regni occupationẽ ab Ordinibus vocatur 273. Plura vide in Henricus Lenclastrij filius.
Desperationis ardor 391
Desperatio facit monachum 546.761
Deus vindex maleficiorum 510.513.515. 632.657.757.194
Dimicare prælio, res plena periculi 356. 366
Dinantum captum 345.33.36
Dinantenses excidũtur funditus 346
Dissidium semel natum multas deinde præbet offensionum causas 680
Diuionem occupat Gallus 583
Doctrinæ vtilitas 660
Dola à Cranio obsidetur 602. expugna-

tur ab Amboſio 604
Dompetrus ob impietatem & tyrannidem regno exuitur 71. Vallenſis principis opẽ implorat 72. imperiũ recuperat 78. nouas contrahit copias 81. interficitur 82
Dompetri filiæ 92
Duces reprehenduntur & monentur 384
Dunekerka, opp. 163
Durenum capitur à Scoto 32
Durfius, Britan. 458
Durfius, regis legatus 726
Dynantum ſe Gallis dedit 33. capitur ab Anglis 36. Vide & Dinantum ſuprà.

E

EBurones 693
Eduardi 11 vxor, filius, vitia & facinora 31. 681
EDVARDVS III armis Galliam petit 22. Cæſarẽ & principes Germaniæ cõtra Gallum ſibi adiungit 23. Cameracum fruſtra obſidet 24. copias in Galliã adducit, ib. fœdus cum Flãdris facit 25. in Angliã redit 24. Gallos ſtrenuè repellit 27. Tornacum fruſtra oppugnat, ib. Monfortio contra Gallum promittit auxilium 31. Monfortij viduæ ſuppetias fert 33. 34. cũ Scoto facit inducias 32. 34. induciis cũ Gallo factis domũ redit 36. denuo bellũ Gallo indicit 37. triplici exercitu impu-

impugnat Gallum 41. Gallum vincit 43. à Ludouico Flādrio decipitur 46. Scotum pace firmata dimittit 54. pacis conditionibus ſpretis denuo Galliam maximis viribus inuadit 60. pacem cum Ioan. Valeſio ſancit 62. Aquitanos filio ſuo reconciliare conatur 86. cum Scoto nouennales paciſcitur inducias 89. ab Hiſpanis mari vincitur 94. Richardo nepote ſibi ſuffecto decedit 99
Eduardi III laus 20. 99. ſtratagema 49. vxor 21. viriliter regnū in mariti abſentia tuetur 45
EDVARDVS, Eduardi III filius, Vallorum princeps, Aquitaniam depopulatur 52. Gallum vincit & capit 54. pro Dombietro expulſo fœdus cū Nauarro facit, & copias conſcribit, 72. 75. vincit hoſtē 77. à reſtituto tyranno eluſus domum redit 80. exactionum ponderē Aquitanos à ſe alienat, ibid. minaciter Gallo reſpondet 83. aſperitatis accuſatur 88. militem cōſcribit 89. euerſa Lemouicum vrbe, valetudinis ergō redit in patriam 91. moritur 98
Eduardi, Vallorum principis, & Arragonij fœdus 195

Anglia exutus 420
Eduardus exul à Carolo Burg. iuuatur pecunia & classe 421
Eduardus Beruicum vincit 423
Eduardus Angliam recuperat 424
Eduardus exercitum colligit 456
Eduardus Gallo bellũ denuntiat 471
Eduardus à Connestablio ludificatur 475
Eduardus è Gallia excedere properat 502
Eduardus cur bellum cõtra Ludouicum vrserit, & susceptũ tam citò deposuerit 502
Eduardus pacem inter Gallum & Burgundum conatur impedire 506
Eduardus à Ludouico fallitur 627
Eduardus formosissimus, sed intemperans 653
Eduardi & Ludouici comparatio 586
Eduardi curriculum breuiter describitur 651
Eduardo repulsa filiæ mœrorẽ summũ & mortem affert 631
EDVARDVS V à Richardo patruo necatus 694
EDVARDVS Geldriç Comes 215
Educatio & institutio nobilium ac principum hodierna taxatur 328
Elauer fi. 691
Emmanueli Lusitano nubit Hispani filia 894
Engelbertus, frater Cli-

Cliuensis ducis 820
Entragium Carolus Petræ sauctæ præficit 801
Entragij perfidia & improbitas 874
Ephippiati equites 6 4
Episcopos vno sacerdotio contentos debere suis præesse Ecclesijs 896
Equi, etiam vetuli, vt fiant alacriores 312
Equestres alere copias an vtile, & quomodo 418
Equites, relictis equis, peditibus se iungere in prælio, honorificum & vtile 302
Eremitæ diui Francisci à quo primùm instituti 625
Errare & labi possunt omnes quamuis præstantes 563
Eruptiones periculosæ sunt 387
Exactiones & grauamina subditorum esse moderanda 661. 665
Exactiones nimias quę sequantur mala 667
Exactiones extraordinariæ iniquæ 664. 668
Externum imperium nulla natio diu patitur 597

F

FAstuosorum & sublimiũ principum morbi 536
Fatalia impedimenta & vincula 501
Ferdinandum Arragonium deserunt Neapolitani 711
Ferdinandum denuo admittunt Neapolitani 712

Ferdinandus mœrore conficitur 558
Ferdinandi crudelitas 754.755
Ferdinandi impietas & vitia detestanda 756
FERDINANDVS minor contra Gallum se instruit 761
Ferdinãdus minor in Siciliam profugit 765
Ferdinandus minor Neapolim ingreditur 841
Ferdinandus minor moritur 878
Ferdinandi minoris indoles 756
FERDINANDVS, Lusitaniæ rex, petitis ab Anglo suppetiis, bellũ Hispano denunciat 138
Ferrariæ Ducum aliquot catalogus 909
Ferrarienſis cum detrimento suo pacẽ cum Venetis facit 719
Flandri fugantur ab Anglis 23
Flandri cum Anglis, Gallo deserto, fœdus faciunt 25
Flandri à suo Comite alienati 28
Flandria sine Artesia parum potest 630
Flandria quãdonam sit exempta à fide qua Galliæ priùs erat obstricta 687
Flandria ad Burgundum deuenit 168
Flandriæ Comes occumbit 45
Flandrici belli occasio 114
Florentinos excommunicat & impugnat Rom. pontifex 608
Florentinorũ ad Gallum

Ium legatio 731. 732
Florentini cum Gallo transigunt 740. 749
Florentini à Gallo alienantur 875
Florentini inter se dissident 898
Florentinorum senatorũ magistratus trimestris 607
Fœderatorum secessio quid prænunciet 346
Fœminæ ad Gallici regni gubernacula non admittuntur 22.681.682
Fœminis imperium adimi, vtile 597
Fœmineus sexus quibus nam in locis à regni gubernaculis non excludatur 683
Foixij Comitis miserabilis casus 174
Forensis stilus in Gallia qualis vsurpetur 686
Fortunæ vis 509
Fortunę inclementia quid boni adferat 328
Forum nouum, vicus 809.814
Francemontium 391
Francemõtani à Burgundis vastati 402
Frãcicæ & Burgundicæ familiæ dissidium quandiu durarit 680. Eiusdẽ fomites lb.
Francorum caput 683
Francus, monetæ nomen 691
Fanciſci 1 pater 903
Franciſcus Gonzaga, Marchio Mantuæ 909
Franciſcus, Mediolani Dux, Galli amicus 321

Franc. Roietus 354
Franciſci Sfortiæ virtus 723
Franciſcum Sfortiam Carolus Cæſ. ſuis reſtituit 904
Franciſcani cuiuſdam vaticinia 61.185
Fridericus Arragonius 727.730. à Gallo quę petierit 767 Neapolitano imperio potitur 878
Fridericus Bauarus 165,170
Fridericus Capelarius Cæſarianorum præfectus 808.843
Fridericus Cæſ. à Carolo Burg. cur alienatus 378. Noueſio contra Burgundũ ſuccurrit 460
Friderici Cæſaris ad Caroli filiam legatio 595
Friderico Cæſari eripitur Auſtria 655
Frigus maximũ 402
Friſones, vide Phriſones.
Froſſardus in familiã Gaſconis ſe dat 174
Froſſardi & Froſſardicę hiſtorię commendatio 17
Fuginetus interficitur 607
Fuſarum eiaculatio 315

G

GAiazius Comes, Sfortiæ ad Galliæ regem legatus 721 729 Gaiazij conſilium de inuadendis Gallis improbatur 813
Galeatius & Barnabas, fratre ſublato, ditionem inter ſe partiuntur 254
Galeatius, Galeatij filius, Ioannis Vale-

lesij filiam ducit 254. filiam suam dat Ludouico Valesio 255. patruum necat, ibid. & 237. crudeliter & impiè dominatur 238 bellũ Gallo denunciat 257. cum Turca fœdus facit Ib. & 253
Galeatius Mediolanensis Gallum in oppugnando Borbonio iuuat 321
Galeatij Mediolanensis ad Ludouicum regem legatio 525
Galeatius Sanseuerinus 725.729
Gallorum natura 476
Gallorum animi ad suscipienda bella prompti & alacres paulatim remollescunt 837
Gallorum erga regẽ suum animus 668.
Gallorum forte facinus 155.156.
Gallorũ strages memorabilis 43. 53
Galli præter expectationem ab Anglis cæduntur 38.49
Gallię populi qui sint 683.684
Galliæ flumina præcipua 689
Galliæ vmbilicum qui teneant 684
Galliæ ditiones maiores quæ 683
Galliæ ducatus qui 684
Gallię principatus nõ defertur ad fœminas 681
Galliæ senatus quot sint, & qua autoritate 688
Gallię reges vbi inaugurentur 691
Galliæ reges quas hodie prouincias teneant 684

Galliæ reges parlamẽtis subiecti 688
Gallia quando primùm Christianã religionem sit amplexa 691
Gallia quantopere sit per Ludouicum & Carolum eius patrem afflicta 621
Galliæ misera conditio 55.58.61
Galliæ rex à Veromãduorum Comite necatus 376
Gallicę ling. dial. 686
Gallicę linguę principatum qui obtinent ib.
Gãdaui amplitudo 134
Gandauenses à Leone concitati, arma cõtra Brugenses & ipsum principem capessunt, 115. 119 121. & deinceps rebus desperatis prælium ineunt 151. insolenter victoria vtũtur 153. succumbunt, 157. cum Anglo fœdus faciunt 159. 163. pacem cũ Gallo & Burgũdo faciunt, 174 ad priuilegiorum suorũ confirmationem Caroli filiam vi adigunt 575. electis Burgũdicis nouos constituunt magistratus 584
Gandauensium vitia & virtutes 365. animus in principes suos 630 proteruitas grauiter à Burgundo mulctata, 365. proteruitas & seditio 574. stoliditas & malitia 582. 585. duritas in Caroli filiam 593
Gandauorum exemplũ alię quoq; resp. sequuntur 144. 158

Garumna fl. 690
Gasconis, Comitis à Foix, miserabilis casus 174. mors repentina, 240. Comitatus Vicecomiti Castilionio à rege conceditur 241
Gaura oppug. 134
Geldria à Burgundo quo iure occupata 453
Geldriæ Dux à Flandris è carcere eripitur, & copiis contra Gallum præficitur 569. occiditur Ib. & 585
Geldrius è Comite Dux fit 216
Geneuensis episcopus 333
Genua olim Mediolanensibus subdita 726
Genuensis reip. ratio 883
Genuenses Caroli VI opem contra barbaros implorant 234
Gerãda capitur à Gallis 34
Gerardus Ganuesius 731
Germani à Gallis ad Ferdinandum deficiunt 877
Germanorum & Burgundionum dissimiles mores 597
Germanis sordes exprobrant Burgundiones 379
Gibellini qui dicti 905
Gius, Galliæ mareschallus 490
Godef. Haricurtus 41
Granatam expugnãt Hispani 889
Granmontium 143
Gransonium à Burg. obsidetur 520
Grassatorum furor, 56.63.70

Graſſatorum in Anglia furor 273
Grauia opp. 452
Gregorius xi Vrbano ſuccedit 91. Romæ moritur 103
Guelphi qui dicti 905
Guienna quos populos contineat 684. 685
Guilielmus Bauarus Burgundi filiam ducit 168
Guilielmus Carterius epiſcopus, à Pariſ. ſenatu mittitur ad principes 320
Guilielmus Hannoniæ Comes contra Gallos ſe inſtruit, 26. occumbit 39
Guilielmi Hannonij hæredes 168
Guilielmus Hannoniæ princeps Phriſones ſubigit 257
Guilielmus, Iuliacorũ princeps, è Marchione Dux fit 216
Guilielmus Iuliacorũ Dux proſe & filio apud Gallum intercedit 228
Guilielmus, Guilielmi Iuliacenſis filius, è Geldriæ Comite Dux fit 216. inſolenter Gallo bellum denunciat 204. 213. 216. Brabantiam infeſtat 218. Brabantos fundit fugatque 226. Gallo ſe excuſat 228. in Pruſciam it, 229
Guilielmus Picardus 336
Gyus Bloiſius Comitatum ſuum Duci Turonenſi vendit 239
Gyus Bloiſius in Anglia obſes moritur 399

H

HAlluinæ consilium de Caroli filia elocanda 594
Hamiboutum acriter se defendit 34
Hannonia à Gallis infestatur 26. ad Ludouicum Cæsarem deuenit 39
Hannoniæ Comes Anglum deserit 24
Hannonius Parisiensis 437
Harflurum opp. 198
Haftingi magnanimitas tandem regis munificentia flectitur 588
Hauartus 473. Hauartus & Callengerius legati Eduardi 491. Hauart. quàm liberalem erga se Gallũ sit expertus 588
Haubordinus 295
Heluetij quando primùm in Gallia nomẽ sibi pepererint 318 quomodo ditescere cœperint 529
Heluetiorum cõtrouersia cum Sigismundo Austrio & ciuitatib. Rhenanis 462
Heluetios vlciſci Carolus cogitat 518
Heluetij cum vicinis Rhenanis fœdus ineunt 519. Carolũ fugant 521
Heluetijs annuas pensiones Ludouicus pollicetur 529
Heluetios Gallo deuincit Amboſ. 603
Heluetij turpitud. ſtrenuo facinore delẽt 809
Heluetiorum inopia 523
Heluetiorum maximũ numerũ quid

in Insubriam pellexerit 856.857
Heluetiorum constãtia 877
Heluetiorum & vicinorum confœderatio Galliæ vtilissima 519
Heluetiis quid aliquã do nociturum sit 603
Henricus v, Angliæ rex, Rothomagũ obsidet 492
Henricus Bohemus Ludouico Valesio sponsam præripit 171
Henricus, Alphonsi spurius, legitimatur & Castiliæ præficitur 71. à Gall. petit auxilia 73. copias contrahit 75. fugatur 78. ab Andegauensi adiutus, Vallensis absentis ditionem inuadit, 79. nouum exercitum colligit 81. hostem interficit 82. recuperat Hisp. Ib. cum Gallo fœdus facit 92. Angl. mari fundit 94. Nauarriam infestat, 105. pace cum Nauarrio facta moritur 108
Henricus, Castiliæ rex deformior 377
Henrico, Ioannis Hispani filio, despondetur filia Lenclastrij 231.237
Henricus Hungariæ rex auxilia à Gallo contra Turcas petit 251. suos frustra præmonet 259. coactus fugit 260. captiuos benignè iuuat 262
Henricus, Lenclastrij filius, Derbij Comes, à Richardo pa-

patruo relegatus in Galliam proficiscitur 267. à patruo impeditus nõ ducit Berriam 272. ad regni gubernacula vocatur ab Ordinibus 273. patruo capto, sceptro potitur 276. exules reuocat 275. coniuratos plectit 276
Henricus Lucenburgius occumbit 43
Henricus Lyonius ab Anglo manumittitur 37
Herbertus 694
Hercules Estensis, Ferrarię dux 909. Eius generi Ib.
Hesdinum 409
Hesd. Gal. se dedit 572
Hieronymus Sauonarola, Dominicanus 909. suis vaticiniis & παῤῥησίᾳ periculum sibi creat 897. crematur, 900. Eiusdem vaticinia 798
Hispanus promissa Gallo facta nõ seruat 887
Hisp. fundũt Angl. 94
Hispanicæ domus in medio beatitudinis cursu calamitates 893
Hispanicis legationibus cur adiungantur monachi 888
Historiarum cognitio quanti sit momenti 371
Historici officiũ 697
Hugonetus 570
Humanæ vitæ miseria 474. Humanæ vitæ casus mirabiles 213. Humanæ vitæ euripi 232
Humilis conditionis homines sæpè grauissimas excitant turbas 712

Hungariæ priuilegiũ in legendo rege 682
Hybernia se dedit Anglo 251
Hybernus Ioannem Bloisium liberat 200. suis blanditiis Richardi regis animum occupat 206. in Holãdiam fugit 208. ad Gallũ se confert 219. è Gallja eijcitur 232
Hydruntini à Gallis deficiunt 793
Hyems acerrima 402

I

IAcobus Arteuillanus vulgi gratia sibi cõciliata nihil nõ ausus 24. 26. 28. seditioso dignum præmiũ aufert 39
Iacobus Borbonius ex vulnere moritur 63
Iacobus Pacensis capite plectitur 608
Iacobi Picinini indigna cædes 755
Iacobus Triuultius 805. 806. Astam à Gallo mittitur 884
Ianizari qui dicantur 906. Iccius portus 693
Ignauorum principũ exitus 601. Imbercortus 352. captus 374. à Gandauẽsibus captus & damnatus 580. 581. à Gãdauẽsibus neci datur 582.
Imbercorti laus 570. prudentia & dexteritas 358. 359. prudentia & modestia in crimine diluendo 44
Incredulitatis fructus 669
Infans Hisp. quid 107
Innocentius sextus Clementi succedit 50.

50. 53. Anglum & Gallum conciliare frustra conatur 53. moritur 65
Insubriæ conditio quæ 718. 813
Insubria sub Cæsarum imperio liberior fuit 117. in Caroli Cæsari potestatem venit 904
Insubriam quo iure ad se per inere cõtendant Galliæ reges 903
Intemperantiæ punitæ exemplum 653. 657
Inuidia in magnorum principum familiis regnare solet 840. vbique dominatur 86. Inuidiæ fructus 260
Ioachimus, Galliæ mareschallus 297
Ioanna Valesia 29
Ioannes, Arragoniæ rex 195
Ioannes Bloisius obses in carcerem reducitur 199. Connestablij beneficio liberatus, filiam eius ducit 201. cum affinibus de successione contendit 215
Ioannes, Borboniæ Dux 494
Ioannes Borbonius Burgundum instigat ad bellum Gallo inferendum 294
Ioannes Burgundiæ Dux post patratam cædem fugit 675. interficitur 493. 677. quomodo perierit 338
Ioannes Philippi Burgundi filius, Hungaro cõtra Turcas

opem fert 251. capitur 260. familiariter à Turca tractatur 261. regi omnia exponit 263.
Ioannes Burgundi fil. Alberti Hannonij filiam ducit 168
Ioannes Cadetus Carolum Burgundũ liberat 306
Ioann. Calabriæ Dux 318
Ioannes Cossius 527
Ioann. Galeatius 713 primus Mediolani Dux creatus à Wẽceslao Cæsare 177. regi se obstringit 609
Ioannem Hannoniũ ab Anglo alienat Gallus 40
Ioannes Haricurtus à Gallo captus suspẽditur 52
Ioannes, Henrici filius, Hispaniæ rex fit 108. Nauarrij filiam ducit, ib. Lusitano bellum infert 180. denuo se contra Lusitanum instruit 188. 209. Anglis saluum cõductum indulget 211. Gallicas copias dimittit 212. Henrico filio, Lenclastrij filiam ambit 225. Gallo se ob hoc connubiũ excusat 231. moritur 237
Ioannes Huniades 653
Ioannes Leo Gandauenses contra Brugenses & principem concitat 115. moritur 118
Ioannes Monfortius hoste cæso Britoniam occupat 68. ex pacto retinet 69. è Britonia in Angliam

Angliam profugit 97. quædam recuperat 98. fruſtra Anglum ſollicitat 100. Anglicis auxilijs ſtipatus, in Britoniam redit 20. 122.128. Anglo deſerto cum Gallo fœdus facit 132. gratias Anglis, Gallo & Flandro refert in vno eodemque bello 164.165. de pace cum Galli patruis tranſigit 222. fœdus & amicitiã cum Gallo firmat 239. Craonium in Conneſtabliũ concitat 243

Ioannis Monfortij in Cliſſonium, Conneſtablium, odium & aſperitas 200. 201.204. reſpõſum ad legationem regis 204.221

Ioannem Normanniæ principem copiis ſuis contra Anglum præficit Philippus pater 36.40

Ioannes Valeſius vxorem ducit Ioannã Bolonię dominam 49. patri ſuccedit 50. Anglo monomachiam defert 51. in Anglũ magnis viribus tendit 52. ab Anglis capitur 53. 670. pace cum Anglo ſancita domum redit 63 expeditionem in Saracenos adornat 65. quare gloriam amiſerit 522. Londini moritur 66

Ioannis Valeſij pater, clades, mors, liberi 674

Ioannis Vallæ conciones ſeditioſæ 139

Iprenſes pileatæ factionis confœderati 118. 132. rebellionis pœnas dant 121.132.133
Itali adrẽ attẽti & zelotypi 738. auri cupidi 49. potentioribus ſe adiungunt 738. 751. à Gallis quare alienati 738
Italorum opera magno conſtat 879
Italiæ principatus potiores qui 733
Italicæ & Gallicæ militiæ collatio 609
Italica præliandi ratio 825
Iuliacenſis è Marchione Dux fit 216
Iulianus Medicius interficitur 607
Iulius II, pontifex Rõ. 909. Galliæ infeſtus 679
Iuo Anglum vlciſcitur 94. 106. indignè confoditur 106
Iuriſconſulti aulici reprehenduntur & monentur 372

L

Lanceloti curriculum 654
Languedocia 685 quos populos contineat 685
Laurentius Medicius vulneratus, in templi veſtiarium confugit 607. belli ſummæ præficitur à Florentinis 609
Legati monentur 344
Legati, in primis exterorum, quo modo tractandi 625
Legatos Gallicanos honorificè tractãt Venetorum ſubditi 775
Legatos Sfortiæ quãtũ habuerit apud Ve-

Venetos ſtipendium 771
Legationum ſpecie multa ſæpe pernicioſa tractãtur 425
Lemouicum vrbs Berriæ Duci ſe dedit 89. ab Anglo recepta miſerabiliter tractatur 90
Lenclaſtrius Caletum mittitur à patre 85. vxorem ducit Cõſtantiam Dompetri filiam 92
Lenclaſtrio fratri Prouinciam ſuam cõmittit Eduardus 91
Lenclaſtrio, pro nepote, regni adminiſtratio committitur 99
Lenclaſtrius pacis gratia ad Scotum proficiſcitur 138. in Luſitaniam proficiſcitur 188. Luſitanum connubio ſibi deuincit 190. Cõ poſtellam è Luſitania repetit 212. Baionæ, ſpe fruſtratus ſuũ cor edit 223 filiæ venatur procos 224, pacem ſe diligẽter vrſurum Gallo pollicetur 243. moritur 271
Lenclaſtrij vitia 162.
Lenitas ad homines in amore retinendos efficaciſſima 87
Leo, pileatæ factionis dux 115. 118
Leo, rex Armeniæ, Gallũ & Anglũ cõciliare nititur 192
Leo decimus 910
Leodij ſitus 389
Leodij conditio 361
Leodiũ denuo à Burg. impugnatur 385. 397. capitur & diripitur à Burg. 398. exuritur 402

Leodij à Burgundo infestãtur 341. cum Burgundo transigũt 347. Centronibus auxiliantur 353. Burgundo se dedunt 357. in Tongros & Canonicos sæuiunt 375. in Burgundum erumpũt 386. 391

Leodiensis episcopus Borbonius, adest f. Caroli 579. spe excidit 594

Leusa, arx 147

Ligeris, fl. 690

Liniacum, Caroli cõsanguineum, Senẽses suæ ciuitati præficiunt 798

Longumeum 300

Londinenses Cocestrij necem grauiter ferunt, 266. Richardo repudiato Derbium admittunt 274

Longobardi è Pannonia in Insubriã transeunt 902. in Rom. imperij potestatem redacti à Carolo magno ibidem

Lorda arx 196

Losana opp. 530

Losca 911

Lotharingiam impugnat Burgũdus 511

Lotharingus à rege adiutus in Heluetiam peruenit 531. Nanceium oppugnat 537. à Gallo & Germanis adiutus in Carolũ tendit 545

Lotharingus Barram cum annua pensione recipit à Carolo VIII 709. præclaram Neapolitani regni occasionem negligit 711

Lucenſes in Galli fidē ſe permittunt 739
Ludeus legatos audit 500. ditatus 20 aureorum milibus 574
Ludei ingenium 564
Ludouicus, Aurelianus Dux, occiditur 675. 493
Ludouicus Bauarus Romam & Rom. pontificem infeſtat 253
Ludouicus Borbonius Genuenſibus contra barbaros auxilio mittitur 234. ſuo faſtu rem perdit 236
Ludouicus Cæſar Eduardum imperij vicarium contra Gallum conſtituit 23
Ludouicus, Flandriæ Comes, Eduardi filiā vi obtruſam deſtituit 46. filiam ſuam Burgundi filio dat 84. Andegauēſes pacare conatur 116. 120. animis eorum perſpectis, vrbe excedit 120. mirè in Gandauos concitatur 118. 121. 132. 144. Gandauos prælio victos fruſtra obſidet 134. hoſtes fundit 135. duriſſimas Andegauis proponit cōditiones 150. prælio victus miſerè fugit 153. Galli opē implorat 154. denuo Galli opem implorat 163. Gandauenſes inducijs excludere conatur 166. moritur, ibid. Eiuſdem infelicitas ibid.
LVDOVICVS, Galliæ rex, eius nomi-

nis xi, vndecim annorum adolescens bellum patri facit 635.647
Ludouicus patris irã veritus, ad Burgundum se confert 648
Ludouicus properat Lutetiam 300
Ludouicus post prælium se corbelliũ recipit 308
Ludouicus Normaniam ad copias cogendas petit 314
Ludouicus Lutetiam cum copiis è Normania redit 321
Ludouicus vt se suáque seruarit 327
Ludouicus cum Carolo Burgundo colloquitur 333
Ludouicus Conflantij cũ Carolo Burg. colloquitur 337
Ludouicus Vincennij cum aduersarijs paciscitur 339
Ludouicus Normaniã recuperat 342
Ludouicus Carolum Burgundum à Britanno auertere conatur 350
Ludouicus in angustiis constitutus 376.381
Ludouicus quibus cõditionibus à Carolo fuerit liberatus custodia 382
Ludouicus à Leodio capto domum redit 401
Ludouicum inter & Carolum B. recrudescit bellum 405
Ludouicus à suis ludificatus 413
Ludouicus cum Carolo B. paciscitur 434
Ludouicus & Carolus B. inducias paci-

ciſcuntur 443
Ludouicus Eduardi animũ ad pacem flectit 480
Ludouicus & Eduardus pacem inter ſe faciunt 483. 487
Ludouici & Eduardi colloquium & fœdus 495
Ludouico quę diſplicuerint in Eduardo 497
Ludouicus Ambianũ reuertitur 496
Ludouicus cum Carolo B. paciſcitur nouennales inducias 506
Ludouicus Lugduni Caroli fortunam ſpectat 523
Ludouicus Galeatio iraſcitur 525
Ludouicus cum Galeatio facit inducias 526
Ludouicus Carolum clàm oppugnat 534
Ludouicus ſororem Sabaudiæ dominã liberatam excipit 535
Ludouicus Lotharingum contra Carolum iuuat 544
Ludouicus fœdus cũ Luſitano facit 545
Ludouicus, Carolo interempto, de Burgundia occupandà cogitat 555-561
Ludouico quid defuerit in occupanda Caroli ditione 559. Ludouicus in Picardia occupanda totus eſt 560
Ludouicus præclaras occaſiones negligit 565
Ludouico mens diuinitus perturbatur 569

Ludouicus Anglos & regem ipsorū munificentia sibi deuincit 587
Ludouici & Eduardi consilia inter se 592
Ludouicus in Burgūdia minùs feliciter bellum gerit 600
Ludouicus ad Galliā optimis legibus cō stituendam animū adijcit 613
Ludouicus pacem inter se & Maximilianum per Gandauenses tractare instituit 614
Ludouicus valetudinē & amissam loquēdi facultatem recuperat 616.618
Ludouici post morbū sollicit. 616.617.619
Ludouicus in Normā nia recidit in morbum 619
Ludouicus Turoni se abdit 620
Ludouicus familiares à se remouet, 621. suis diffidere incipiens, Plessij se abdit 622
Ludouicus quibus rebus inualetudinē texerit 626
Ludouicus operosus in raris animantibus comparandis 627
Ludouicus inungi cōstituit 633
Ludouicus in morbū recidit 635
Ludouicus filium monitis instruit 635. 639
Ludouicus moriens suis filium commē dat 636
Ludouicum à spe in eremita & aliis auxiliis posita medicus & amici auocant 638

Lu-

Ludouicus vehementissimè morte exhorret ib. 639
Ludouicus placidè & religiosè moritur 636.645
Ludouicus rex facetus 495. studiosus venationum 645. 646. Carolo Burg. ingeniosior 419. prudentissim⁹ 449 458. amicitiarū & fœderum dirimendorum callentissimus 341.346. otij & quietis impatiens 431. inde à pueritia perpetuis laboribus exercitus 649. coæuos vt virtute, sic vitæ curriculo superat 634 attigit annū 61,649 pluráne alijs fecerit, an ipse ab aliis perpessus sit acerba 637.& deinceps
Ludouicus quantis exactionibus pressérit Gall. 622. 667
Ludouico quid profuerit 328
Ludouici vxores 647
Ludouici mos 490 494
Ludouici cultus vilis 377
Ludouici dotes singulares 634
Ludouici ingenium, mores, virtutes, vitia 327
Ludouici virtutes & laus 373.385
Ludouici castitas 645
Ludouici in Anglos munificentia & fides 487.488
Ludouici liberalitas in medicū, ecclesias, & sacri ordinis homines 624
Ludouici autoritas & veneratio 633. 634.

637.
Ludouico mittuntur vndique quæ ad valetudinem eius roborandam conducere viderentur 633
LVDOVICVS XII, 679.901
Ludouici Hiſpanienſis fortitudo & æquitas 33
Ludouicus Nauarrius Galliam infeſtat 67. moritur 69
Ludouicus, Siciliæ rex filiæ quæ iniunxerit moriens 111
Ludouicus Sfortia imperium à nepotibus ad ſe transferre conatur 714.736 Gallum inſtigat aduerſus Neapolitanum 720.727.730 pro nepote apud Galliæ regẽ intercedit, 720. Mediolanenſem principatum occupat, 737. ſpe fruſtratus domum redit 742. pactis non ſtat 880. in Galliam abductus moritur 904
40
Ludouici Sfortiæ vitia 719. in Gall. perfidia 862.865
LVDOVICO Valeſio præripitur ſponſa, 171
Ludouicus Valeſius Valentinam ducit 237.240.255. emit Comitatum Bleſenſem 240. 255. Aurelianẽſem ducatum adipiſcitur 243. Craon. cur aula ſua pepulerit 244
Luſitanus pacem cũ Hiſpano facit 149. bellum Hiſpano infert 180. denuo

An-

Anglorum opem aduersus Hispanum implorat 187. Lenclastrij filiam ducit 190. 197. à Gallo præsens auxilia petit, 545. à Gallo domum reductus mœrore perit 547
Lusitani desperabundi consilium 546
Lusitani filius ceruicem sibi frangit 894
Lutetia, Francorum caput 683. præsidio munitur, 321
Lutetiani agri laus à rerum copia 322
Luxenburgica ditio à Lotharingo inuaditur 461

M

MAhometi II fortuna, virtus, vitia, res gestæ, 655. mandatum in bello contra Venetos 811. victoriæ in Græcia 907
Maioricæ rex Vallensis principis opem implorat 74. in expeditione contra Arragonium moritur 113
Mareschalli Galliæ qui & quot 692
Mareschalli Burgundiæ consiliũ, laus 338. 339
Margarita Austria 722. abortum facit ex mœrore 893
Matrimonia principum illicita puniuntur à Deo 878
Matrona fl. 690
Matthæus Atrebas 913
Matthias Huniades Budæ captiuus seruatur 654. e vinculis ereptus rex fit 655

Matthiæ Huniadis fortuna, ibid.
Maufretus Mediolanenſis 253. è medio tollitur à fratribus 254
Maximiliano Auſtrio Caroli filia nubit 597
Maximiliani regis liberi 599
Maximiliani cũ Gallis conflictus 611
Maximilianum remiſſa filia, præreptа ſponſa, grauiter offendit, & cõtra ſe armat Carolus VIII 678.722
Maximilianus Galeatij filiam ducit 723
Maximiliani de Carolo VIII ſuſpicio, & ad Venetos eo nomine legatio 779
Maximilianus Sforcia in Gallia captiuus vitam finit 904
Medicus Ludouici liberaliſſimè habetur 624.638
Medici Germani dexteritas ſingularis 124
Mediciæ familiæ origo 909
Mediciæ familiæ potentia 731
Medicenſis familia contra Pacenſem defenditur 608
Mediocris vita præſtat cæteris 658
Mediolanenſis Archiepiſcopus liberaliter à Carolo Bohemo remuneratur 254
Mediolani Dux primus 902. Eiuſdem poſteritas Ib
Mediolanenſis ducatus conditio 718
Melda, opp. 56
Menapij 693

Metu cohibere principes, an vtile 412. 417
Metus miseri exemplum 640. & deinceps.
Meticulosa aggressio rei, plerunq; feliciores sortitur exitus 366.385
Militum grassatorũ improbitas 63.70
Miliaria quomodo hîc accipienda 694
Modestiæ laus 313
Molinum opp. 712. 885
Mompeliardi Comes in Heduos irrumpit 67
Mompensierius regis in Neapolitani regni administratione legatus 793.841. Neapoli excedit 841. moritur 877
Monachis cur vtantur Hispani in legationibus 888
Monachorum ordines aliquot ad seueriorem disciplinam adducere cogitat Carolus VIII 896
Monarcha pluribus confœderatis potior 343
Mondiderium occupat rex 462
Monferratensis Marchio Mediolanensem impugnat 64
Monferratensis vidua moritur 845
Monfortius armis Britoniam occupat 30. ab Anglo inauguratur 31. bello captus moritur in custodia 32
Monfortij vxor suos confirmat 32. Eiusdem virilitas 33. 35
Monocerotis cornu

maximi precij 748
Monomachiæ exemplum memorabile 194
Monſpeſſilus 232
Monſtrelum, oppid. 493. 676.
Montagnius, Subaudæ ad regem legatus 528
Monthericum 300
Montium opp. 508
Moratum obſidetur à Burgundo 530
Moretum 317
Moruillerij, nomine regis, ad Burgundũ oratio 290
Moruillerius ab ipſo rege culpatur 333
Moſa & Moſella 689
Mouius 473

N

NAmurcũ 385
Nanceium oppugnatur 511. obſidetur 537. 539
Nannetes, opp. 437
Nantenſes ad conſtãtiam hortatur Carolus v, 123
Nantes obſidentur 129
Narbonæ Comes capitur 73
Narbonenſis Archiepiſcopus 504
Naſſouij virtus 611
Nauarrius fœdus cũ Vallenſi principe facit 72. 75. à Gallo infeſtatus, Angli opem implorat 100. cum Anglo fœdus facit 104
Nauarrij ſcelus nefarium 176
Nauarrij lepido ſtratagemate euadunt 58
Neapolis intra biennium quinque reges habet 878
Neapolim relinquere coguntur Galli 842

Neapolitani & Siculi constanter Andegaui imperium recusant 147.167. Gallum magna cum lætitia excipiunt 765
Neapolitani regni cõditio 890
Neapolitanum regnum à Gallis deficit 875
Neapolitanũ regnũ tandem ad Arragonios redit 905
Neapolitanę arcis deditio 768.874
Neapolitana classis à Gallis ad Genuam profligatur 731
Neapolitanum bellũ quorum instinctu susceperit Carolus 708
Neapolitani belli felix successus vni Deo tribuendus 709. 727. 729. 750. 768. 799
Nelam capit Burg. 297. 433
Nicolaus, Lothar. & Calabr. Dux, à Carol. Burg. excipitur 432
Nicopolis ab Hungaris & Gallis obsidetur 252. 258
Nissa opp. 836
Nonium, cast. 729
Norm. quos pop. cõplectatur 684. 685
Normanniam infestant Angli 41
Normanniæ Dux, exosus 55. Nauarrio conciliatur 59. legatos ad Anglum de pace mittit 61
Normanniæ præfecto prima acies cõmittitur 301
Normanniæ præfectus cadit 309
Normãnia in Bitu-

rigem inclinat 336
Normanniam à rege accipit Biturix 339
Normannus à Britanno dissidet 341. amissa ditione, ad Britannum proficiscitur 343. quomodo cũ rege captus fuerit 368
Normanniam recuperat Gallus 342
Nouarum rerum nũtios muneribus ornat Ludouicus 554
Nouariæ obsidio per inducias soluitur 854
Nouariensis præsidij angustiæ 844. 855
Nouesium à Burgundo obsidetur 455
Nouesiana obsidio inferuore soluitur 469
Nuptialium sponsionum violatio punitur à Deo 723

O

OBsides Leod. dimissi 353
Obsidionis miserrimæ exemplum 855
Odetus 404
Odetus, Burgundiæ Dux, cum filio Gallum cõtra Anglos iuuat 40
Officialis Turonensis à Ludouico accersitur 615
Oliuarum dies 791
Oliuarius Clissonius cur Britoni fuerit inuisus 200. Ioan. Bloisium per Hybernum liberat ib. eidem filiam suam dat 201. à Brit. captus non sine duris conditionibus dimittitur 203. à patruis regis duriter excipitur ib. à Gra onio grauissimè vul-

vulneratur 244. è Gallia profugit 246. peculatus & proditionis dãnatur ib.
Oliuarium Marchianum Gallus sibi dedi postulat 291
Oliuarij tonsoris industria 560.566
Oliuarius tonsor ridetur & fugit 567
Oliuarius maculam nouo facinore eluit 568
Ordinum Gallicorũ conuentus 689
Ostiensis Cardinalis 909

P

PAcensis & Mediceusis familiæ dissensio 606
Pacensis factio comprimitur 608
Pactionis turpissimæ exempla 877
Pampeluna 75.106
Pampeluna obsidetur 107
Papia opp. 735
Pares Franciæ 681. 686.126
Parisienses tumultuantes placantur à rege 144. armati regi obuiam procedunt 160. temeritatis istius pœnas luunt ib. à Burgũdo velitationibus lacessiti trepidant 298
Parlamenta Galliæ 688
Parlamento securis inijcitur à Ludouico 613
Parpignianum 886
Parricidij exemplum funestum 176
Patauium à Venetis subigitur 743
Pacis tractatio quibus committenda 326

Pèro Bassus regis ad Venetos legatus 724.752
Perona aperitur Ludouico 560
Peronæ pacificatio inter Gallum & Burg. transigitur 382.383
Petilianus Comes à Gallis ad hostes transfugit 826
Petroforta 461
Petrus Arragoniæ rex societatem cum Henrico contra tyrannum init 71
Petrus, Borb. Dux, Auraicæ princeps 722
Petrus Capo 732
Petrus Doriollus 433. legatus 505
Petrus Hagebachius capt⁹ & occisus 462
Petri Medicii proteruia 732.739
Petrus Medici⁹ cum Gallo trãsigit 741
à Florentinis eijcitur 746. à Venetis excipitur 748
Petri Medicij opes maximæ diripiũtur 748
Petrus Siluanus, Gandauensiũ dux 134. 137.143.155.158
Pfirtensem ditionem recuperat Sigismũdus Austr. 462
Philibertus Sabaudus 533
Philippus Arteuillanus. 137.143
Andegauorum legatus apud Tornacũ 150. re bene gesta luxuriat 153. Galli & Angli opem frustra implorat 154. in prælio occũbit 158
Philippus Austrius quibus conditionibus pacem cum Carolo VIII fe-
ce-

cerit 722
Philippus Bonus 514
patris cædem diuturnis bellis vlciscitur 677
Philippus Burgundus moritur 44
Philippus Burgundiæ Dux, Flādriæ principatum nanciscitur 168. Brabantiæ fines contra Geldrum tuetur 218. diligens est in filio liberando 261
Philippi Burgūdi prudens petitio ad regem 293
Philippus Burgundus ad Dinandum lectica defertur 345. moritur 349.
Philippus Fortis 514
Philippus Fortis Burgundiæ dux 674
Philippus, Nauarrij frater, Normanniam incursionibus vastat 54. pacis conditiones nō admittit 59
Philippi Pulchri liberi 681.20
Philippus Valesius, Ioannis filius, Burgundiæ Dux declāratur 66. Galliæ rex fit 22.682. cum Scoto fœdus contra Gallum facit 23. Flandros à se alienatos infestat 26. Scotos in Anglum excitat, 28. inducias cum Anglo facit 29. Carolo Blosio suppetias contra Anglum fert 31. inducias cum Anglo triennales facit 36. filiū contra Anglos mittit 40. numeroso cū exercitu & maximo ardore in Anglum tendit 42. vincitur

ab Anglis 43. exercitum dimittit 48 alteram vxorẽ ducit 49. moritur 50
Philip. Valesij socij in Tornaci cõtra Anglos defensione 28
Philippi Valesij successores 682
Phrisones ab Hannoniæ Comite subiguntur 257
Picardiæ incolæ & accolæ qui sint 684
Picardia ab Anglis infestatur 97
Picardiam à Burgundo recipit Gallus 293
Picardia restituitur Burgundo 339
Picennium 379. à Burgundo occupatur 415
Picennij conueniunt legati & ipsi reges Gallus & Anglus 491
Pictauium ab Anglis capitur 44
Pilei candidi, libertatis signum 115
Pisani à Florentinis ad Gallos deficiũt, 744
Pisanorum ad Carolum VIII supplicatio 800
Pisanus Archiepiscopus suspenditur 607
Plessium, cast. 622
Plenmosi 685
Plumbini portus natura 840
Poloniæ priuilegium in electione regis 683
Pontarcium 619
Pontemontium 546
Pontifex Rom. quibus cum Gallo pactus sit conditionibus 763
Pontifex Rom. excõmunicat sacrorum ra-

raptores 398
Pontificum simultas quantorum malorum causa 185
Pontremolum incendunt Heluetij 805
Praga 654
Prælium aduersum facere quàm sit periculosum 399
Prælio victis quid faciendũ,& cur 356
Principes, ob delatorum multitudinẽ, suspicionibus facilè indulgent 317
Principes monentur 309. 313. 317. 326. 335. 340. 344. 351. 366. 371. 372. 376. 391. 435. 446. 519. 547. 548. 591. 601. 631. 644. 657. 606. 761. 671. 680. 869. 873. 166
Principibus in legatorũ congressu quid faciendum 425
Principes à congressibus debere abstinere 376. 380
Principes à quibus potissimùm facinoribus debeant esse alieni 542
Principibus commẽdatur modestia 313
Principum æquali potentia præditorũ amicitia cur non sit diuturna 343
Principum duo genera illaudata 344
Principum quorundam iniquitas 661
Principum ignauia & malitia quantorũ malorum causa 660
Princeps stolidus & imperitus maxima populi clades 374
Principũ simultates

in connubia & comicos exitus plerunque desinunt 239
Principum miseria 871. 872
Principū vita vt tranquillior fiat 873
Proditorem in exercitu ferre nolunt Germani 549
Prouerbium Anglicum 428
Prouerbia Gallica 340.343
Prouerbium Ludouici regis 366
Prouerbium de Britannis 343
Prouerbium de Gandauensibus 364. 650
Prouincia Andegaui iugū detrectat 169
Prudentes quoq; labuntur interdum 351
Pulesinum capiunt Veneti 718
Pupillos nobilium vt tueātur Angli 267
Pyxis olei sacrati apud Rhemos 633. 691

Q

QVæstores dant pœnas 207. 233
Querceti possessione rex decedit 600
Quintius, Caroli legatus 416.432. 437

R

RAbotus 743
Rapinius, legatus 500
Rasius Lutrus 360
Raueſtenus, Cliuensis frater, Burgundi partes sequitur 295. fugit 305. pedites ducit 354. à filia Caroli remouetur 582. Philippo Austrio adhibetur mode-

moderator 630
Regnoldus, Geldriæ Comes 213
Renatus Lotharingię dux 908
Renatus Pentabriæ Comes 912
Renatus Siciliæ rex 516. 523. Lugdunũ ad regem Ludouicum venit 527. Ludouico totum se dat 528
Renati regis hæredes & consanguinei 908. 709
Reges penè omnes suspicionibus obnoxij 621
Regũ voluntates gubernat Deus 562
Rhegium 886. munitur ab Hispano 792
Rhodanus, fl. 690
Richardus Eduardi quarti filius 74. quibus parentibus natus 276. Eduardo succedit 98. rusticos tumultuantes placat 143. Caroli Bohemi sororem ducit 145. ex Hiberni delationibus siniſtras de patruis suspiciones & arma capit 206. 207. turbis sedatis, fidem à nobilibus Londini accipit 209. Lenclastrio Aquitaniam donat 249. Hiberniã recup. 251. ambit Galli filiã, ibid. Galli filiam ducit 258. in conspirationis capita animaduertit 266. magno sagittariorum numero se munit 267. in Lenclastrij filium & bona est iniquior 272. Der-

bij & Berriæ connubium impedit, ibid. rursus arma in Hyberniam parat 273. à Derbio captus, regni administrationem à se in illum sollenniter transfert 276. Londini vitam finit ibid.
Richardus, fratris prole necata, regnum inuadit 631. mox & ipse scelerũ pœnas dat 632. ab Henrico VII eijcitur 694
Riola Anglis se dedit 38
Riuelorus Sabaudæ ad regem legatus 534
Robertus Artesius à Gallo pulsus, Anglum aduersus eũ instigat 22. moritur 35
Roberti Budei strenuum facinus 110
Robertus Canollius Anglicarum copiarum dux 89. fusus in Britoniam redit 91
Robertus, Episcopus Cameracensis, creatur põtifex Rom. 109
Robertus eremita 624
Robertus Scotus Dauidi in Scotia succedit 97. Anglis bellum infert 101. per suos Angliam & Valensem ditionem infestat 172. Gallos dutiter tractat 170.173
Robertus, Siciliæ rex, insignis astronomus 24. pacem inter Gallum & Anglum per pontificem vrget 27

Robertus Sanseuerinus 714
Robinetus Normannus 546
Rocceta 715
Rochellenses Anglicum iugũ deprecantur 63. ludificant Anglos 94
Rochella ad Gallum deficit 96
Rodolfus Mantuanus occumbit 824
Roiam capit Burgundus 438. Roiam occupat rex 463
Romanus populus ob pontificis electionẽ tumultuatur 103
Romanæ ecclesiæ status corruptus & impurus 762
Romontius Burgundum in Heluetios sollicitat 518
Romontij virtus 611
Rossius Comes moritur 466
Rothomagum Biturigi seruandũ tradunt Normanni 336
Rothomagum ab Anglis obsidetur 492. 676
Rubemprius captus 290. 292
Rupella 435
Rupem fortem capit Ambosius 604
Rusticorum Anglicorũ seruilia grãuamina 138
Rusticorum per Angliam seditio 139
Rusticorum per Galliam seditio 56. cohibetur ibid.

S

SAbaudus olim primas inter confœderatos habuit 603
Sabaudiæ domina Carolo Burg. fauet

527. legatos ad regem fratrem mittit 528. à Carolo in Burgundiam addu cta custodiæ mandatur 533. à Ludouico fratre liberata excipitur huma niter 535. suis recuperatis domũ redit 536
Sagittarij cæteris militibus præferuntur 304
Salernitanus princeps Ferdinando diffidens, Galliæ regẽ sollicitat 713. liberaliter tractatur à Carolo VIII 794
Salica lex 682
Salsum, opp. 886
Samarobrina, opp. 693
Sanctoclaudium 619
Sanctomalonem defendunt Galli 107
Sanctomaurum 319
Sanctopauli Comes Burgundicis copijs præficitur 295
Sanctopauli Comes ex pacto fit Conestablius Fran. 339. Cætera vide in Conestablius.
Sanctoquintinũ 444
Sanctoquintinum iuramento regi deuincit Conestablius 409
S. Lupus capitur ab Anglis 41
S. Marci templum & thesaurus 774
Sarezanellam capit Gallus 739
Sauona 883
Scaldis, fluu. 690
Scoti & Angli post mutuas excursiones pacantur inducarum nuncio 167
Scoti denuo Anglos inuadunt & vincũt 229. inducias cum An-

Anglis, Gallis & Hiſpanis faciunt 231
Scotorũ inſignis clades 45
Scotorum in Gallos duritas 170.173
Senenſes Liniacum ſuæ ciuitati præficiunt 798
Septentrionales populi bilioſi 476
Sequana, fl. 690
Sequanæ & Ionæ cõfluentia 493.677
Seſſæ dux miſerè ab Arragonijs habetur 754
Sfortiarum nomen à quo ſit factum illuſtre 723
Sfortiarum familia Inſubriæ exoſa 807
Sfortianę familiæ catalogus 903
Siciliæ regnum quo titulo petierit Carolus VIII 710
Sigiſmundus Auſtrius Burgundo Pfirtenſem ditionem oppignorat 379. in Maximilianũ nepotem ſua confert omnia 601
Sigiſmundi Auſtrij ignauia 600
Simon, Papienſ. medicus 516
Simulatio taxatur 864
Sluſa, portus 191
Sombreſſius dux captus & occiſus 424
Somia, fl. 691
Spenſiæ familiæ quidam cõiurationis nomine plectuntur 276
Spenſij epiſcopi temeritas 162. timiditas 164
Stampium 313
Stephanus Albertus Clementi ſuccedit in pontificatu 50.

Stratiotæ 810.814
Stupri vltio memorabilis 163
Superbiæ pediſſequæ 366
Superbiæ & faſtus pœna 260
Superbiæ & arrogantiæ à Deo punitæ exemplum 515.551
Suſpicionum tormẽtis quomodo excrucient atque enecent ſe principes 872
Suſpicioſi ſunt omnes ferè reges 621
Syluanus Gandauẽſis factionis dux 134. 137.143. 155.158. in Angliam abit 174

T

TArentinus princeps 530. 624. 112
Tarus, fi. 815
Taurini pop. 684
Tempeſtas ſtupenda 61
Tercelinus à rege ad Cæſarem mittitur 460.464
Terouanna obſidetur 610
Thomas Abriganus, Anglorũ mil. dux 610
Thomas Mulgomerus, Eduardi ad Gallũ legatus 506
Tongri à Leodijs capiuntur 374
Torcius 489. Torcio patefit Abbeuilla 559
Tornacum à Gallis occupatur 568
Torques Caroli Burgundi pretioſus & elegans duobus aureis venditus 550
Triſtitiæ & melãcholiæ remedium 536
Trunceum à Gallo capitur 462
Turbedenſis archie-

piſcopus 377
Turcę ad Ludouicum xi legatio 634. 906
Turcę frater captiuus moritur 770. 906

V

VAlentina Galeatij minoriſ filia Ludouico Valeſio nubit 237. 255. ob veneni ſuſpicionē cuſtodiæ mandatur 556
Vallenſis princeps, vide Eduardus, Eduardi iii filius.
Vaſconia quos populos contineat 684 685
Vaticinium de eccleſiaſtici ordinis affli ctione 61
Vaticinia Hieronymi Sauonarolæ vide ſuprà in H.
Venceſlaus Bohemus Brabantiæ Dux, Geldrio inuiſus 216. viarum publicus cuſtos à fratre inſtituitur 217. capitur in prælio cōtra Iuliacum, ibid. moritur 168. 218
Venetorum ciuitas Gallis ſe dedit 34. ab Anglis capitur 35. Anglis extorquetur ibid.
Venetæ vrbis deſcriptio breuior 772. & deinceps.
Venetorum nauale & armamētariū 775. Dux 774. Venetæ reip. ratio 776
Venetorum religioſitas 863. induſtria in proferendis finibus 775. conſuetudo in graui deliberatione 863. in bellis gerendis ratio 775
Veneti prudentes

& acuti 724. ſemel occupata non facilè reddunt 875
Veneti ad Galli legationem reſpõdent 724. Neapolitanũ regẽ oderunt 724. noſtrorum conſilia Turcis produnt 770. 771. pluribus legationibus & fœderis cõditionibus impediti 779. & deinceps. ſuas de Gallo cogitationes patefaciunt 783. 788. fœdus cũ pontificẽ Romano, Maximiliano, Hiſpano & Mediolani duce tractant 779. 787
Vergæus tandem ad regem tranſit 573
Verius 708. cur Neapolitanum bellum vrſerit 710. Caietæ præficitur, & regni quæſtor conſtituitur à Carolo 793
Verij & Briſſoneti ſimultas 734
Veromanduos atrociter infeſtat Burgundus 433. Veromanduorũ Comes Galliæ regem capit 376. 694
Veruinum 504
Veſontionem Ambo ſius abſq; maleficio ingreditur 605
Vicecomitum nomẽ vnde 902. Vicecomitũ familia minùs ſplendida 723
Victoria moderanda 357
Vienna, Gall. 726. Viennenſis Archiepiſcopus aſtrologiæ peritus 727
Vincennij conuenitur 339
Vinum ſecuri fractũ diſtribuitur 402

Virgilius Vrſinus ex pacto domum redit 878. 910
Virodunum, opp. 605
Vita vt ſit tranquilla & ſana 672
Viterbium occupat Carolus VIII 750
Vitij agnitio, magnũ Dei beneficiũ 328
Vltionis diuinæ exẽpla memorabilia 453. 515. 632. 194
Vobriſſetus 368
Votum diuo Claudio pro rege ægrotante faciunt Cominæus & alij 619
Vrbanus Innocentio ſuccedit 65. moritur 91
Vrbanus VI põtifex Romanus eligitur 103. è Genua impugnat Clementẽ 160. à Clementinis obſidetur 184. moritur 233. Vrbani fautores 111
Vrbini Dux pontificiorum aduerſus Florentinos imperator 609
Vrſinorum & Columnenſium ſimultas 751
Vrſi natura 465

W

WAlliæ princeps ab Anglo occiſus 424
Wenceſlaus Bohem. moritur 168. Cætera vide in V.

Z

ZIzimus exul & captiuus moritur 770. 906

FINIS.